non v'è

6. 6.

VERITAS IN MEDIO;

SEU D. THOMAS

DOCTOR ANGELICUS

PROPOSITIONES OMNES circa *Theoriam*, & *Praxim*, *Rigorem*, ac *Laxitatem* versantes à *Bajanis* usque ad *Quesnellianas* 101. inclusivè per tutissima, & inconcussa, atque ab omni extremo remota dogmata,

PRÆDAMNANS.

Inserta est vita BAJI, JANSENII, aliaque gesta Historica;

Accessit Responsio brevis ad P. QUESNEL.

AUCTORE

FR. FRANCISCO VAN RANST

S. Ordinis FF. Prædicat. in Alma Universitate Lovaniensi S. T. Licentiato, & Studii Generalis Antverpiensis Regente.

EDITIO QUINTA.

Ad simplicem usum

Fr. [illegible] Laurentij a [illegible]



VENETIIS, MDCCLIV.

Apud Laurentium Basilium.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.

AMPLISSIMO VIRO D. D.

JACOBO GUILIELMO
JANSSENS

INSIGNIS ECCLESIÆ COLLEGIATÆ S. Jacobi Antverpiæ, Canonico, ac Vice-Decano Vigilantissimo, Protonotario Apostolico, &c.

PAtere, obsecro, VIR AMPLISSIME, ut hoc opusculum continens errores à *Bajo* ad hæc usque Tempora per Sedem Apostolicam profligatos tuis sub Auspiciis in medium prodeat. Enim vero quis est, cui illud aptius consecretur, quam Amplitudini tuæ tam benè de Ecclesia meritæ? nonnè Te suspexit Belgium hisce calamitosissimis, angustissimis, pene dixeram extremis temporibus strenuissimum Authoritatis Pontificiæ defensorem, vindicem, Propugnatorem? scilicet Petri Cathedra toties Impetita omnes semper & persecutionum, & errorum fluctus in se conglomeratos elusit. Jam dudum dixerat Augustinus lib. 1. de symbolo ad Catechumenos cap. 6. *Ecclesia* (firmissimæ innixa Petræ) *oppugnari potest, expugnari non potest*. Hanc Tu firmitatem quoties in te expressisti? quoties ingentes Procellas repulisti? stetisti sane variis in casibus impavidus, intrepidus, immotus ipsis etiam adversariis laudem extorquens. Sed nonne & firmitatem illam sibi vendicant inconcussa D. THOMÆ dogmata? profecto hic

vir, hic est, qui omnes omnino errores & ante, & suis temporibus, & post mortem ad hæc usque Tempora exortos (*Bajanos*, & *subsecutos* in præsenti tantum expendimus) damnavit, prædamnavit, prædebellavit. Ad hanc rupem cunctæ sunt hactenus elisæ, & elidentur, dum stabit Ecclesia, falsitates. Tanti viri doctrinam quam tu præclare imitaris? quam amas veritatem, quæ est Genuinus D. THOMÆ character? sed hisce terminis laus tibi debita non circumscribitur. Quid tuam memorem effusam in pauperes Liberalitatem? quot non fuere è miseriis, oppressionibus, calamitatibus, angustiis, ex ipsis mortis faucibus auxiliatrice tua manu erepti? quid recenseam singularem in Deum pietatem, quid assiduam in divino officio præsentiam, quid admirandam in excipiendis confessionibus diligentiam; innatam modestiam, eximiam in rebus arduis prudentiam, comitatem erga omnes, affabilitatem, cæteraque virtutum ornamenta? retraho me, quis tamen subticeat numquam labefactatam in Christianis ex Infidelium servitute eruendis (cujus *Sodalitii* provinciam sustines) constantiam? retraho me, inquam, ne videar excurrere in laudes tuas. Possem enim in medium proferre sive Generis claritatem; sive Avorum res gestas toga, sagoque maximas. Sed hisce omnibus supersedeo. Virtutem præfero Majorum titulis memor illius:

Et Genus, & Proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Suscipe igitur hoc opusculum sponte sua in patrocinii tui sinu convolans, meque egregia, qua omnes soles, benevolentia complecti non

dedi-

dedignare. Ita ex animo precatur; & seipsum Amplitudini tuæ dedicat, consecrat, ac devovet;

AMPLISSIME DOMINE;

Vestræ Amplitudinis Humillimus ac Observantissimus famulus F. FRANCISCUS VAN RANST Ord. Præd.

PRÆ-

PRÆFATIO.

Quid agimus, anime? quousque mortales cæcutiunt? errant, in diversa ruunt? an nunquam erit errorum finis? quantum ab uno, alterove sæculo peccatum est circa *Theoriam, & praxim*, & Theologiam *Mysticam*? eheu! extremos ubique, præsertim circa praxim intueor errores. Illic *Rigor* est, hìc *laxitas*; Scylla, & Charybdis, scopuli sanè naufragiis celeberrimi. Hos inter tuto navigat medium tenens iter Veritas.

At quo Duce, quo Gubernatore navigat Veritas?

Is est profecto omnium per ora volitans; & ubique in pulpitis, cathedris, libris resonans D. THOMAS AQUINAS, Angelicus, & Communis Ecclesiæ Doctor. *Hujus Doctrina præ ceteris, excepta canonica, habet* . . . . . . VERITATEM SENTENTIARUM, *ita ut nunquam, qui eam tenuit, inveniatur à* VERITATIS *tramite deviasse, & qui eam impugnaverit, semper fuerit de* VERITATE *suspectus*. Innocent. VI. Nolim hìc recensere innumera & à supremis Ecclesiæ Moderatoribus, & à viris celeberrimis in Doctrinam Angelici certatim effusa encomia. Sane illius *tutissima, & inconcussa dogmata, & penes Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina, novi præconii commendatione plane non egent*. Alexander VII. Quis tamen silentio premat præ-nobile de D. THOMA testimonium, quod Cardinalis Casanate non minus sapientia, & pietate, quam purpura toti Orbi conspicuus non semel, dum viveret, protulit. *Felicem* dixit ille, *orbem fore, si* UNA *D. Thomæ Doctrina ubique obtineret, si* UNUS *in Scholis, & Academiis Thomas Doctor audiretur, ac consuleretur in rebus dubiis, nullam tunc in Orbe fore Hæresim, nullam in morali, quæ conscientias hominum regit, relaxationem, nullam in Mystica Theologia, quæ Sanctitati viam sternit, exerrationem*. Hæc certe si observata fuissent; nec *Bajus* assertiones suas 79. fabricasset, nec *Jansenius* infelicem, totque dissidiorum feracem Pentadem condidisset, nec in lucem prodiissent cum ingenti animarum strage Propositiones 110. neque dum his repagulum opponitur, itum fuisset in aliud extremum, nimium scilicet Rigorem 31. Positionibus comprehensum. Anne etiam Author Illustrissi-

mus

mus (cujus nuperrime extincti manes æviterna in pace quiescant, sed cujus Gloria ob singularem sui submissionem nunquam extinguetur) anne inquam, errasset ille in *Theologia Mystica*? an *Quesnel* famosas 101. Propositiones seminasset, quæ modo tantum pulveris excitant in Ecclesia Dei? recte igitur dixit Eminentissimus Casanate, *felicem Orbem fore, si* UNA *D. Thomæ Doctrina ubique obtineret*.

Illud scilicet votorum summa meorum est; illud scopus qualiscumque laboris mei. Hunc in finem cuilibet, vel pluribus subinde Assertionibus subnectere conatus fui D. THOMÆ Authoritatem damnatas prædamnantem. Nullus sane unquam emersit, vel emerget error, quem S. Doctor cœlestibus scriptis non prædebellat. Hoc & in nupero patuit libro *de hæresibus* omnibus ab Aquinate profligatis. Quam rursus igitur optandum foret, ut Angelici dogmata omnium falsitatum præsuffocativa *unice* colerentur!

Cæterum si quid sit, Lector Benevole, in hoc operis decursu, quod vel duritiem, vel acrimoniam quamdam præ se ferre videatur, id ex animo rejicio & retracto. Quam graviter certe coram Deo rei sunt, qui sarcasmis, detractionibus, mendaciis, qui indisciplinato calamo, styloque mordaci adversarios exagitant, lacessunt, proscindunt! Quam hoc à Christiana, nedum Religiosa modestia alienum est!

Tu interim, Lector, hoc opusculo (cui etiam nonnulla Historica ob rei varietatem inseruimus) utere; tolle præjudicia, ama veritatem, & non poteris non amare D. THOMÆ Doctrinam.

Juxta ordinem temporis à Propositionibus ordiemur *Bajanis*.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncedemo Licenza à *Lorenzo Baseggio* Stampator di *Venezia* di poter ristampare il Libro intitolato *Veritas in medio, seu* D. *Thomas &c.* P. *Francisci Van-Ranst &c.* osservando gl'Ordini soliti in materia di Stampe, e presentando le Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 10. Settembre 1753.

{ Gio. Emo Proc. Rif.
{
{ Alvise Mocenigo 4°. Kav. Proc. Rif.

Registrato in Libro à Carte 26. al Num. 176.
Alvise Legrenzi Seg. contro la Bestemia.

Gio: Girolamo Zuccato Seg.

FACULTAS ORDINIS.

TEnore Præsentium, Nostrique authoritate officii facultatem facimus Eruditissimo Patri, P. FRANCISCO VAN RANST Ord. Præd. in Alma Universitate Lovaniensi S. Theologiæ Licentiato, & Professori typis mandandi Librum de *Propositionibus omnibus à Bajo usque ad Quesnellianas inclusive per Divum Thomam Prędamnatis*, dummodo prius à duobus Theologis revisus, & approbatus fuerit, servatisque aliis de jure servandis in Nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Antverpiæ in Conventu nostro S. Pauli Ordin. Præd. 19. Julii 1714.

F. HYACINTUS DU MONT
Mag. & Provincialis.

PRO-

PROPOSITIONES

BAJI 79.

ANno reparatę salutis 1567. prima Octobris Propositiones 79. *Michaelis Baji* Doctoris Lovaniensis proscriptæ sunt a *Pio* V. Pontifice Maximo, nuper a *Clemente* XI. (quem Deus Ecclesię suę diu sospitem conservet)* augustissimo ritu in Album *Sanctorum* relato. *Anno* 1567.

Sed juvat prius Baji vitam lustrare. Vita Michaelis Baji.

Michael Bajus Melini in territorio Athensi anno 1513. *natus, cum primum per ætatem licuit, litteris & studiis melioribus se dedit. Lovanium veniens in Porcensi ibidem Gymnasio biennalem cursum emensus, inter Philosophiæ candidatos anno* 1535. *tertium locum obtinuit. Hinc Collegii Pontificii alumnus ea modestia, morumque gravitate inter Contubernales suos per totum quinquennium vixit, ut qui flandonica domui praeesset dignior inventus sit nemo. Hic Triennio rexit, solidoque inde sexennio Philosophiam docuit pari fructu & laude.*

Anno 1545. *Theologiæ Laurea insignitum Pontificium Adriani* VI. *Collegium Præsidem accepit:* Carolus V. *sacrarum litterarum Professorem constituit: Academia doctorali purpura anno* 1550, 21. *Junii donavit. Eximiam laudem doctrina partam cumulabant singularis morum facilitas, & hilaris natura comitas. Omnibus affabi-*

* Obiit Clemens XI. XIV. Kal. April. 1721. Pontificatus sui anno 20., & mens. 3. expletis.

affabilis benigne audiebat omnes, benevole respondebat omnibus. Tot dotibus exornatus voluntates & studia hominum ita ad se attrahebat, ut Principibus etiam Viris, in his Joanni Austriaco Belgii Proregi hospitio a se in Pontificio Lovanii Collegio sæpius excepto gratus semper extiterit.

Ad Concilium Tridentinum, cujus & finem spectavit, una cum Cornelio Jansenio postea primo Gandavensium Episcopo, & Joanne Hesselio a Philippo secundo Principe nostro missus egregium ingenii, doctrinæ, ac pietatis in celeberrimo Christiani orbis Theatro specimen præbuit. Lovanium, absoluto Concilio, reversus, anno 1575. Joanne Molinæo vita functo, ecclesiæ Collegiatæ D. Petri Decanus, & triennio post Privilegiorum Academicorum Conservator eligitur. Ea in dignitate constituto de morum modestia puero ingenita, de victus temperantia, quæ in eo semper viguit, de pietate, quæ pia meditanti, & sacris quotidie operanti frequenter excussit lacrymas, nihil decessit. Eodem anno (cum umbra fugientem sequeretur) honores declinanti ultro oblatus est illustris Academiæ Lovaniensis Magistratus, vulgo Cancellariatum vocant. Illum per annos quindecim summo omnium applausu exercuit: in sacrarum litterarum, quas annos quadraginta publice interpretatus est, Patrumque lectione assiduus erat, è quibus cum præclarissimum illud Ecclesiæ sidus D. Augustinum noniès totum evolvisset, invenit tamen quod ruminaretur.

Anno 1577. Philippum Marnixium S. Aldegundi Dominum alterum istius seculi Tanchelinum si opiniones ejus in rebus fidei spectes, Eucharistiam ore sacrilego proscindentem, validissimarum rationum pondere prostravit.

Anno 1582. Bajus argumenta dissolvit, quibus Antuerpienses suadere satagebant Belgis esse licitum jurejurando se obstringere ad obediendum Duci Alenconio abdicata, quæ Regi Hispaniarum debebatur, obedientia. Eam in rem litteras scripsit doctori Petro Castillo, qui istius argumenti formulam cum argumentis Antuerpiensium ad ipsum transmiserat. Tandem Bajus vita fungitur decima sexta Septembris 1689, annos natus

77. Fa-

77\. *Facultates suas moriens pauperibus testamento legavit* Collegio *Lovanii sub Patrocinio S. Augustini exstructo. Ejus virtutes oratione funebri prosecuti sunt Joannes Bernartius Mechliniensis* J.U.D. *& Jacobus Bajus fratris filius Doctor itidem Theologus, qui & monumentum eidem in sacello* Collegii *Pontificii, cui ille præfuerat, poni curavit.*

Scripsit de meritis operum libros 2.

De Sacramentis in genere contra Calvinum.

De forma Baptismi. Lovanii simul hæc sunt edita 1565. 8. apud Joannem Bogardum.

De libero hominis arbitrio lib. 1.

De Charitate, *Justitia, & Justificatione, libros* 3.

De Sacrificio lib. 1.

De peccato Originali lib. 1.

De Indulgentiis lib. 1.

De oratione pro defunctis lib. 1. omnia ibidem impressa 1566.

Responsionem ad quæstiones Philippi Marnixii de ecclesia Christi, & Sacramento altaris. Ibidem typis Petri Zangry 1579. 8.

Apologiam pro responsione contra objectiones ejusdem de veritate corporis Christi *in Eucharistia* ibid. 1581. & cum aliis pro eadam responsione apologiis Coloniæ 1583. 8.

Epistolam ad Doctorem *P.* Castillo *de juramento jussu Ducis Alenconii Antuerpiæ in prætorio concepto, & comprobato die* 12. *Aprilis* 1582. Hæc Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica, Aubertus Miræus, aliique.

Tantus tamen, ac talis vir & errare potuit, & erravit, ut liquet ex propositionibus statim recensendis per constitutionem S. Pii V. damnatis.

S. PII V. PONTIFICIS CONSTITUTIO.

Adversus Articulos vulgò BAJANOS.

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei.

EX omnibus afflictionibus quas in hoc loco a Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipue excruciat dolor, quod Religio Christiana tantis jam pridem turbinibus confli&etur, Christique populus antiqui hostis suggestione distectus, in alios atque alios errores passim, & promiscue deferatur: Quantum vero ad Nos attinet, totis viribus conamur, ut illæ simul atque prosiliunt, penitus opprimantur: magno enim mœrore afficimur quod plerique, spectatæ alioquin probitatis, & doctrinæ, in varias sententias offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorumpunt; deque eis, etiam in Scholis invicem controversantur; cujusmodi sunt sequentes.

Propositiones Baji.

1. Nec Angeli, nec primi Hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseveraſſet uſque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Pri-

7. Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturæ sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia; sed quia secundum usum Scripturæ nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per *Jesum Christum* male merentibus, & indignis conferuntur, ideo neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ, peccato dimisso, sæpe remanet, & corporis resurrectio, proprie non nisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod piæ, & juste in hac vita mortali usque in finem conservati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est, neque in hac distributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cœlestis meritorium.

13. Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sint conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; sed in eo solum, quod obedit divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Catechumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate Personæ operantis non traxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omnem peccatum meretur pœnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Romanos 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, qui Christum viam & ostium veritatis, & vitæ negant: sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum in viam justitiæ

(hoc

(hoc est, ad quem justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sicut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta, & sincera, quæ ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, ~~quam in~~ pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Catechumenus juste, recte, & sancte ivvt, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator; vana est, & commentitia, & ad illudendum Sacris Litteris, & plurimis Veterum testimoniis excogitata.

35. Omne quod agit peccator: vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elevationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis: sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est

operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum Sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum Absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum est vera justificatio; separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt, obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missę non alia ratione est Sacrificium quam generali illa, qua omne opus, quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum Originis verè habet rationem peccati sine ulla ratione, ac respectu ad voluntatem a qua orginem habuit.

48. Peccatum Originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & legi Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem,

thorem, & omnes posteros eo modo inficere possit quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse: falsò tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt; Actus, & reatus, transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus, sive obligatio ad pęnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis Absolutione propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pęnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum, & resuscitat: ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant, (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per Passiones Sanctorum in Indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta; sed per communicationem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pęnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariàm impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero quantum ad certum quemdam modum; videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam

fariàm bonum, vel quia ex objecto, & omnium circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem: alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis; alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65. Non nisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.

68. Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere Legem.

70. Homo existens in peccato mortali sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen extrà casum necessitatis, aut martyrii sinè actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & Martyres,

tyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali; hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

78. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, Primum Hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali.

Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint, in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes, respective, ac quæcumque super iis verbo, scriptoque emissa, præsentium auctoritate damnamus, circumscribimus, & abolemus; deque eisdem, & similibus posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, & disputandi facultatem quibuscumque interdicimus. Qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis & officiis perpetuo privamus, ac etiam inhabiles ad quæcumque decernimus: Vinculo quoque anathematis eo ipso innodamus, à quo nullus Romano Pon-

tifice

tifice inferior valeat ipsos, excepto mortis articulo, liberare. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ damnationis, circumscriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati, privationis & innodationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si Quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum. An. Incarnationis Dominicę Millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kalendis Octobr. Pontificatus Nostri anno secundo.

Constitutio hæc, dum *Pius* V. vixit, majoris lenitatis gratia, nulla ad *Bajum* directione facta, Scholæ Theologicæ Lovaniensi prælecta est a *Maximiliano Morillon* Vicario Generali *Cardinalis Granvellani* Archiepiscopi Mechliniensis, cui illius diplomatis executio a *Pio* demandata fuerat.

Motis deinde Constitutionis illius causa in Universitate discordiis, & interim Sanctissimo Pontifice vita functo, confirmata est Bulla Piana a *Gregorio* XIII. ejus successore anno 1579. 24. Januarii, atque ad *ipsum Bajum* 1580. 21. Martii delata a *Francisco Toleto* Societatis Jesu Presbytero Doctissimo, ac Religiosissimo, tunc Concionatore Pontificio, postea S. R. E. Cardinali. Hic Bajum ob opinionibus illis removere studuit, eum cohortatus, ut Sedis Apostolicæ judicio acquiesceret, quod a viro pio æquè ac erudito facile obtinuit.

Sic vero hac de re fasti Academici impressi anno 1650. pa. 369.

„ Die itaque dicto ad 12. Kalend. Aprilis, hora „ antè meridiem decima in frequentissimo Conven„ tu, atque consessu omnium & singulorum, Pro„ fessorum, Licentiatorum, Baccalaureorum, cæ„ terorumque studiosorum Sacr. Theologiæ, ingres„ sus Scholas Theologicas *D. Franciscus Toletus*, „ comitantibus eum ac deducentibus honoris cau„ sa MM. NN. *D. Bajo*, *Cornelio Reineri*, *Gan*„ *dano*, *&* *Henrico Gravio*, ac conscensa Cathe„ dra, cum eadem fere narrasset, quæ antea co-

„ ram

„ tam Magistris S. Theologicam facultatem re-
„ præsentantibus dixerat, jussit per Universitatis
„ Notarium *Conrardum Sylvium* litteras primum
„ Credentiæ ad eosdem Sacr. Theologiæ Doctores
„ datas, deinde ipsam Bullam clara, & intelligi-
„ bili voce recitari, quibus lectis, convertit se ad
„ D. Michaelem de Baji, petiitque ex eo, *annè co-*
„ *gnoscere & damnari in Bulla multos articulos, qui*
„ *in aliquot ejus libellis prius editis continerentur,*
„ *etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur?*
„ Quo agnoscente, & credente quod sic: rogavit
„ eum deindè, *annè eosdem, & reliquos ibi con-*
„ *tentos damnaret*, tum ille, *damno*, inquit *se-*
„ *cundum Bullæ ipsius intentionem, & sicut Bulla*
„ *damnat*. Deinde Præfatus D. *Franciscus* ad reli-
„ quos Doctores Theologos conversus, interrogavit,
„ *annè eosdem articulos omnes damnarent, & Bul-*
„ *lam reverenter susciperent?* Qui uno ore omnes re-
„ sponderunt se eos articulos damnare, & Bullam
„ religiosè habituros, atque observaturos. Eadem
„ fuit responsio Licentiatorum, Baccalaureorum,
„ & studiosorum: omnesque consona voce concla-
„ marunt. *Articulos damnamus, Bullam reverenter*
„ *suscipimus, atque obedientiam pollicemur.*

Illas damnas Bajus.

Fertur Cardinalis Toletus ea occasione dixisse, & sæpius iterasse. *Magis humilem Michaele Bajo, ac doctiorem vidi neminem.*

Utinam eximiam Baji submissionem sectata fuisset posteritas: non tot dissidia, turbæ, procellæ cum in infelix nostrum Belgium, tum in Gallias sese effudissent.

Turbæ exortæ, ob damnatas Propos. Baji.

Ad refrænandam plurium utriusque Pontificis censuræ obstrepentium audaciam, opus fuit, ut & Baji Propositiones feriret *Urbanus* VIII. per Bullam *in Eminenti* emanatam 6. Martii 1641.

At hæc nequivit eos à Doctrina Baji avellere: eo usque proruperunt, ut Bullam istam, quia sibi refragabatur, contenderint esse *subreptitiam*, quod damnavit *Alexander* VIII. 7. Decembris 1690.

Sed neque sic lues exterminata est, jam statim prodeunt centum propositiones & una, ictæ vaticano

ful-

fulmine a *Clemente* XI. moderno Pontifice, in quibus videre est jam ter damnatas *Baji* assertiones magna ex parte instauratas. Verum de his infrà ad annum 1713.

Progrediamur modo ad Præfatas Propositiones à Doctore Angelico, ut demonstrare conabimur, prædebellatas.

Pro majori perspicuitate & ordine, eas dividemus in materias, quas *D. Thomas* tractat in sua Summa.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa materiam, quæ traditur in prima parte.

De integritate Primi hominis.

PROPOS. DAMN.

I. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*. Est in ordine Bullæ 78.

2. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in Consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*. Est 21.

3. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito super conditionem naturæ fuisse exaltatum, ut fide, spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret*. Est 23.

4. *A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei filium adoptatus*. Est 24.

5. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*. Est 26.

D. THO.

D. THOMAS I. P. quæstione 86. art. 5. ad 1, *corpus hominis antè peccatum immortale fuit non per naturam, sed,, per Gratiæ Divinæ donum.* „

Et in 2. dist. 19. quæst. 1. art. 4. *immortalitas, quam homo habuit in primo statu, non inerat sibi ex sui Principiis, sed „ ex beneficio Conditoris.* „

Nec ab Angelico magnus dissidet Augustinus; *Posse non mori*, inquit lib. 6. de Genes. ad litteram cap. 25. *Adamo præstabatur de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis ergò erat conditione corporis, immortalis autem beneficio* Conditoris. Ruit igitur propositio prima.

Quantum ad quatuor alias, sic Angelicus 1. p. qu. 95. art. 1. *Homo & Angelus æqualiter ordinantur ad gratiam; sed Angelus est creatus in gratia: dicit enim Augustinus lib. 12. de civit. Dei, quod Deus erat in eis condens naturam, & largiens gratiam: ergo & homo fuit creatus in gratia:* Proindè humanæ naturæ sublimatio, & in consortium divinæ naturæ exaltatio (quæ est à Gratia) non fuit debita integritati primæ Conditionis: Gratia enim non debetur, sed gratis confertur, *alioquin gratia jam non esset gratia* ad Rom. 11. hinc simul tres aliæ refelluntur propositiones, quæ in idem fermè redeunt. Vide infrà ad annum 1713. titulo *de gratia Adami.*

PROPOS. DAMN.

6. D*Eus non potuisset ab innitio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.* Est 55.

7. *Falsa est Doctorum sententia primum hominem potuisse a Deo creari sine justitia naturali.* Est 79.

D. THOMAS in 2. sent. dist. 31. quæst. 2. art. 2. ad 3. *Poterat Deus à principio, quandò hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicet mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens, in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ* (seu corporis) *consequitur.* Potuit igitur Deus talem creare hominem, qualis nunc nascitur, intellige *mortalem &c.*

non

non enim creare eum cum culpa originali, *sicut nunc nascitur*.

Cur etiam homo a Deo condi non potuit sine justitia naturali, vere *supernaturali? homo* enim, inquit S. Doctor, *fuit creatus in gratia*. gratia autem nulli debetur, ut statim vidimus, itaque *sine illa* creari potuit.

Dari potuit status naturæ puræ.

Quidni igitur creari etiam potuit in statu *naturæ puræ*? potuit enim condi *sine gratia*, potuit condi *mortalis & passibilis & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens*. Condi itaque potuit in *puris naturalibus*. Verum quidem est, *statum illum* ab *Augustino* adversùs Pelagianos constanter, & invicte fuisse oppugnatum: sed circa hoc accurate notandum est, quod Pelagiani statum illum naturæ puræ reipsa à Deo conditum esse teste *Jansenio* lib. 1. de statu naturæ puræ cap. 1. profitebantur, in eoque dogmate errores suos, ac Hæreses tamquam in primo principio fundabant, exinde peccatum Originale, & gratiam Christi Salvatoris rejicientes, ac vires liberi arbitrii extollentes.

Quia vero *Augustinus* totus fuit in astruendo peccato Originali, & in asserenda necessitate gratiæ Christi Salvatoris; ideo totus etiam fuit in oppugnando, & evertendo dogmate illo Pelagii: *Primum hominum reipsa & de facto conditum fuisse in puris Naturalibus; & infantes recenter natos esse in eodem statu, in quo fuit Adam antè Prævaricationem*: id est, ut ipsi volebant in statu Naturæ puræ.

Statum illum, in quo de facto *Adam* fuisset conditus, & in quo de facto omnes homines nascerentur, *Augustinus* adversùs *Pelagianos* actualis status naturæ puræ fabricatores, non ipsam possibilitatem status, qui nunquam fuerat, ex utriusque testamenti Scripturis, quas teste eodem S. Patre lib. *de bono perseverantiæ* admittebant, omnibus fuit viribus aggressus, & profligavit.

Quod autem ad possibilitatem dicti status attinet; eam *Augustinus* non solum Deo non denegavit, verum etiam agens contra *Manichæos*, qui respuebant Scripturas veteris testamenti, & teste eodem *Augustino*,

stino, Scripturas novi testamenti corruptas dicebant, illam manifeste admisit. Verba *Augusti* sunt hæc sequentia non semel nec iterum, sed tertio allegata: in primis lib. 3. *de Libero Arbitrio* cap. 24. lib. 1. *retract.* cap. 9. & lib. *de bono Perseverantiæ* cap. 11. *Quamvis ignorantia, & difficultas* (carnis) *essent homini Primordia naturalia, nec sic culpandus, sed laudandus esset Deus.*

Pugna tamen carnis non fuisset tam acris, & vehemens, ac illa, quæ modo est, quæque ex Peccato originali, ex luctuoso isto fomite (qno tam dirè torquetur genus humanum) profluit, potuissetque illius status concupiscentia facile cum auxilio Creatoris tunc Homini secundum legem naturæ viventi non defuturo intra fines rationis moderatricis imperio præscriptos contineri.

Quod si dicas hominem in tali statu non potuisse pervenire ad beatitudinem supernaturalem, seu Claram Dei visionem, quam tamen naturaliter appetit.

Respondeo eum pertingere potuisse in tali Hypothesi ad beatitudinem naturalem, Dei scilicet ut authoris naturæ Cognitionem, & Amorem naturæ compoti rationis proportionatum: unde homo non appetit secundum sua naturalia Beatitudinem supernaturalem, ut constat ex Angelico in 2. dist. 23. q. 1. art. 4. Quæstiunc. 3. *in omnibus quæ agunt propter finem oportet esse inclinationem ad finem, finis autem ad quem* (modo) *divina largitas hominem ordinavit scilicet fruitio ipsius, est omnino supra facultatem naturæ creatæ elevatus quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se, ut dicitur 1. Corinth. 2. unde per naturalia tantum homo non habet sufficienter inclinationem ad illum finem.*

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa materiam, quæ tractatur in prima secundæ.

De Libertate.

PROPOS. DAMN.

1. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessariò fiat, liberè tamen fit.* Est 39.

2. *Sola violentia repugnat Libertati Hominis naturali.* Est 56.

D. THOMAS in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 2. *ad libertatem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere possit, „ vel non facere „.* Quod vero quis voluntariè facit, si necessariò id facit, illius oppositum facere non potest. Unde ruit propositio prima. Hinc amor beatificus, cum in eo sit felix amandi necessitas, *propriè liber* dici nequit, quod tamen Bajus asseruit, Dum enim lib. *de Libero Arbitrio* cap. 4. ait *Angelos felici quadam necessitate constrictos Deum, atque justitiam immobiliter diligere*, posteà cap. 6. eosdem *Liberrimos vocat, etiam in eo, quod justitiam diligunt.*

Ad *secundam* sic Angelicus contra Gentes, cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle vel non velle* (quod Dominium est de ratione libertatis) *excludit determinationem voluntatis „ ad unum „. & violentiam causæ exterius agentis.* Non igitur sola *Violentia*, seu coactio repugnat Libertati Hominis naturali, sed præter exclusionem Violentiæ, seu immunitatem à *Coactione* (ut ordinariè loquuntur) requiritur etiam immunitas à *Necessitate*, seu determinatione *ad unum*.

PROPOS. DAMN.

3. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Est 67.

4. *Is Libertatis modus, qui est à necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis à peccato.* Est 41.

D THO-

D. THOMAS qu. 6. de malo, *hac positio* tertia *tollit rationem meriti, & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel „ Demeritorium „ quod aliquis sic „ ex necessitate agit quod vitare non possit „*. Proindè ruit hæc tertia. De hac latius infra ad tertiam *Jansenianam*.

Quoad *quartam*, illam facultas Theologica Lovaniensis refutat apud *Steyaertium* pag. 173. „ Quod verò ad „ ipsum pertinet libertatis vocabulum; neque id verum est, eum libertatis modum, qui à necessitate „ est, non repetiri in Scripturis sub nomine libertatis; sed solùm à peccato libertatis nomen. Ubi enim „ Paulus ait *subintroisse falsos fratres ad explorandam* „ *ipsorum libertatem quam habebant in Christo Jesu*, „ eam libertatem significat, quæ est a necessitate, „ nec tantum libertatem à peccato, quæ interior & „ coram Deo est: sed exteriorem illam à necessitate „ observandæ Circumcisionis, cæterorumque servilium „ operum Moysaicæ Legis: quemadmodum eum locum Veteres & Græci & Latini interpretati sunt; „ usque adeò ut præter eam libertatem, quæ est à „ necessitate naturæ, ex qua liberum arbitrium propriè nominatur, & illam, quæ est à violentia seu „ coactione, agnoscenda sit non solum libertas à peccato, quæ Sanctis Dei hominibus Veteris Legis tempore non defuit, sed etiam libertas quædam Evangelica a jugo tam gravium tamque multiplicium „ cæremoniarum: qua libertate & ii nunc per Christum fruuntur, qui tamen peccato servire non desinunt. *Ad Gal. 2.*

De peccato in genere, & peccato originali,

PROPOS. DAMN.

1. AD *Rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium: nec definitionis quæstio est, sed causæ & originis, utrùm omne peccatum debeat esse voluntarium*. Est 46.

2. *Unde peccatum originis verè habet rationem pec-*

cati sine ullà ratione, ac respectu ad voluntatem, à qua Originem habuit. Est 47.

3. *Peccatum Originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium*. Est 48.

4. *Et ex habituali voluntate Dominante fit, ut parvulus discedens sine regenerationis Sacramento, quandò usum rationis consecutus erit actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & Legi Dei repugnet*. Est 49.

D. THOMAS 1.2, q. 74. art. 3. in corp. *in voluntario consistit ratio peccati*. Quod repetit infinitis in Locis.

D. Thomæ suffragatur Celeberrimum Augustini effatum. *Peccatum adeò est voluntarium, ut si non sit voluntarium non sit peccatum*. Unde illud dogma apud Theologos commune est.

Hinc peccatum originis verè habet rationem peccati, quia „ *Est voluntarium voluntate primi parentis* „ 1. 2. q. 81. 1. in corp.

Et ita est voluntarium voluntate primi parentis, ut non sit voluntarium *Propria* ipsius parvuli voluntate, seu *habituali*, seu actuali; sed tantum sit voluntarium voluntate Adami, in quo tamquam in Capite totius humani Generis voluntas continebatur. Id egregiè more suo explicat Angelicus articulo præcitato. *Homines ex Adam derivati sunt tamquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ, quæ primò movet membrum; undè homicidium, quod manus committit, non imputaretur manui ad peccatum, si consideraretur manus secundum se, ut divisa à corpore, sed imputatur ei in quantùm est aliquid hominis, quod movetur à primo principio motivo hominis. Sic igitur inordinatio,* seu culpa originalis, *quæ est in homine, non est voluntaria,„ Voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motione Generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum*.

Quantum ad propositionem *quartam*, sic pag. 117.

Steyaert.

Steyaertius in Prop. Damnatas. *Exedit ista exageratio voluntatis habitualis in parvulo non baptizato: quasi nimirum per illam parvulus ita comparatus sit, ut mox ac utitur ratione, prorumpat in actuale Dei odium, ejusque blasphemiam; caeteraque id genus horrendissima & omnium gravissima peccata: quod nemo alius umquam finxit. Adversam à Deo voluntatem gerat ille; sed ad Dei odium, ejusque blasphemiam, ut mox prorumpat, quid necesse?*

PROPOS. DAMN.

5. O*Mnes omninò afflictiones justorum sunt ultiones peccatorum ipsorum, unde Job, & Martyres; quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.* Est 72.

6. *Nemo præter Christum, est absque peccato originali: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.* Est 73.

D. THOMAS. 2. 2. q. 64. art. 1. ad 4. *Pœnalitates,* seu afflictiones *diversimodè in diversis inveniuntur . . . . . vel propter remedium salutis ejus, qui hujusmodi pœnalitatibus subditur, ut scilicet per hoc à peccatis arceatur: aut etiam „ de virtutibus non superbiat, & per patientiam coronetur „.* Non igitur omnes justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum. Hæc D. Thomæ verba perpendant, rumineritur, sibique in consolationem applicent illi, quos agitat concatenata malorum series. Vide etiam infra Propositiones *Quesnel* titulo *de afflictione innocentis.*

Præterea quoad hanc; & *sextam, damnatur hæ propositiones,* ait Suarez citatus ab eximio *Steyaertio* pag. 117. *Quia in primis temerè in iis dictum est, omnes afflictiones justorum, & Martyrum fuisse ultiones peccatorum suorum. Deinde quia in hoc æquiparatur B. Virgo cæteris Sanctis, & quidem quasi in dubium revocando, an non habuerit peccatum actuale. Non autem damnatur hæc propositio propter nudam assertionem de Conceptione Beat. Virginis in originali peccato.*

PROPOS. DAMN.

7. *Omne scelus ejus est conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio*. Est. 52.

8. *Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus*. Est 53.

D. THOMAS 1. 2. q. 18. art. 1. in corp. *peccatum primi parentis est peccatum Naturæ .... corrumpens totam Naturam humanam*. art. 2. ad 3. Aliorum vero, seu *alia peccata sunt*,, *purè personalia*; ideoque *non traducibilia*,,; seu infectiva; hinc fuit propositio *septima*.

Octava supponit Concupiscentiam, seu fomitem peccati, qui ex culpa Originali profluit, non esse, quantum est ex *vi transgressionis, in omnibus æqualem*, sed unum cum minoribus *ex vi illa* nasci vitiis, alium cum majoribus.

At hoc refellitur 1.2.q.82.art.4. ad 1. *Quod unus homo sit pronior ad concupiscendum, quam alter, hoc non est ratione peccati originalis, cum in omnibus*,, *æqualiter*,, *solvatur vinculum* Originalis *Justitiæ*, &,, *æqualiter*,, *in omnibus partes inferiores animæ sibi relinquantur: sed accidit hoc ex diversa dispositione potentiarum*.

De Concupiscentia, & ejus Motibus.

PROPOS. DAMN.

1. *Prava desideria; quibus ratio non consentit & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto* non concupisces. Est 50.

2. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia*. Est 51.

3. *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu Hominis vitiati, prohibiti præcepto* non concupisces. *Unde homo eos sentiens & non consentiens transgreditur præceptum, quamvis transgressio in peccatum non deputetur*. Est 75.

4. *Quam*

4. *Quam diù aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum* diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Est 76.

5. *Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi*. Est 74.

D. THOMAS 2.2.q.122. art. 6. ad 3. *per præcepta prohibitiva concupiscentiæ non intelligitur prohiberi primus motus concupiscentiæ*, adeoque non prohibentur præcepto *non concupisces* prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, illa enim sunt primus motus concupiscentiæ.

Quid igitur prohibetur per illud præceptum *non concupisces? prohibetur*, inquit Angelicus ibidem immediate, *directè consensus voluntatis, qui est in opus, vel delectationem*. Proindeque adversus illud præceptum non impingit homo, dum illos motus invitus, & non consentiens patitur, *frustra dictum est*, inquit Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. post concupiscentias tuas non eas: *si jam quisque reus est, quia tumultuantes, & ad mala trahere nitentes sentit eas.* Eccle- siastici 18. Hinc patet responsio ad tres priores Propositiones. Porrò circa illa verba tertiæ assertionis, *quamvis transgressio in peccatum non deputetur*: rectè *Steyaertius* pagina 120. sequentia observat: *iste modus loquendi non poterat fidelium aures non offendere ex quo sectarii eadem phrasi hæreses quasdam suas exprimere consueverant*.

Propositio *quarta* manifestam patitur instantiam in Apostolo. Nonne ille præceptum *de diligendo Deo ex toto corde*, implevit? ille, inquam, totus divino amore exæstuans? quoties tamen gravissimis carnis stimulis exagitatus non exclamavit, *sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*! potest igitur aliquis legem dilectionis vere adimplere, etiamsi sit in diligente stimulus carnis, qui relinquitur in homine *propter spirituale exercitium, ut videlicet contra concupiscentiam pugnans victoria coronam accipiat*. 3. par. quæst. 68. art. 3. in corp.

Quoad *ultimam*, notanda sunt verba D. Thomæ 1. 2. quæst. 78. art. 2. in corp. *Potest contingere*,

inquit, *quod aliquis habens habitum vitiosum prorumpat in actum virtutis: eò quòd ratio non totaliter corrumpitur per malum habitum . . . . sed quandocumque aliquis utitur habitu vitioso, necesse est; quod peccet*. Sic igitur & ille, in quo concupiscentia jam dominatur, seu qui *habitu isto* Libidinis jam involutus est, potest interdum prorumpere in actum virtutis, potest sistere libidinem, seque ipsum refrænare: quod si tamen vitioso utatur habitu Prædominanti cedens cupiditati, tunc reverà peccat. Et quia plerumque in peccato carnis, cui quis per habitum alligatus est, vitia quasi profunduntur, ideò *concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur*, isto sensu *peccatum est*, quod proportionabiliter de *aliis* etiam *habitibus pravis* dici potest, ipsa tamen concupiscentia *habitualis*, aliique habitus in se sumpti, dummodò non exerant se in actum, *propriè* loquendo peccata non sunt. Nonne è contra talibus immersi habitibus nonnulli ingenti nisu, cura, molimine, conglomeratisque viribus, miserante & opitulante Deo, ex istis eluctantur?

De peccato veniali.

PROPOS. DAMN. UNICA.

Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Est 50.

D. THOMAS 1. 2. quæst. 88. art. in corp. *Quandoque voluntas peccantis fertur in id, quod in se continet quandam inordinationem; non tamen contrariatur dilectioni Dei, & proximi, sicut verbum otiosum, risus superfluus, & alia hujusmodi, & talia sunt „peccata venialia ex suo genere"* Datur igitur peccatum ex natura sua veniale.

De Legibus, seu Præceptis Divinis.

PROPOS. DAMN. UNICA.

Definitiva hac sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cum Pelagii sit. Est 54.

Cum

Cum Bajus afferat hanc non esse *Augustini*, sed *Pelagii* sententiam, en celebratissima sancti Doctoris verba lib. de natura & gratia cap. 43. & lib. 2. de pecc. merit. cap. 6. „ *Deus impossibilia non jubet* „. Vide infra latiùs ad primam *Jansenianam*.

Magno Augustino suffragatur D. THOMAS fidelissimus ejus & interpres & sectator q. 24. de veritate art. 14. ad 1. *illud, quod præcipit Deus*, „ *non est impossibile homini adservandum*.

De operibus factis sine gratia.

PROPOS. DAMN.

1. *Liberum Arbitrium sine Gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*. Est 27.

2. *Omnia infidelium opera sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia*. Est 25.

3. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut Laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Est 38.

4. *Distinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur ut author naturæ, & Gratuiti, quo Deus amatur, ut Beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris litteris, & plurimis Veterum testimoniis excogitata*. Est 34.

5. *Amor naturalis qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur à nonnullis Doctoribus*. Est 36.

6. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit*. Est 37.

7. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit & docet*. Est 65.

8. *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*. Est 28.

9. *Non soli fures ii sunt, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vita negant; sed etiam quicumque alium-*

aliunde quam per ipsum in viam justitiæ, (hoc est, aliquam justitiam) conscendi posse docent. Est 29.

10. *Aut tentationi ulli sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur; aut ab ea non superetur*. Est 30.

11. *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*. Est 35.

12. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti Cupiditati*. Est 40.

13. *Cum Pelagio sentiunt. qui textum Apostoli ad Romanos* 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt; *intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus*. Est 22.

D. THOMAS q. 24. de veritate art. 4. *Bonum quod est supra naturam, constat liberum arbitrum non posse sine gratia, quia per hujusmodi bonum homo vitam æternam meretur; constat autem quod sine gratia homo mereri non potest, „ Illud autem bonum quod est naturæ humanæ proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere „*. Falsum igitur est liberum arbitrium sinè gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valere, cum possit sinè gratia bonum naturæ humanæ proportionatum explere, seu quædam opera exercere *moraliter* bona.

Cumque & hoc possint infideles, consequenter omnia illorum opera non sunt peccata, nec Philosophorum Virtutes sunt vitia. Specialiter tamen hoc quoad infideles probatur ex Angelico 22. q. 10. art. 4. in corpore. *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter corrumpit bonum naturæ, undè cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum naturæ. Unde manifestum est, quod infideles non possunt operari opera bona, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, operari possunt: undè „ non oportet, quod in omni suo opere peccent „*.

Hinc omnis amor creaturæ rationalis non est aut vitiosa cupiditas. qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus ama-

amatur, mediat enim amor boni honesti non extinctus, sed vel in Gentilibus residuus, quo illi V. G. vel parentes diligunt, vel misericorditer feruntur in pauperes. Is non vitiosa est cupiditas, cum sit actus moraliter bonus, nec laudabilis illa charitas, cum non sit supernaturalis, nec ad vitam perducat æternam.

Vana proinde non est distinctio duplicis amoris, *naturalis* videlicet quo Deus amatur ut author naturæ (seu fons totius honestatis) & *gratuiti*, quo Deus amatur, ut Beatificator, nec defenditur cum injuria Crucis Christi à nonnullis Doctoribus.

Distinctionis illius etiam meminit Doctor Angelicus 1. ad Corinth. 13. 4. *Amor*, inquit, *est quadam vis unitiva, & omnis amor in unione quadam consistit. Unde secundum diversas uniones diversæ species amicitiæ distinguntur. Non autem habemus duplicem conjunctionem cum Deo. Una est quantum ad Bona naturæ, alia quantum ad Beatitudinem. Secundùm primam communicationem ad Deum, est amicitia naturalis. Secundum verò communicationem secundam est amor charitatis.*

Ex Dictis patet responsio ad propositiones reliquas.

De peccatoribus cum & ipsi nonnulla opera naturaliter seu moraliter bona exercere possint, conformiter ad infideles loquendum est.

Nec est difficultas circa *nonam*. Sanè aliundè etiam quam per Christum conscenditur in viam *justitiæ*; non *supernaturalis* (hoc enim foret impium, & Pelagianam saperet hæresim) sed *naturalis*.

Quidni etiam homo sinè gratiæ adjutorio *levi* queat tentationi resistere? *Homo infirmus non potest quidem perfectè moveri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ, potest tamen per seipsum aliquem motum habere*. 1. 2. q. 109. art. 2. in corp. Sic & liberum arbitrium quod per peccatum originale debilitatum, & infirmatum est, non potest sine medicinalis gratiæ auxilio graves superare tentationes, valet tamen per seipsum leves. Vide infrà Propositiones *Quesnel* sub *eodem* titulo.

De

De Justitia, seu Iustificatione.

PROPOS. DAMN.

1. *Justificatio impii fit formaliter per obedientiam legis non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificatos faciat implere legem.* Est 96.

2. *Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia Mandatorum, quę est operum justitia, non autem in gratia aliqua animæ infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ Naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus deinceps benè vivere, & Dei mandatis obedire possit.* Est 42.

3. *In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, & in Catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio, separata tamen à remissione peccatorum.* Est 43.

4. *Illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per spiritum Charitatis inhabitantem, alterius, quę fit ex inspiratione quidem Spiritus sancti cor ad Pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua Divinæ legis justificatio impleatur, rejicitur.* Est 63.

5. *Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius qua vivificatur peccator, dum ei pœnitentia, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minimè congruens.* Est 64.

D. THOMAS 1. 2. q. 113. art. 1. in corp. *Respondeo dicendum, quòd homo peccando Deum offendit. Offensa autem non remittitur alicui, nisi per hoc quòd animus offensi pacatur offendenti, & ideò secundùm hoc peccatum nobis remitti dicitur, quòd Deus nobis pacatur. Quæ quidem pax consistit in dilectione, qua Deus diligit nos . . . effectus autem divinæ dilectionis in nobis, qui per peccatum tollitur, est gratia, qua homo fit dignus vita æterna, à qua peccatum morta-*

mortate excludit , & ideò non posset intelligi Remissio culpę , seu justificatio . „ *si non adesset infusio gratię .* Justificatio igitur fit per gratiam, quæ per eam justificatos faciat implere legem: adeoque non fit formaliter per obedientiam legis , cum talis obedientia non exerceatur nisi per gratiam , *qua homo consors factus Divinæ Naturæ adoptatur in filium Dei* 1. 2. q. 114 art. 3. in corp.

Undè justitia, qua justificatur impius, non consistit formaliter in obedientia mandatorum ; sed in „ *gratia adoptionis* „ : qua per Spiritum Sanctum renovatus benè viverè, & Dei mandatis obedire possit.

Porrò gratia illa adoptionis in filios Dei, seu justificatio nequaquam consistit cum peccatis. *Vocatur justificatio impii, qua aliquis transmutatur a statu injustitiæ per* „ *remissionem peccati* „ in statum justitiæ. 1. 2. q. 113. art. 1. in corp. unde justificatio non est separata à remissione peccatorum.

Quarta , & quinta propositio refellitur ex distinctione , quam statuunt Theologi inter Gratiam *Actualem*, qua homo interius excitatur, movetur , inclinatur ad benè operandum , & justificationem consequendam, & gratiam *habitualem*, qua homo justificatur, sanctificatur, Deo fit acceptus , & amicus, fit ejus filius, ac palmes vivus in vite Christo efficitur.

Porrò Gratiæ *actualis* , seu moventis , excitantis &c. ac *habitualis* meminerunt Sacræ Paginæ . Exprimitur illa Psalm. 58. *Misericordia ejus præveniet me :* & Apocal. 3. *Ecce sto ad ostium, & pulso :* hæc verò 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Deus , ut filii Dei nominemur & simus :* & ad Rom. 8, *ipse Spiritus reddit Testimonium spiritui nostro , quod simus filii Dei* . Quid sexcenta pro utraque gratia loca recenseam? sed nonne & Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. dicit , quod *attritio sit donum Dei & Spiritus Sancti impulsus ,* „ *non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis* „ ? Non igitur utraque distinctio rejicienda est.

De

De Bonorum operum meritis.

PROPOS. DAMN.

1. *Opera Catechumenorum, ut fides & pœnitentia antè remissionem peccatorum facta sunt vitæ æternæ meritoria, quam vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præcedentium delictorum impedimenta tollantur.* Est 18.

2. *Opera bona à filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei: sed tantum ex eo, quòd sunt conformia Legi, quodque per ea præstatur obedientia Legi.* Est 13.

3. *Ratio meriti non consistit in eo, quòd qui benè operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quòd obedit divinæ Legi.* Est 15.

4. *Opera justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerunt majorem valorem.* Est 19.

5. *Pelagii sententia est, opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est Regni cælestis meritorium.* Est 12.

6. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.* Est 17.

7. *Illa Doctorum distinctio divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantùm; altero quantùm ad certum quemdam modum, videlicet secundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium) commentitia est, & explodenda.* Est 61.

8. *Illa quoque distinctio, quæ opus dicitur Bifariàm bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium regni æterni, eò quòd fit à vivo Christi membro per spiritum Charitatis, rejicienda est.* Est 62.

9. *Quod piè, & justè in hac mortali vita usque in finem conservati vitam consequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio*

tio creationis constituta justo Deo judicio deputandum est: neque in hac distributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis Humani in qua Lege Naturali constitutum est: ut justo Dei judicio obedientia mandatorum vita æterna reddatur. Est 11.

10. *In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum*. Est 8.

11. *Operibus plerisque, quæ à fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant; cujusmodi sunt, obedire Parentibus, depositum reddere, ab Homicidio, à furto, à fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia & vera legis justitia, non tamen iis obtinet incrementa virtutum*. Est 44.

12. *Opera bona justorum non accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere*. Est 14.

D. THOMAS 2. 2. quæst. 2. artic. 9. in corpore: *actus nostri sunt meritorii in quantùm procedunt ex Gratia: &* 1, 2. quest. 114. art. 5. *Gratia est principium cujuslibet boni operis meritorii*: gratia verò nequaquam consistit cum peccatis, ut ad prop. 3. præcedentem mox vidimus: proindè opera Catechumenorum antè remissionem peccatorum non sunt vitæ æternæ merita, seu meritoria, supposita autem remissione peccatorum, sunt meritoria tum in his, tum in aliis ratione *gratiæ inhabitantis corda filiorum Dei*.

Unde perperam dicitur, quod bona opera facta à filiis adoptionis accipiant tantum rationem meriti, eò quòd sint Conformia legi: Principium enim & radix meriti est Gratia, ut statim ex D. THOMA collegimus, Suffragatur scriptura Joan. 1. *sicut palmes non potest ferre fructum, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis*: per Charitatem aut Gratiam.

Hinc ad meritum requiritur non solum opus bonum, sed etiam operantis dignitas, & excellentia ad statum amicitiæ, & filiationis Divinæ elevati.

Ex quo sequitur, opera justitiæ & temperantiæ, quæ Christus fecit], ex " *dignitate personæ operantis* " majorem traxisse valorem.

Nec

Nec ſententia requirens ad meritum dignitatem operantis, ita ut ille debeat eſſe in gratia, ſeu per gratiam adoptionis ſublimatus ad ſtatum Deificum, eſt ſententia *Pelagii*; illam tenet, & docet Scriptura ſacra loco citato, Angelicus, & omnis Torrens Theologorum, unanimiter ſex inter conditiones ad meritum requiſitas etiam *hanc* tanquam unam ex *Pracipuis* ſtatuentium *perſonam ſcilicet merentem debere eſſe in gratia conſtitutam*.

Poſſunt quidem mandata Legis impleri *quantùm ad præceptorum operum ſubſtantiam*, & exerceri opera *moraliter bona* ab illis, qui ſunt extra gratiam, ut ſupra titulo de *operibus factis ſine gratia* vidimus ex SS. Auguſtino, & Thoma, non tamen mandata ſecundùm certum quemdam modum videlicet ſecundùm quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc eſt *ad modum meritorium*) impleri poſſunt, nec exerceri *opera meritoria regni æterni ſine gratia*. Undè illæ ambæ diſtinctiones explodendæ, aut rejiciendæ non ſunt, utpote fundatæ in Præclariſſimis Eccleſiæ Doctoribus. Noviſſima verba ſunt Auguſtini adversùs *Julianum: per gratiam ſolùm poteſt homo ad æternum Dei donum, regnumque perduci*.

Hinc quod piè & juſtè in hac mortali vita uſque in finem converſati vitam conſequimur æternam, id certè non ordinationi naturali, qua ſtatim initio creationis conſtitutum eſt, ut juſto Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur, ſed propriè *Gratia Dei* adſcribendum eſt; omne enim opus meritorium profluit ex Gratia, per quam impletur *obedientia mandatorum*; præſertim verò *perſeverantia finalis* tot inter procellas felicem portum nacta. *Deus gratis perſeverantia bonum largitur, cuicumque illud largitur* 1. 2. q. 114. art. 9. Retinet quidem Perſeverantia vitam conſecuta æternam juſtæ retributionis rationem, ſed celeberrima verba Auguſtini ſunt. *Deus dum noſtra merita coronat, „ ſua dona coronat.* “

Non ſic tamen extollenda eſt Gratia; ut ſtatuamus nullum poſſe inveniri bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum, cum & juſti *mereantur augmentum Gratia* (1. 2. q. 114. art. 8. ad 3.)

Quæ

Quæ proinde non confertur *indignis*, sed *bonorum operum*, quæ exercent, *intuitu*.

Undè & iis obtinet *incrementa virtutum*.

Quoad propositionem ultimam, communis est Theologorum assertio, justorum merita à Deo præmiari *ultra condignum* ex effusissimo in filios suos amore, & liberalitate. Itaque opera bona justorum accipient in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

De meritis Angelorum, & primi Hominis.

PROPOS. DAMN.

1. *NEc Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia.* Est 1.

2. *Primi hominis integri merita fuerunt prima creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ non rectè vocantur gratia: quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.* Est 7.

3. *Dona concessa homini integro, & Angelo forsitan non improbanda ratione possunt dici gratia, sed quia secundùm usum Scripturæ sacræ, nomine gratiæ eam tantùm munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum malè merentibus, & indignis conferuntur, ideò neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.* Est 9

4. *Et bonis Angelis & Primo Homini, si in illo statu perseveraßent usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.* Est 3.

5. *Vita æterna homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum: & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.* Est 4.

6. *In promissione facta Angelo, & primo homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus sine alio respectu vita æterna justis promittitur.* Est 5.

7. *Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in quo mori non posset.* Est 6.

8 *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.* Est 2.

D.THOMAS 2. 2. q. 182. art. 2. *Radix merendi est Charitas*, sive gratia: quod etiam locum habet tum in Angelo, tum in primo homine. Probatur hoc primò de Angelo, 1. p. q. 62. art. 2. *Si aliquid sit supra naturam, voluntas id assequi non potest, nisi ab aliquo alio supernaturali principio adjuta: Beatitudo autem ultima excedit & naturam Angelicam, & humanam* art. 4. *& ideo dicendum est, quòd Angelus beatitudinem obtinere* seu mereri *non potuit nisi per auxilium gratiæ, quod est supra naturam*. Confirmatur illud ibidem ., *Angelus per gratiam beatitudinem meruit*,,. Et ad 2. ,, *Conversione naturali*,, *Angelus non meruit beatitudinem, sed conversione charitatis, quæ est*,, *per gratiam*.,,

Probatur id modò de primo homine 1. 2. quæst. 114. art. 2. in corpore: *Hominis sine gratia duplex status considerari potest. Unus quidem naturæ integræ, qualis fuit in Adam ante peccatum. Alius autem naturæ corruptæ, sicut est in nobis ante reparationem gratiæ. Si ergo loquamur de homine quoad primum statum, sic una ratione non potest homo mereri*,, *absque gratia vitam æternam per pura naturalia*,,: *quia scilicet meritum hominis dependet ex præordinatione divina: Actus autem cujuscumque rei non ordinatur divinitùs ad aliquid excedens proportionem virtutis, quæ est principium actus: hoc enim est ex institutione divinæ providentiæ, ut nihil agat, extra virtutem. Vita autem æterna est quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ ...... & inde est, quod nulla natura creata est sufficiens principium*,, *actus meritorii vitæ æternæ*, " *nisi superaddatur aliquod supernaturale donum*, " *quod gratia dicitur*,, . *Si verò loquamur de homine sub peccato existente, seu in statu naturæ corruptæ* (q. 109. art. 1. in corpore.) *Sic virtute gratuita superaddita virtutis naturæ indiget homo quantùm ad duo, scilicet ut sanetur, & ulteriùs ut bonum supernaturalis virtuti operetur, quod est meritorium*. Ex hoc clarissimo, solidissimoque D. Thomæ discursu totum harum propositionum systema evertitur. Probatur namque Adamum non potuisse mereri absque gratia vitam æternam, eò quòd vita æterna sit quoddam bonum excedens proportionem naturæ creatæ, Al unde tamen Gratia, quæ in *hoc statu*, intuitu merito-

meritoru Jesu Christi datur, specialior & major est, datur enim homini quantùm ad duo: primo scilicet *ut sanetur*; gravem quippe ei infirmitatem peccatum originale quoad voluntatem, intellectum & appetitum inferiorem inflixit: atque ideò gratia illa vocatur *medicinalis*; secundò datur, ut bonum supernaturalis ordinis operetur. Licet vero hæc *Gratia sit major*, illa tamen, quæ Adamo in statu naturæ integræ, & sanæ collata est (quæ idcirco appellatur gratia *sanitatis*) non desinit esse *vera Gratia*, utpote gratuitum Dei donum excedens proportionem naturæ creatæ. Hinc Augustinus (quem perperam Bajus suum in patronum allegat) dicit libro de correp. & grat. cap. XI. *Quid vero? Adam non habuit Dei*,, *gratiam?* ,, *imo verò habuit* ,, *magnam*,, , *sed disparem*, ut jam dictum est, nempe *sanitatis*. Item Enchir. cap. 106. ,, *sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset*,, .

Unde falsum est bona opera ex lege naturæ ad vitam æternam consequendam homini integro sufficisse, illamque ei & etiam Angelo fuisse promissam *intuitu bonorum operum*: Vita enim æterna, seu *Beatitudo ultima excedit* (ut vidimus) *& naturam Angelicam & humanam*: Adeoque utraque operibus viribus naturæ elicitis est illi adipiscendæ impar, & insufficiens.

Fefellit Bajum propositio hæc ultima, quæ videtur fuisse quasi aliarum basis: *Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic opus bonum ex natura sua est vitæ æternæ meritorium*. Sanè plura requiruntur ad bonum, quam ad malum: Ad hoc natura sibi sufficit: ad illud (opus meritorium) in merente radix, & principium merendi, quod est Gratia, requiritur ob rationes hic per totum allegatas.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa materiam, quæ traditur in secunda secundæ.

DE INFIDELITATE PROP. DAMN. UNICA.

I*Nfidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Est 68.

D. THOMAS 2. 2. q. 10. art. 1. in corpore *Infidelitas dupliciter accipi potest: uno modo secundùm puram negationem: ut dicatur infidelis ex hoc solo, quod non habeat fidem: Alio modo potest intelligi infidelitas secundùm Contrarietatem ad fidem: quia scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel etiam contemnit ipsam secundum illud Isai. 53. quis credidit auditui nostro? & in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & secundùm hoc infidelitas* (quæ dicitur *Positiva*) *est peccatum. Si autem accipiatur secundùm negationem puram; sicut in illis, qui* „ *nihil audierunt de fide* „ (quæ infidelitas indè dicitur *negativa*) „ *non habet rationem peccati* „, *sed magis pœna, quia talis ignorantia divinorum ex peccato primi parentis consecuta est.*

De Charitate.

PROPOS. DAMN.

1. P*Er contritionem etiam cum Charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non remittitur crimen extrà casum necessitatis, aut martyrii, sinè actuali susceptione Sacramenti*, Est 71.

2. *Homo existens in peccato mortali, sivè in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatus æternæ damnationis.* Est 70.

3. *Charitas perfecta, & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Est 31.

4. *Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.* Est 32.

5. *Cate-*

5. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per Charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.* Est 33.

D. THOMAS in supplemento q. 5 art. 3. in argumento sed contra: *Qualibet gratia gratum faciens delet omnem culpam mortalem, quia simul cum ea stare non potest, sed qualibet contritio est Gratia gratum faciente informata; ergò delet omnem culpa.* Item in corpor. *Quantumcumque parvus sit dolor, dummodò ad,, contritionis,, rationem sufficiat,,, omnem culpam delet,,*

Quod vero loquatur D. THOMAS de contritione *conjuncta cum voto suscipiendi Sacramentum* (ut tacitæ objectioni occurratur) constat ex articulo 2. ad 1. *Contritio vera non est, nisi propositum confitendi habeat annexum.* Non itaque ut crimen remittatur sinè actuali susceptione Sacramenti, currendum est ad casum *necessitatis, aut Martyrii.*

Secunda Propositio refellitur 2. 2. quæst. 24. art. 12. *Per peccatum mortale fit homo dignus morte æterna secundùm illud Rom. 6. stipendia peccati mors. Quilibet verò habens charitatem habet meritum vitæ æternæ .... nullus autem potest esse simul dignus vita æterna, & morte æterna; ergo impossibile est quod aliquis habeat,, charitatem cum peccato mortali,,*: adeoque charitas etiam perfecta non potest consistere cum reatu æternæ damnationis, quæ per peccatum mortale incurritur.

Atque hinc ulteriùs Charitas perfecta, & sincera quæ est ex corde puro & conscientia bona, & fide non ficta tam in Catechumenis, quam in pænitentibus, & Charitas illa, quæ est plenitudo legis, nequit esse sinè remissione peccatorum.

Nec Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per Charitatem antè obtentam remissionem peccatorum: cum Charitas remissionem illa supponat utpote cum peccato incompatibilis. Confer, quæ diximus suprà titulo de *justitia*, seu *justificatione*, cui Charitas inseparabiliter annexa est.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa materiam, quæ tractatur in tertia parte, & supplemento.

De Absolutione Sacerdotis, & Baptismo.

PROPOS. DAMN.

1. *Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis. sed à solo Deo, qui Pœnitentiam suggerens & inspirans vivificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur.* Est 58.

2. *In peccato duo sunt; actus, & reatus; transeunte autem actu nihil remanet nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Est 56.

3. *Undè in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat à reatu.* Est 57.

D. THOMAS 3. p. q. 84. art. 3. ad 3. *Deus per authoritatem & à peccato absolvit, & peccatum remittit: Sacerdotes tamen,, utrumque faciunt per ministerium,,; in quantùm scilicet verba Sacerdotis in hoc Sacramento instrumentaliter operantur in,, virtute divina,, sicut etiam in aliis Sacramentis .... Undè & Dominus expressit utrumque: nam Matth.16. dixit Petro, quodcunque solveris super terram &c. & Joann. 20. dixit discipulis;,, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,,:* Deinde in suppl. qu. 18. art. 1. in corp. *virtus Clavium* (quæ est in Sacerdote),, *operatur ad culpæ remissionem,, ... sicut & aqua Baptismi.* Undè Sacerdos & Baptizans non solum *reatum*, seu pœnam peccati tollunt, sed etiam instrumentaliter ipsum peccatum.

Accedit, quod juxta commune in Theologia proloquium, Sacramenta novæ legis efficiunt id quod significant, verba autem hæc *ego absolvo te*, in Sacramento Pœnitentiæ à Sacerdote ministro prolata, significant absolutionem à peccatis, proindeque illam efficiunt, & consequenter Sacerdos non tantùm absolvit pœnitentem à reatu peccati, sed etiam ab ipso peccato: Cum-

Cumque & illa verba *ego te Baptizo*, significent absolutionem à sordibus peccati, ideò similiter Baptizans Baptizatum ab illis abluit.

De Satisfactione, & Indulgentiis.

PROPOS. DAMN.

1. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpè remanet, & corporis resurrectio propriè non nisi meritis Christi adscribenda est.* Est 10.

2. *Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.* Est 77.

3. *Quando per eleemosynas, aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus; sicut quidam errantes autumant; nam alioquin essemus saltem aliqua ex parte nostri redemptores: sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.* Est 59.

4. *Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non redimuntur nostra delicta: sed per communicationem charitatis nobis eorum passiones impertiuntur, ut digni simus, qui pretio sanguinis Christi à pœnis pro peccatis debitis liberemur.* Est 60.

D. THOMAS in supplemento q. 13. art. 2. ad 1. *quantùm ad pœnæ remissionem*; seu solutionem *eam unus alteri* (à fortiori sibi) *potest mereri mediante charitate*. Non igitur solutio pœnæ temporalit, quæ dimisso peccato sæpè remanet, tantùm & unicè Meritis Christi adscribenda est, ita ut homo in charitate sivè gratia existens, propriè non mereatur remissionem pœnæ, seu satisfaciat, sed tantùm aliquid agat, cuujus intuitu Christi satisfactio sibi applicatur, & communicatur: Hoc enim ex verbis jam relatis confutatum est; & præterea refellitur citato articulo in corp. *quantùm ad solutionem debiti*, vel pœnæ: aliquis *potest satisfacere, dummodò sit in Charitate, ut opera ejus satisfactoria esse possint*.

Nec per hoc derogatur meritis, aut satisfactioni

Christi, aut aliqua ex parte sumus nostri propriè redemptores; cum „ *nostra satisfactio efficaciam habeat ex satisfactione Christi* „ 3. p. q. 1. art. 2. ad 2.

Præter D. THOMAM, hoc luculentissimè explanat Tridentinum sess. 14. cap. 8. *Neque verò* (inquit) *ita nostra est satisfactio hac, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Jesum Christum. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus: ita non habet homo undè glorietur: sed omnis nostra gloriato in Christo est: in quo vivimus, in quo meremur, in „ quo satisfacimus „ facientes fructus dignos pœnitentia, qui ex illo „ vim habent „; ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre*. Undè mirùm est Bajum ad hanc tam claram, & præstantem Synodi, cui interfuit, Doctrinam non attendisse.

Quarta propositio, quæ fermè cum aliis coincidit, perspicuè in suppl. q. 15. art. 1. in corp. *Indulgentia valent ad „ remissionem pœna „ residua post contritionem, & absolutionem, & confessionem: Ratio autem, quare valere possunt, est unitas corporis mystici, in qua multi in operibus pœnitentia supererogaverunt ad mensuram debitorum suorum; & multas etiam tribulationes injustas sustinuerunt patienter, per quas multitudo pœnarum poterat expiari, si eis deberetur: Quorum meritorum tanta est copia, quod omnem pœnam debitam nunc viventibus excedunt:* Quamque proindè modò sancti expiare possunt debita dispositione ex parte Lucrancium Indulgentias supposita.

De Sacrificio.

PROPOS. DAMN.

Sacrificium Missa non alia ratione est Sacrificium quam Generali illa, qua omne opus est, quod fit ut Sancta Societate Deo homo adhareat. Est 45.

D. THOMAS 2. 2. q. 85. art. 4. ad 3. *Sacerdotes offerunt Sacrificia, qua sunt „ specialiter „ ordinata ad cultum Divinum* (præsertim Sacrificium Missæ) *non solùm pro se, sed etiam pro aliis .... quadam verò sunt alia Sacrificia, qua quilibet potest pro se offerre* per bo-

num

num opus, *quod agitur ut Sancta Societate Deo inhæreamus* art. 3. ad 1. distinguuntur itaque hæc Sacrificia à primis, præcipuè verò a Sacrificio Missæ omnium Sacrificiorum præstantissimo: proindeque perperam dicitur, quod Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam Generali illa, qua omne opus est, quod fit ut sancta Societate Deo homo adhæreat.

Omne opus bonum ad talem cum Deo Societatem tendens dicitur Sacrificium *Generaliter* sumptum juxta illud Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*, non autem omne opus bonum est Sacrificium *propriè* dictum, proindeque nec Sacrificium Missæ: Ad tale enim Sacrificium necessarius est Sacerdos: constat verò non omnes qui bona possunt præstare opera, esse Sacerdotes propriè dictos. Alioquin, inquit Sylvius commentans in hujus quæstionis articulum: *Sacerdotes non forent consecrandi, ac etiam fæmina justæ essent Sacerdotes*. Quanta igitur est differentia inter Sacrificium Missæ, & Sacrificium generaliter sumptum?

Sæculum Decimum septimum.

Saculum 17. illius quoad turbas Theologicas Synopsis.

HOc sæculum, in gravissimorum bellorum motibus memoraqile, variis, & quibus posteritas ægrè fidem adhibitura est, Europa nostra quassata tempestatibus, ita & Celeberrimum fuit per innumeras longè, lateque excitas in *Theologia* procellas.

Una Eurusque, Notusque ruere, frequensque procellis Africus, & vastos volvere ad littora fluctus. *Æneid. lib. 1.*

Liber *Jansenii*, cui titulus; *Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis* ingentia, & nondum sapita excitavit dissidia, in mores sese effudit *probabilismus* seu *Laxitas*, dumque huic repagulum opponitur, itum est in aliud extremum, *nimium* scilicet *Rigorem*; Erutus fuit ex impurissimo *Michaelis Molino* cerebro *Quietismus*: Erratum quoque est in *Theologia Mystica*: aliæque exortæ sunt turbæ, quas modo juxta ordinem temporis perpendamus.

Anno 1647. Propositio de Gemino Ecclesia Vertice.

Anno 1647. 24. Januarii proscripta est per *Innocentii* X. decretum (cui ob prolixitatem supersedemus) Propositio sequens planè inaudita.

PRO:

PROPOS. DAMN.

S. *Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ summi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput constituunt.* Vide Decretum *Innocentii* in *Stey.* pag. 327.

D. THOMAS 2. 2. q. 33. art. 4. ad 2. *Paulus* „ *qui erat subditus Petro* ,(itaque non paris cum eo authoritatis, nec summus cum illo Pastor ac Præses) *propter imminens periculum scandali circà fidem Petrum publicè arguit.*

Accedit, Regimen Ecclesiæ esse Monarchicum, ut egregiè Angelicus asserit 4. contrà gentes c. 76. *Nulli* inquit, *dubium esse potest, quin Ecclesiæ regimen sit optimè Ordinatum, utpotè per eum dispositum, per quem Reges Regnant, & legum Conditores justa decernunt, optimum autem Regimen multitudinis est, ut Regatur per „ unum „: manifestum est igitur Regimen Ecclesiæ sic fuisse dispositum, ut „ unus toti Ecclesiæ praesset „:* Ille autem fuit „ *solus Petrus* „ illi, *Soli* „ non etiam Paulo dictum fuit à Christo *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 16. illi soli dictum est *pasce oves meas.* Joan. 21. illi soli „ *confirma fratres tuos* „ Lucæ 22. capite. *Solus* igitur Petrus fuit à Christo constitutus summus Pastor, Præses, Caput, Vertex, Dux, Princeps, & Monarcha universalis Ecclesiæ.

Hinc S. Leo serm. 3. de sua assumptione, *De toto mundo* (inquit) „ *unus Petrus* „ *eligitur, qui & universarum gentium vocationi, &* „ *omnibus Apostolis* „ (ergò etiam Paulo) *cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur.*

PROPOSITIONES V.

FAMOSÆ JANSENII.

Anno 1653. ANno 1653. 31. Maii damnatæ sunt ab *Innocentio* X. Pontifice Maximo V. Famosæ Propositiones *Jansenii* Episcopi Iprensis.

Sed prius Celeberrimi viri vitam expendamus. Illam nobis suppeditat Bibliotheca Belgica Clar. *D. Valerii Andreæ* Dresselii J. U. D. & Professoris Regii Lovanii.

Cor-

Cornelius Jansenii Leerdamensis apud Batavos honestis, Catholicisque natus parentibus anno Domini 1585, die SS. Simoni, & Judæ Sacro, ab ipsa propè infantia specimen memoriæ, atque ingenii singularis exhibuit. Nam Ultrajecti iis dans operam artibus, quibus erudiri, atque informari ad humanitatem puerilis ætas solet, cæteros longo post se relinquens intervallo, eorum velut Dux, ac Præceptor ad summa quæque properabat. Missus inde Lovanium ad Gymnasium, quod ab insigni domus nomen Falconis retinuit, disciplinis Philosophicis ita gnaviter, feliciterque incubuit, ut studii Biennalis decurso stadio, cæteris commilitonibus in Academico quatuor Pædagogiorum concursu ingenii palmam, ac prærogativam loci facile præripuerit. Pari felicitate palæstræ deinde Theologicæ nomen dedit, hæsitque lateri Jacobi Jansenii gentilis sui viri omni pietatis ac scientiæ genere verè eximii, quem ut parentem observabat, & apud quem pœnè filii loco erat. Hinc eum visendæ Galliæ cupido incessit ingenii amplius excolendi, ac linguarum potissimum causa, & Lutetiæ Parisiorum in Celeberrimo illo Scientiarum, Artiumque omnium Theatro, aliisque Galliæ Academiis annos ipsos duodecim versatus fuit vimque ingenii omnibus palam faciens omnium præsertim Eruditorum, atque ideò ipsius Sorbonæ in se studia, animosque convertit mirantium, & quærentium identidem, undè, quis, qualisve Theologus ille esset „ Jansenius „, Eoque factum est, ut Lovanium quasi postliminio reversus sæpius de gravissimis fori interioris quæstionibus e media Gallia consuleretur. Supremo in Theologia Magisterii titulo Lovanii anno 1617. donatus, Professorque ordinarius eam de se opinionem brevi quoque tempore apud Academicos omnes excitavit, ita ut præ „ Jansenio „ alius magis idoneus non fuerit judicatus, qui nomine ejusdem Academiæ bis in Hispaniam mittetur: Ubi qua prudentia, ac dexteritate sese gesserit tum apud Regem Catholicum, tum in Academiis Salamanticensi, ac Valisoletana, felicissimus utriusque Legationis eventus edocuit. Anno 1630. ad sacrarum Litterarum professionem Regiis auspiciis promotus fuit, annoque post quinto ad Cathedram Iprensem nominatus, eodem nimirum die, quo natus; ac vertente anno, eodem similiter die, in Episco-

Vita Jansenii.

Episcopum consecratus annum tunc agens primum supra quinquagesimum. Verùm, ut sunt fluxa, ac caduca res umana, vix anno cum dimidio in ea dignitate exacto, Dignissimus ille vita longiori Præsul cum summa omnium consternatione, ac mœrore 6. Maii anno 1638. extinguitur. Vir certè fuit, ut de cæteris ejus virtutibus, de Pietate, ac Religione in Deum, de vita Modestia, morumque Disciplina, comitate, atque affabilitate nihil dicam, vel maximè Prudentia conspicuus, quippè qui hoc unum in primis cavebat, ne quid ageret, aut exequeretur, quod reprehensum optaret. Certabat in facundissimo illo scientia omnifaria pectore ingenium cum judicio, labor cum industria, constantiaque, ut qui nullum sibi labi, aut perire tempus pateretur, quo non aut legeret, aut notaret, aut disceret aliquid ut ad summùm quinas, aut quaternas sapè etiam pauciores horas somno indulgere solitus. Unum ferè è SS. Patribus vita sua ducem, studiorumque magistrum delegerat „ Augustinum „. Omnia Augustini opera fere decies, libros vero de gratia divina, & libero arbitrio plusquam trigesies a capite ad calcem, decerptis, & in adversaria, per classes distributis, qua in rem videbantur, evolverat, attestante hoc de eo Liberto Fromondo S. T. Doctore & Jansenii in Cathedra Lovaniensi successore, dum præfatur ad crisim suam, quam reposuit causa desperata Gisb. Voetii pro eodem Jansenio. Hic est ille *Fromondus*, qui unà cum *Joanne Caleno* obstetricatus dicitur ejus libro posthumo, cui Titulus *Augustinus* Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, ex quo 5. famosæ propositiones excerptæ sunt. *Scripsit* Jansenius.

Orationem de interioris hominis reformatione.

Alexipharmacum civibus Sylvaducensibus propinatum adversus ministrorum suorum fascinum.

Spongiam notarum, quibus Alexipharmacum aspersit Gisb. Voetius.

Tetrateuchum sive Commentaria in 4. Evangelia.

Pentateuchum sive Comment. in 5. libros Moysis.

Analecta, sive Comment. in Proverbia &c.

Porrò Jansenius morti proximus opus suum illud sine dubio suppressus, si tot orituras ex eo procel-

fas

las prævidiſſet, irrefragabili Sedis Apoſtolicæ judicio ſubmiſit, atque ita, omnibus adſtantibus & præ ſingulari humilitate, & eximia in Deum pietate expreſſis lacrymis, Eccleſiæ Gremio immortuus eſt.

Unde Viro Illuſtriſſimo rectè applicandum eſt memorabile illud *Auguſtini* effatum: *Errare potero, hæreticus non ero:* nec inſcitè nuper quidam eximius Lovanienſis in oratione Academica coram confertiſſimo auditorio dixit: *Janſenium*, qui ſe ita Pontificiæ ſententiæ ſubdiderat, ſi modò viveret, non fore *Janſeniſtam*.

Vix liber ejus lucem aſpexerat, quin crebræ tenebræ multorum ingenia involverint, multis in errorem ex illius lectione abreptis.

Ut malum tempeſtivè compeſceret; primò *Urbanus VIII.* præfatum librum per Bullam *in Eminenti* Anno 1641 prohibuit. *Turba orta ob Librum Jāſenii.*

At hæc prohibitio non ſtitit tempeſtatem, plurimi per Belgium, & Gallias moti ſunt fluctus; innumeri libelli pro defenſione Janſenii ubique emerſerunt.

Anno 1652. 21. Januarii ad urbem inter alios convolant a nonnullis Galliæ Epiſcopis miſſi Domini *S. Amour* ſeu famoſus Ludovicus *S. Amoreus*, *Lalane*, & *Angran*: Doctrinam *Janſenii* omni ſtudio propugnant, explicant, interpretantur, illamque Vaticano fulmini ſubducere moliuntur.

His oppoſiti fuere 85. Galliarum Antiſtites, qui Romam legarunt Dominum *Hallier* Syndicum Univerſitatis, Dominum *Lagault*, & D. *Joyſel*, obteſtatique ſunt Præſules *Innocentium* X, ut 5. famoſas propoſitiones expoſitiones expenderet; & perſpicuam, ac certam de unaquaque ſententiam ferret.

Interim adverte 10. Martii 1653. Pontificem in congregatione coram ſe habita apertè declaraſſe, ſe nolle, ut illum omnino præjudicium creetur doctrinæ *SS. Auguſtini*, & *Thomæ*, qua de re infra ad propoſitiones Janſenii.

Tandem poſt longam, & maturam cum Eminentiſſimis Cardinalis ſacræ Congregationis tanti negotii diſcuſſionem, anno 1653. 21. Maii emanavit Bulla *Innocentii X.* 5. propoſitionum condemnatoria, quæ ſic incipit.

INNO-

Damnatæ Propositiones Jansenii.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei.

Universis Christi Fidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

CUm occasione impressionis Libri, cui titulus, Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones orta fuerit, præsertim in Galliis, Controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, uti easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam.

Tenor vero præfatarum Propositionum est, prout sequitur.

Prima. Aliqua Dei Præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda. Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ numquam resistitur.

Tertia. Ad merendum & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

Quarta. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta. Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas; quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa purgatis pravarum Opinionum erroribus, tutò militare, & tamquam navis

vis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit.

Pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus ad id specialiter sæpius congregatis, à pluribus in Sacra Theologia Magistris easdem quinque Propositiones, ut supra Nobis oblatas, fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixè super eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

Cum autem ab initio hujusmodi discussionis ad Divinum implorandum auxilium multorum Christi fidelium preces tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodum iteratis eisdem serventius, ac per Nos sollicitè implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus Declarationem, & Definitionem.

Primam prædictarum Propositionum: *Aliqua Dei Præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant*: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Secundam: *Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur*: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate - sed sufficit libertas a coactione*: Hæreticam declaramus, & ut talem damnamus.

Quartam; *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: Falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: *Semi-Pelegianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*: Falsam, temerariam, scandalosam, & intelle-

tellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Praedestinatorum mortuus sit: Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinae pietati derogantem, & haereticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac praesenti Nostra Declaratione, & Definitione continetur, sub censuris, & pęnis contra Hęreticos,& eorum fautores in jure expressis.

Praecipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non Haereticae pravitatis Inquisitoribus, ut Contradictores, & Rebelles quoscumque per censuras & poenas praedictas, caeteraque juris & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio Brachii saecularis, omninò coerceant, & compescant.

Non intendentes tamen per hanc Declarationem, & Definitionem super praedictis quinque Propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quae continentur in praedicto Libro Cornelii Jansenii. Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno nono.

HI. DATARIUS.

G. GUALTERIUS.

P. CIAMPINUS.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, indictione sexta, Pontificatus Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Innocentii *Divina Providentia Papa X. Anno ejus nono, die verò nona Mensis Junii supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit in Ecclesia Lateran., ac Basilicę Principis Apostolorum de* Urbe, *nec non Cancellaria Apostolica valvis, ac in acie Campi Flora, per me* Hieronymum Mascellam *Sanctissimi D. N. Papa Cursorem.*

Pro D. Mag. Cursorum P. Paulus
Desiderius Cursor.

Verum

Verùm cùm plures illi Bullæ reluctarentur, & prædicta 5. Propositiones tum in Libro *Jansenii* non reperiri, sed fictè, & pro arbitrio compositas esse, tum non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse & voce, & scriptis contenderent; *Alexander VII.* Innocentii successor prædecessoris sui Bullam, seu Constitutionem anno 1656. 17. Kal. Novembris confirmavit, & 5. propositiones *ex libro Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Jansenio intento* damnatas fuisse definivit, & declaravit.

Cæterum quid deinceps sub eodem *Alexandro*, *Clemente* IX. *Innocentio* XII. & sub moderno Pontifice *Clemente* XI. quoad præfatas propositiones gestum sit, nullus est, qui ignoret.

Progrediamur modò ad istas.

Præfigemus materias, circa quas illæ versantur.

De Possibilitate Mandatorum Dei.

PROPOS. DAMN. UNICA.

Aliqua Dei Præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentes quas habent, vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Propositio prima.*

CENSURA PONTIFICIA.

Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Habet hanc Jansenius lib. 3. de gratia Christi c. 13. paragrafo penultimo. *Hæc igitur omnia*, inquit, *plenissimè, planissimeque demonstrant, nibil esse in S. Augustini doctrina certiùs, ac fundatiùs, quam esse „ Præcepta quædam „, quæ „ hominibus „ non tantùm infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & „ justis, volentibus, ac conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua fiant possibilia „*, Nec potuit substantia Propositionis condemnandæ excerpi exactiùs.

Dixerat superiùs *Michael Bajus* titulo de Legibus, seu Præceptis divinis: *Definitiva hac sententia. Deum homini nihil impossibile præcepisse, falsò tribuitur Augustino, cùm Pelagii sit.* Undè Bajus huic primæ Propositioni Jansenianæ prælusit.

Jam dudum Tridentina Synodus sess. 6. cap. 11. ita definierat. *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet, Dei Præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam „Deus impossibilia non jubet„: sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quòd non possis & adiuvat ut possis:* Quæ sententi depromptà est ex *Augustino* lib. de Natura & Gratia cap. 43. & lib. 2 de pecc. merit. cap. 6: addit præterea præfatum Concilium eadem sess. can. 88. *Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit:* Ita ut satis concipi non possit, quid passus sit *Jansenius*; dum hoc dogma & à Tridentino profligatum. & in Bajo denuò reprobatum recudit.

Magnus Augustinus hanc assertionem non solùm in locis præcitatis, sed & aliis perspicuè prædamnavit. *Execramur*, inquit serm. 191. de temp. *blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum.* Et lib. de fide contra Manich: *Quis non clamet, stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Deinde enarratione in Psalmum 56. *Non imperat aliquid Deus ut faceremus si„ impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret„*

Accedit, *quod Deus sua gratia semel justificatos non deserat.* inquit Tridentinum capite 11. præallegato, *nisi priùs ab eis deseratur*, desereret autem prius justos Dominus, si illis conantibus, & volentibus Gratiam subtraheret, qua possibilia mandata fierent.

Tridentino conformis est Augustinus tractatu 2. in Joannem. *Opus est, ut tu non deseras: & à deo non deseraris: Noli cadere, & non tibi occidet; si tu feceris casum, ille tibi facit occasum: si autem tu stas, præsens est tibi:* Et tractatu 32. in Joannem. *Nos non deserit fons, si non deseramus fontem.* Nonne autem *justum* fons ille justitiæ desereret, si ei gratiam, si aquas negaret

garet *salientes*, dum gratia rectè utitur, *in vitam æternam*? Augustino adstipulatur *Aquinas* strenuissimus ejus & propugnator, & sectator q 24. de veritate art. 14. ad 1. *Illud, quod præcipit Deus*, „ *non est impossibile homini ad servandum* „. Et in responsione ad 2. *Rectè homo corripitur*, inquit, *qui præcepta non implet, quia ex ejus negligentia est, quod gratiam non habeat, per quam potest mandata servare*. Porrò hæc erronea *Jansenii* propositio potissimum fundatur in eo, quod contendat ille *solam gratiam efficacem*, quà talem, esse gratiam Christi, seu nullam Christi gratiam effectu suo carere: in istam omnem operam, laborem, studium, nervos & vires intendit: Præcipuè verò, & ex professo argumentum illud versat lib. 2. de gratia Salv. cap: 27. cujus in titulo legitur: *Quomodo nulla gratia effectu suo careat*.

Ex hoc principio irrefragabiliter infertur prima assertio. Si enim sola gratia efficax, quà talis, sit gratia Christi, seu si nulla Christi gratia effectu suo careat; sed omnis sit efficax; igitur justus peccans gratiam Christi non habet, qua posset à peccato abstinere: si enim eam habuisset, in peccatum non incidisset: nam secundum Jansenium nulla Christi gratia effectu suo caret. Si autem gratiam, quà posset non peccare, non habuerit; ergo non peccare erat ei impossibile: ac proinde aliqua Dei præcepta justo conanti, & volenti secundùm præsentes, quas habet vires, sunt impossibilia &c.

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio. Finge hominem justum gravi tentatione quassatum labi in peccatum mortale; Justo illi, juxta Jansenium, hic & nunc impossibile erat non labi, seu illi hic & nunc impossibile erat præceptum, in quod impegit, observare, quia juxta eundem, gratiam Christi, sine qua ei præcepti observatio impossibilis, erat, non habebat. Non enim habebat gratiam efficacem; nam si illam habuisset, cum infallibiliter effectum suum inferat, in peccatum lapsus non fuisset: Si ergo efficacem gratiam non habuit, ergo nullam habuit; nam præter illam, nullam aliam *Augustinus Iprensis* agnoscit.

Itaque justus ille, omni Christi gratia, qua mandatorum observatio sibi fieret possibilis, ipso fatente Jansenio, fuit destitutus; adeoque ex ipsis Jansenianæ doctrinæ Principiis sine ullo labore eruitur, *aliqua Dei præcepta; justis conantibus & volentibus, secundùm præsentes, quas habent vires, esse impossibilia* &c.

Non sic profectò discurrendum est: non sequitur: *Justus dum gravi tentatione pulsatus labitur in peccatum mortale, non habuit gratiam efficacem: ergo „ nullam „ habuit*. Non sequitur, inquam, præter *efficacem* enim datur *gratia sufficiens*, qua justus sic tentatus potest servare præceptum, seu tentationem superare: adeoque præceptum illud non est ei tunc impossibile.

Gratia hæc passim vocatur *Thomistici* sufficiens, illa in hoc consistit, quòd statuat voluntatem proximè, & ultimatè potentem in linea potentiæ, id est, ex parte actus primi, ita ut ex parte gratiæ ad plenum posse nihil desit, nec plus requiratur: quamvis ut hæc gratia actus in effectum influat, ad quem ipsa est tantum sufficiens, gratia efficax requiratur ita potentiam ad actum applicans. Latissimum per gratiam illam *sufficientem* discrimen Thomistas inter, & Jansenistas assignatur. Jansenistæ docent præter gratiam efficacem, quæ dat ipsum agere, non dari aliam, quæ dat posse: Thomistæ intrepidè & constanter asserunt, præter gratiam *efficacem*, quæ semper dat ipsum agere, etiam dari inefficacem, quæ solum dat posse: quam tamen ad ponendum ipsum actum omninò sufficientem existimant; quæ idcirco *sufficiens* dicitur. Hinc juxta Jansenistas, cùm justo graviter tentato, & gratia efficaci destituto non remaneat ulla Christi gratia, per quam huic tentationi possit resistere, sponte sua fluit, quòd huic tentationi resistere, seu præceptum adimplere, justo illi secundùm præsentes, quas habet vires, sit impossibile. Econtra cum justus ille gratia efficaci destitutus, & peccans juxta Thomistas sufficiens habeat auxilium, quo poterat observare præceptum, & rectè & suapte natura sequitur, præceptum illud non esse ei impossibile.

Quis igitur (ut nuper nonnulli divulgarunt) cum fun-

fundamento affirmet, Thomistas nullatenus discrepare à Jansenistis?

S. Petro non defuit (ut princeps Jansenistarum objectio diluatur) gratiæ hæc sufficiens, qua possibile fuit ei mandatum Christum, urgente tentatione, confitendi.

Illis non favet D. Joannes Chrysostomus Homilia 83. in Matth. & in epistolam ad Hebræos Homilia 31. cùm ait: *Petri casus non frigiditate, non socordia, & negligentia, sed superni auxilii subtractione contigit.* **Objiã.**

De auxilio namque *efficaci* S. Chrysostomus loquitur, non de auxilio *sufficienti*, quo Christum confiteri, tentationesque superare absolutè poterat: auxilium verò efficax illi subtractum est ob præsumptionem de *suis viribus*: & hinc ortam negligentiam orationis, & vigilantiæ, quam rem tamen Christus ipsi, & aliis Apostolis, ne intrarent in tentationem, commendarat. Expende D. Chrysostomum Homilia 83. in Matthæum: *Petrus ait, nimium sibi arrogans*, Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor, Matth. 26. *Hac res sensim eum ad tetrum insolentiæ crimen devehebat „ quod reprimere Christus volens, negationem fieri permisit „.* **Resp.**

Nec Jansenio adstipulatur Augustinus quibusdam in locis, præsertim tract. 92. in Joan. asserens *non potuisse Petrum mulieris ancillæ interrogatione perterritum verum Christo testimonium perhibere*: hisce enim verbis significat S. Doctor, non potuisse id Petrum per se ipsum, & per proprias vires, in quibus nimirùm confidebat: quamvis posset per gratiam Dei, quæ ipsi sufficienter aderat. Per illam vigilare, & orare poterat, ac uberiora subsidia usque ad ipsam efficacem gratiam advocare, & impetrare: sua his omnibus arrogantia Petrus obicem posuit: Hæc causa est, cur illum deseruerit Deus, & in negationis crimen labi permiserit. Id pluribus in locis docet *Augustinus*, sed præcipuè tractatu 67. in Joannem. *Quid festinas Petre? Nondum te suo Spiritu solidavit Petra: Noli extolli præsumendo, non potes modò*, scilicet per proprias vires. *Noli deiici desperando. Sequeris posteà. Sed adhuc ille quid dicit? quare non possum te sequi modò?* animam meam pro te ponam. *Quid in animo ejus esset Cu-* **Objeã.** **Resp.**

piditatis, videbat, quid virium, non videbat: Voluntatem suam jactabat infirmus, sed inspiciebat valetudinem medicus: iste promittebat, ille pranoscebat: qui nesciebat, audebat; qui prasciebat, docebat. Respondit ergò Jesus. Animam tuam pro me pones? *Praire potes, qui sequi non potes? Quid „ tantum prasumis, quid de te sentis; quid te esse credis? audi quid sis „.* Amen, amen dico tibi, quia prius quàm gallus cantet, ter me negabis. *Ecce quomodo tibi citò apparebis „ qui magna loqueris, & te parvulum nescis „.*

Nunc ad Propositionem secundam, in qua rursus agendum erit de gratia *sufficienti.*

De Resistentia, quæ fit Gratiæ.

PROPOS. DAMN.

Propositio secunda. *INteriori Gratia in statu natura lapsa nunquam resistitur.*

CENSURA PONTIFICIA.

Hareticam declaramus, & uti talem damnamus.

Dum Jansenius dicit: *interiori gratia nunquam resistitur*, tantundem est, ac si diceret: gratia interior sivè oblata sivè habita ab homine nunquam repellitur; nunquam in vacuum recipitur, sed suum semper producit effectum, unde apud Jansenium nulla datur gratia *inefficax*, *sufficiens*, seu tantummodò dans *posse*. Hinc. 2 hæc Propositio primæ, & totius ferme Jansenismi est infausta Genitrix.

Si dixisset Jansenius gratiæ interiori *efficaci* non resisti, nihil à fide, vel à Castigatiori Theologia dixisset extraneum: totque haberet suæ assertionis Patronos, quot SS. Augustini, & Thomæ numerantur sectatores, gratiæ efficaci nunquam resisti unanimiter afferentes. Hoc enim ipso, quo *efficax* est, semper cum effectu conjungitur, bonamque vel voluntatem, vel operationem infallibiliter, indeclinabiliter, & inevitabiliter producit.

ducit. Et illius ratio est, quod sit munus gratiæ de se *efficacis* potentiam per gratiam *sufficientem* planè instructam, & ad operationem paratam, & accinctam, applicare ad opus: ac proinde ram fieri non potest, ut fiat applicatio ad operationem, & operatio non sequatur, quam ut detur actio sinè Termino. De ea sic fatur Magnus Aurelius lib. de prædest. Sanctorum cap. 8. *hec gratia, quæ cordibus hominum divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur: ideò quippè tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur.*

Si igitur, inquam, Propositio diceret, gratiæ de se *efficaci* non resisti, nil nisi Doctrinam sanam exprimeret: unde *Innocentius X.* qui Propositiones Jansenii, confixit, 10. Martii 1653. in Congregatione coram se habita aperte declaravit, se nolle ut ullum omninò Præjudicium creetur Doctrinæ SS. Augustini, & Thomæ, qui sunt gratiæ per se *efficacis* & Professores, & propugnatores acerrimi. At ecce Propositio loquitur *indefinitè*, & Generaliter de quacumque interiori Christi gratia, & illi non resisti decernit, atque hinc jure merito ut hæretica condemnatur.

Porrò quòd Jausenius tradat *interiori gratie numquam resisti*, patet ex eo, quòd ubique in suo *Augustino* asserat *omnem Christi gratiam esse efficacem*, si autem omnis Cristi gratia sit efficax, ergò nulli resistitur, efficaci enim gratiæ nunquam resistitur. Dogma verò illud, *omnem Christi gratiam esse efficacem*, Jansenio Capitale est, ità ut unice in illius rei assertionem incubuisse videatur.

Ex locis innumeris tantùm aliqua depromamus. Primus locus habetur lib. 3. de gratia Salv. cap. 4. ubi sic fatur. *Hinc ulteriùs docet Augustinus, nullam Christi gratiam effectu operis, ad quod efficiendum voluntati datur, ulla voluntatis pervicacia frustrari.* Et lib. 2. de Gratia Salv. cap. 24. in principio: naturam Gratiæ medicinalis, seu Christi describens, prout contra gratiam Adami, seu integ æ sanitatis distinguitur, sic de ea loquitur. *Simul ac pulsat fores, rumpit ostia; repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem resistentiam, rapit eam secum & ex in vita volentem ineffabili suavitate, ac potestate facit.*

Libro etiam 2. de gratia Salv. cap. 32. versùs finem

mentem suam Jansenius breviter, & succinctè exponit. *Nulla gratia actualis ab Augustino pro illa vera Christi gratia agnoscitur, quam tanquam medicus infirmæ voluntati attulit, nisi quæ agit, & peragit effectum*: „ *omnis alia, qualiscumque fuerit, ab ipso ad legem, Doctrinamque relegatur* „.

Denique libri 2. de Gratia Salv. caput 27. hunc titulum (ut statim ad propositionem 1. dictum est) præfixum habet; *quomodo nulla Christi Gratia effectu careat*: ergo omnis Christi gratia est efficax ergo Nulla est gratia, *cui unquam resistatur*. Repellit proindè Jansenius omnem Gratiam sufficientem.

Ne quis verò existimet rejici à Jansenio Gratiam tantùm *Molinisticè*, non *Thomisticè* sufficientem, contrarium ex ipso authore manifestum est: apertissimè enim declarat lib. 3. de Gratia Salv. cap. 1. ante medium, gratiam in *sensu Thomistarum* sufficientem non esse gratiam Christi; *Si gratia sufficiens sic accipiatur*, inquit, *ut sufficiens dicatur, sicut à quibusdam* (id est Thomistis) *dicitur, quòd homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de facto operetur, talem sufficientem fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis illam esse* „ *veram Christi gratiam*, „ *de qua quæstio est*, „ *pernegaret* „.

Sed ut omnis tollatur ambiguitas, quamvis suprà quid sit gratia *sufficiens*, insinuatum sit, eam modò accuratius perlustremus.

Gratia Molinisticè sufficiens. Nonnulli per gratiam sufficientem eam intelligunt, præter quam nihil aliud ex parte Dei necessarium est ad hoc, ut homo credat, diligat, vel benè operetur, & hæc vocatur gratia *Molinisticè* sufficiens.

Gratia Thomisticè sufficiens. Alii sufficientem gratiam appellant illam, quæ etsi se sola non sufficiat ad actualiter credendum, diligendum, operandum; sufficit tamen, ut per eam reddatur homo potens credere, diligere, & operari; ità ut præter eam, aliquid quidem aliud sit necessarium ad *actualiter* credendum, diligendum, vel benè agendum, scilicet gratia efficax, quæ tribuit *actualiter* operari; nihil tamen requiratur ad *posse* operari. Talis gratia dicitur *Thomisticè* sufficiens.

Explicantur hæc ulteriùs: Gratia sufficiens est divina

divina quædam motio, sive quoddam Dei auxilium; quo homo ita roboratur, ut illud reddat voluntatem proximè, & expeditè, plenè, & ultimatè potentem ad actum salutarem in linea potentiæ, seu ex parte *actus primi*, ita ut ex parte Dei, aut gratiæ ad plenum *posse* nihil desit, nec plus requiratur: Numquam tamen homo actum illum *in actu secundo* producet, nisi accesserit gratia efficax, per quam illud *posse* sufficienti gratiæ applicetur, & ad actum secundum reducatur. Unde gratia efficax est ea divina motio, seu illud Dei auxilium, quod hominem in linea potentiæ sufficienter instructum actualiter applicat operi.

Quommodo igitur, inquies, gratia, quæ dicitur *sufficiens*, ita vocari potest, cùm illud dicatur sufficiens, *præter quod nihil aliud est necessarium*? & ecce, præter gratiam, quæ vocatur sufficiens, aliquid aliud est *necessarium* ad operandum, scilicet gratia *efficax*: Itaque hæc gratia non *re*, sed *nomine* tantùm est sufficiens. **Object.**

Rectè nihilominus, verè; & *reipsa* gratia illa quæ dat solùm posse, licet ad actualem operationem requiratur gratia efficax: appellatur gratia *sufficiens*. In genere enim principii solùm dantis *posse* operari non requiritur præter eam, ullum aliud principium, quod tribuat *posse* operari: quamvis aliud sit neceessarium, ut illud *posse* reducatur *ad actum*, seu quamvis necesse sit, ut is, qui per gratiam *sufficientem* effectus est potens in *actu primo*, actualiter, seu in *actu secundo* operetur per *gratiam efficacem*. Exemplum esto in potentia visiva benè instructa. Illa est sufficiens ad videndum in ratione *actus primi*, sive ut qui illa præditus est, dicatur posse videre; in isto enim genere non requiritur alia potentia, per quam ipse constituatur potens ad videndum: attamen ut ista potentia reducatur ad *actum secundum*, hoc est, ut actu videat, præter eam aliud quidpiam necessarium est, nempe applicatio & motio potentiæ. **Resp.**

Gratia hæc *Thomisticè* sufficiens jam descripta non solùm reddit hominem plenè, & expeditè potentem ad credendum, diligendum, operandum: sunt ejus & alia, quæ sibi vendicat, munera: Conjunctos scilicet semper habet aliquos actus, veluti illuminatio-

minationem intellectus ad considerandum ea, quæ annunciantur, vel proponuntur, & excitationem voluntatis ad concipiendum aliquod emendandæ vitæ desiderium, piam affectionem, aliasve ad salutem dispositiones. Si enim Deus per interiorem motionem moveat, ac illuminet intellectum, & voluntatem excitet; omnino consequens est, quod intellectus moveatur & illuminetur; quodque voluntas excitetur: & sic eadem gratia quæ ad credendum, vel diligendum est tantum *sufficiens*, est tamen *efficax* respectu actuum jam enumeratorum: efficax, inquam, respectu actuum quos producit, *sufficiens* vero respectu ulterioris, seu perfectioris operationis; quam licet non producat, eam tamen producere complete, & proxime est potens.

Jansenius quidem admittere videtur gratiam *Thomisticè* sufficientem quantum ad primum, videlicet in quantum est efficax alicujus actus; verum in quantum illa gratia est sufficiens; seu proximè & complete potens inducere effectum ulteriorem, ut Thomistæ docent, eam Jansenius omnino aversatur, ac diserte ait, illam in isto sensu gratiam Christi non esse. Semper enim in eo sibi constat Jansenius, non aliam esse agnoscendam Christi gratiam, quam illam, *qua agit, & peragit effectum suum*, id est, quæ posse, & agere actualiter operatur: omnem aliam gratiam, qualiscumque ea fuerit, ad gratiam Pelagianam, ad legem scilicet, & doctrinam ablegat. Liquet igitur ad oculum, hujus propositionis radicem doctrinam hanc esse erroneam: *Omnis Christi gratia est efficax*.

Sane non omnis est *efficax*: sed sicut (aliis tantisper sepositis rationibus) in natura distinguimus *esse*, *posse* & *operari*: ita & in ordine supernaturali gratiam ponimus quæ dat *esse*, nempe sanctificantem, quæ dat *posse*, nempe sufficientem, quæ dat *agere*, nempe efficacem.

Porrò gratiam *sufficientem* admittendam probant Scripturæ sacræ oracula, quotquot *gratiam in vacuum recipi*, *hominis gratia Dei deesse*, *Spiritui Sancto resistere*, *Spiritum Sanctum extinguere* testantur. Soli enim gratiæ sufficienti resistitur, sola hæc suo frustatur effectu. Primus locus habetur 2. ad Corin-

rin-

rinth. 6. Alter ad Hebræos 12, : tertius Actorum 7. Ultimus ad Thessalonicenses 5.

Hanc quoque magnus tuetur Augustinus. Sane ut nihil dicam de famoso adjutorio *quo* & *sine quo* seu *possibilitatis*, *cor eorum* (peccatorum) *congelascit*, inquit, *adversus Deum*, *& fit* „ *durum adversus imbrem gratiæ suæ*, *ne fructum ferat* „. In Psalm. 124.

Sed & libro 50. Homiliarum Homilia 12. sic discurrit Præsul Hipponensis. *Cum per Dei adjutorium in potestate tua sit utrum consentias diabolo; quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas?* possunt ne hæc verba ad illum dirigi, qui gratia ad sistendos dæmonis impetus *sufficienti* careat? *in potestate tua est Deo obtemperare:* Ecce gratiam *sufficientem* ad effectum illum obtinendum : *& tamen non obtemperas* : ecce Gratiam illam, quæ effectu suo frustratur : Non frustraretur autem effectu, nisi tua perversa obstaret voluntas. Hic gratia uti renuit, & peccare mavult. Sed de Augustino latius infra ad Propositiones *Quesnellianas*. Audiatur Angelicus 1. part. quæst. 62. art. 3. ad 2. *aliquis habens gratiam potest ea* „ *non uti*, *& peccare* „. Si homo gratia uteretur, si media, quæ gratia inspirabat, V. G. orationem, & alia opportuna adhiberet remedia, Deus ei Gratiam largiretur *efficacem*, qua principalem effectum obtineret: Quod modo effectus ille non sequatur, hoc voluntariæ hominis resistentiæ, renisui, repugnantiæ tribuendum est. *Aliquis dicitur extinguere Spiritum Sanctum*, seu gratiam privare effectu, *cum aliquis bonus motus in ipso surgit*, *&* „ *ipse impedit* „ *act. 7.* vos „ *semper Spiritui Sancto resistitis* „. Lect. 2. in cap. 1. prioris ad Thessal.

An potuit Aquinas hanc secundam directius prædebellare Propositionem? sed de Angelico etiam fusius ad *Quesnellianas*.

Quis igitur & hic non videat Thomistas toto cælo differre à *Jansenistis?*

Porrò absit à nobis, ut gratiam *Molinisticè* sufficientem, quam nonnulli per damnationem Jansenii Canonizatam volunt, admittamus. *Per gratiam Thomisticè sufficientem & secernimur evidenter à Jansenio*,

in-

inquit Steyaercius, *& meliùs omnis difficultas circà has Propositiones explicatur.*

,, Propositioni secundæ affinis est quarta ,, : Quare hanc cum ista, dilata tantisper tertia, connectimus : est autem talis.

Propositio 4. affinis propositioni secundæ. *Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

CENSURA PONTIFICIA.

Falsam & Hæreticum Declaramus, & uti talem Damnamus.

Propositionem hanc Bimembrem tradit Jansenius lib. 8. de Hæresi Pelagiana cap. 6. *Itaque Massiliensium opinionibus, & Augustini Doctrina quam diligentissimè ponderatis, certum esse, & indubitatum esse debere sentio; quod Massilienses præter prædicationem, atque naturam, veram etiam, atque internam, & actualem gratiam ad ipsam etiam fidem necessariam esse fate antur.* En primam partem.

Et infra in eodem capite: *in eo ergo propriè Massiliensium error situs est; quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo interioris gratiæ usus, vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio, & in potestate.* En secundam.

Hanc prius attingamus.

Statim vidimus, quod *sufficienti* gratiæ non solum possit resisti, sed sæpè etiam actu resistatur : Gratiæ *efficaci* (circa quam pars hæc versari videtur) numquam quidem *actu* resistitur, cum indeclinabiliter, & insuperabiliter voluntatem ad agendum determinet, ei tamen *potest* resisti. *Deus*, inquit Angelicus quodl. 1. art. 1. ad 1. *movet omnia secundum modum eorum, & ideò divina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita, & ideò sic Deus movet mentem humanam ad bonum* (id

non

non fit nisi per gratiam) *quod possit huic motioni resistere*. Quid expressius hac in materia dici potest? Deus per gratiam suam movet hominem ad bonum; & tamen *huic motui potest resistere*.

In hoc igitur non fuerint Semi-pelagiani *Hæretici*, *quod voluerint eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare*: è contra hæreticum est, asserere hominem non posse tali gratiæ resistere vel obtemperare.

Nihil ad hanc partem dicendum superest; nisi ut paucis ostendatur, nihil hic etiam Thomistas cum *Jansenistis* habere commercii.

Thomistæ constanter docent, efficaci gratiæ posse resisti *in sensu*, ut loquuntur, *diviso*, etiam sub ipsa gratia, seu *retenta efficacis gratiæ motione*, Jansenistæ verò passim asserunt efficaci quidem gratiæ posse resisti, sed *excussa non retenta efficacis gratiæ motione*, unde sub ipsa gratia negant hominem habere potentiam ad oppositum.

Quod porrò me hac in opinione confirmat, est, quod Celeber ille *Fromondus* sub nomine *Vincentii Lenis* Jansenii propugnator expressissime enunciet in epist. ad Petav. pag. 22. prædeterminatum ad amorem posse non amare *prædeterminatum scilicet excussa*. Ita refert noster *Sebille*, (qui de Jansenio insigniter triumphavit) lib. 3. cap. 1. sect. 4.

Prima pars est quæstio facti, & merè historica, quæ sic vere se habet.

Existimabant Semi-pelagiani, naturam sibi ad credendum sufficere: eaque fide ex viribus naturæ habita, posse sanitatem in Adamo deperditam recuperari; & hominem ulteriora gratiarum auxilia ad benè sanctèque vivendum non tantum postulare sed quod magis est, eadem illa auxilia prima ista seu initiali fide posse promereri: adeò *ut fides aucta merces esset fidei captæ* (sic loquebantur illius temporis Patres) *& gratia divina meritis nostris donaretur*.

Hæc res tam extra controversiam fuit, ut nemo dubitaverit forsitan, quin in eo potissimum Semipelagianorum error consisteret: quousque eam Iprensium Antistes non tantum in dubium traheret: sed

dilei-

disertè etiam assereret, *Semipelagianos prævenientis gratię interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei admisisse.*

Quod mox ut innotuit, Apostolica Sedes confixit, & falsum pronunciavit, duce nimirum magno quem continuò Jansenius magistrum inclamat, *Augustino*. Ille enim in Libro de prædestinatione Sanctorum quem ad Semi pelagianos in viam reducendos elucubravit, capite secundo scribit, in eo ipsorum errorem situm esse, quod vellent, *ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo; tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo cępit à nobis*. Si juxta Augustinum, Semi-pelagianorum error in eo situs esset, quod vellent, „ *nos ex nobis habere fidem*; „ *sed ejus incrementum à Deo*: Quomodo igitur ad initium fidei interioris gratiæ necessitatem admittere potuerunt?

De Libertate.

PROPOS. DAMN. UNICA.

AD merendum & demerendum in statu naturę lapsę non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas à coactione.

CENSURA PONTIFICIA.

Hęreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Propo. sitio tertia. Doctrina Propositionis extat in Jansenio passim lib. 6. 7. & 8. de gratia Salv. lib 8. Cap. 19. docet, quod *nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda sit, sed sola vis, coactio, & necessitas violentię*. lib. 6. cap. 6. dicit, quod *sola necessitas coactionis adimat libertatem, non necessitas simplex*. Quòd verò Jansenius loquatur de libertate *ad merendum & demerendum*, ita ut sentiat, quòd *sola necessitas coactionis adimat libertatem* in ordine ad meritum, & demeritum, *non necessitas simplex*, patet ex lib. 6. de gratia

tia Salvatoris cap. 24. ubi dicit S. Thomam docere *opus esse Laude, vel vituperio dignum, meritorium, vel demeritorium, ex hoc, quod est voluntarium spontaneum, non coactum*. Statim Angelicum Jansenio non favere, sed refragari demonstrabitur.

Propositioni damnatæ suprà Bajus prolusit titulo *de libertate* propositione tertia, quæ est hæc. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*.

Sed & assertio Jansenii prædamnata est jam dudum à SS. Patribus, qui passim docent sublata libertate a necessitate, seu indifferentiæ, actus nostros nec præmio, nec pœna, nec laude, nec vituperio dignos esse: ita Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum, ubi sic ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus,,, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est,,*. Quod dictum refert Augustinus de natura & gratia cap. 5. Illudque approbat ut verissimum, atque notissimum, & in lib. de duabus animabus cap. 22. ait, quod *ista cantant & in montibus pastores, & in Theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliotecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in Locis Sacris, & in orbe terrarum genus humanum*.

Idem docet D. THOMAS qu. 6. de malo ante quatuor sæcula hanc *tertiam* clarissimè, & directissimè proscribens. Non *videtur*, inquit, *esse,, meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit,,*. In 2. etiam sent. dist. 24. q. 3. art. 3. *Ibi*, ait, *incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur*: sed dominium voluntatis est per libertatem indifferentiæ, per quam in ejus potestate est agere, vel non agere, aut agere hoc, vel illud, ut docet idem S. Doctor 1. p. qu. 82. art. 1. ad 3. ubi dicit. quòd *sumus domini nostrorum actuum, secundùm quod possumus hoc, vel illud eligere*: libertas igitur indifferentiæ est fundamentum moralitatis, proindeque meriti & demeriti humanorum actuum.

Quis non statim hic exclamet, Thomistas esse ab hac *damnata* remotissimos.

De-

De morte Christi pro omnibus.

PROPOS. DAMN. UNICA.

Propositio quinta. *SEmipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.*

CENSURA PONTIFICI.

Falsam, temerariam, scandolosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Prima Propositionis Pars colligitur ex libro 3. de gratia Salv. cap. 21. *Nec enim*, quit Jansenius, *justa doctrinam Antiquorum, pro omnibus omninò Christus passus, aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tàm generaliter Sanguinem fudit, cùm hoc potius tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum*. Postea sententiam illam vocat *Machinam a Semi pelagianis introductam*.

Secundam partem, qua Christus *pro salute dumtaxat prædestinatorum* dicitur mortuus, habet eodem capite Jansenius. *Nullo modo*, ait, *Principiis ejus* (Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse censeatur .... sed si quid pro illis rogavit Patrem, pro Temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit, & pro iisdem obtinendis obtulit pretium, fuditque sanguinem suum*: quin imo *juxta sanctissimum Doctorem, non magis*, inquit, *Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quàm pro diaboli deprecatus fuit*.

Opposita huic errori doctrina, scilicet Christum Dominum non pro solorum *Prædestinatorum*, sed pro aliorum etiam omnino omninum *æterna salute* mortuum esse, & sanguinem fudisse, constat apertè ex Scri-

ex Scripturis, Traditione Ecclesiæ, Patribus, præsertim præclarissimis Ecclesiæ Doctoribus, SS. Augustino, & Thoma.

Dicitur ad Rom. 5. *Christus „ pro impiis mortuus est „*. Et ad Hebræos 2. *videmus Jesum propter passionem mortis, gloria, & honorem coronatum, ut gratia Dei „ pro omnibus „ gustaret mortem*. Deinde Joan. epi. 1. cap. 2. *Sed & si quis*, inquit, *peccaverit, advocatum habemus apud Patre JesumChristum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: Non pro nostris autem tantum, sed etiam „ pro totius mundi „*. Suffragatur etiam communi fidelium sententiæ locus præstantissimus Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & „ pro omnibus mortuus est Christus „*. Quo loco probat Apostolus, quod omnes homines mortui sunt in Adamo ex eo; quod Christus pro omnibus mortuus est: sed omnes omninò distributivè mortui sunt in Adamo, (Beatam Virginem hìc ne vel per umbram tangimus) igitur & Christus mortuus est pro omnibus, & singulis hominibus distributivè, & non solùm pro generibus singulorum, ut interpretatur Jansenius. De hoc loco mox iterum.

Illud fidei dogma profitetur Ecclesia in symbolo Constantinopolitano hisce verbis: *Qui propter nos homines, propter nostram salutem descendit de Cœlis*, ... *Crucifixus, Passus &c.* non ait, propter nos fideles, vel propter *Prædestinatos*, sed „ *propter nos homines* „, ut significet Christum ad singulos prorsus homines redimendos passum esse.

Ad tribunal modò Augustini, ad quod unicè appellat Jansenius; explicato vultu, & justitiam causæ præ se ferente accedamus. Enarratione in Psalmum 95. illum versum explicans: *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem*, ait, *quia non partem emit, totum judicare habet, qui* " *pro toto pretium dedit* ". Si pro toto orbe terrarum, si pro omnibus, quos judicaturus est, pretium Christus dedit; profectò non pro salute dumtaxat *Prædestinatorum*, sed pro *omnibus omninò, & singulis hominibus* mortuus est.

Et ne dicatur, à Christo illud pretium pro toto orbe terrarum, pro omnibus Gentibus oblatum fuisse, Objectio.

E quate-

quatenùs in toto orbe terrarum seu in omnibus gentibus electi sunt, pro quibus mortuus est; ne, inquam,
Resp. id dicatur, audi Augustinum lib. 6. contra Julianum cap. 4. asserentem Christi pro illis omnibus mortuum esse, qui peccato originali obstricti sunt. Expendens namque illud Apostoli statim hic insinuatum: *Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, sic discurrit: *ex hoc probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuis mortuus est unus: impingo, inculco, infercio recusanti .... unus pro omnibus mortuus est: ergò omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, "ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est":* Sed omnes omninò, & singuli (superiùs dicta juvat repetere) in Adamo sunt mortui; ergo & Christus mortuus est pro omnibus omnino, & singulis planè hominibus.

Sed age, videamus qui Doctorum Aquila, ut demonstret Christum pro omnibus prorsus hominibus mortem obiisse, istos in classes singulas dividat, & pro singulis illis eum mortuum esse affirmet.

Primò mortuus est Christus pro *aeterna* salute omnium Credentium; ut liquet ex lib. de Catechis. rudibus cap. 26. *Deus misit unigenitum suum ...., ut in Jesum Christum, deletis omnibus peccatis praeteritis, " credentes " omnes in vitam aeternam ingrederentur.*

Nec ipsum Judam à Fidelium redemptione excepit: *Nec agnovit pretium Judas* (in Ps. 68.), *quo ipse a Domino redemptus erat.*

DeindèSalvator est parvulorum sine baptismo morientium. Lib. 1. operis imperfecti numer. 30. *Praeclari Praedicatores sic praedicatis Jesum, ut eum negetis parvulorum esse Jesum. Unde namque hoc Nomen acceperit, in Evangelio legite, & " nolite Salvatorem non salvis parvulis invidere ".*

Nec ipsos suos tortores, & crucifixores ab hac redemptione eximit. Lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos capite 8 sic inducit Christum ad illos loquentem: *videte vulnera, quae inflixistis, agnoscite latus, quod pupugistis, " quoniam & per vos, & propter vos apertum est ", nec tamen intrare voluistis.* Hoc & docet in Psal. 85. hisce verbis. *Ille* (Christus) *sic voluit*

voluit mori, ut sanguine suo " effusores ejusdem sanguinis redimeret ",.

Tandem Redemptor est omnium. Epistol. 157. *morte Christi non unius, aut aliquarum, sed universa anima, Propagationem contractum mortis Chirographum rumpitur*: & sermone 34. aliàs 31. ex editis à *Sirmondo*. *Habuit Christus Sanguinem*, inquit, *unde nos redimeret; & ad hoc accepit Sanguinem, ut esset, quem pro nobis redimendis effunderet. Sanguis Domini Dei tui, si vis, datus est pro te: si nolueris, non est datus pro te. Fortè enim dicis, habuit Sanguinem Deus meus, quo me redimeret: sed jam cùm passus sit, totum dedit: quid illi remansit, quod det & pro me? hoc est magnum, quia semel dedit, " & pro omnibus dedit ": Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium*. An clariora, vel luculentiora desiderari queant Testimonia ad confirmandum Fidei dogma de morte Christi pro omnibus prorsus, & singulis hominibus etiam reprobis? frustra igitur Jansenius ad Augustinum provocat, à quo tot modis, & tam apertè hæc divinæ pietati derogans Propositio proscripta est.

Magistri sui premit vestigia Sanct. Prosper in Responsione ad objectiones Vincentianas: *Dominus noster Jesus Christus liber à mortis debito, & solus absque peccato, pro peccatoribus, & debitoribus mortis est mortuus. Quòd ergò ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam Generis humani, sanguis Christi " Redemptio est totius mundi "*.

Utrique Patri magnus adstipulatur Aquinas lect. 2. in capite 2. Prioris epist. ad Timoth. *Christus* inquit, *est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus* (electis nimirum) *efficaciter, sed pro omnibus sufficienter; quia pretium Sanguinis ejus est sufficiens " ad salutem omnium "*.

Imò, ait Jansenius; *pretium Sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium*: quia scilicet mors, & passio Christi propter personæ dignitatem est infiniti valoris; atque ideò omnibus omninò salvandis sufficientissima: Cæterum pretium sanguinis ejus non est sufficiens *alio sensu* includentem oblationem *Object.*

mortis pro omnibus omnino hominibus. Non enim, inquit, pro redemptione omnium, & singulorum Christus passionem suam Patri suo obtulit: ad idcirco, ob defectum nempe talis oblationis, non magis pro reprobrum, quàm pro salute diaboli sanguinem suum fudit.

Resp. Sed illud refellit S. Doctor in caput 8. prioris epistolæ ad Corinthios lect. 2. Ibi enim exponens illud Apostoli: *Peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est?* Sic habet: *Peribit infirmus in tua scientia frater,* „ *propter quem salvandum Christus mortuus est*„? Facessat igitur illud Jansenii, *pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium quantùm est de se, etiam dæmonum propter infinitum pretii valorem, non autem ratione, oblationis, cùm mortem pro omnibus non obtulerit*: facessat, inquam, illud: Ecce ad *salvandum* etiam *pereuntem* Christus mortuus est. Nullus igitur omnino hominum ab *oblatione* pretiosi ejus sanguinis excipitur. Excipiuntur ab *illa dæmones*. Non enim *istorum*, sed *solius hominis* causam Christus misericorditer suscepit: non est istis præparatum illud immortalitatis poculum, quod hominibus bibitum medetur: quod si multis non medeatur, id ideò est quia impii, ac reprobi salutis poculum bibere, & universalem medicinam omnibus à Cœlesti Medico præparatam, & oblatam pervicaci, voluntate sumere renuunt. Illa pervicacia resistentia, renisus obices sunt, & impedimenta, quæ Sanctorum Patres dicunt ab homine poni, *Deo interim quod suum est implente*. ut ait D. Thomas ex Chrysostomo in capit. 2. ad Hebr. lect. 3. & 3. dist. 20. q. 1. art. 1. q. 1. ad 2. *quod omnes homines non reparantur, non est*, inquit Angelicus, *ex insufficientia medicinæ reparantis, sed ex defectu eorum, qui reparationis effectum in se ipsis impediunt*.

Object. At ait Jansenius: dicitur Joan. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*. Non igitur Christus pro toto mundo, seu pro omnibus mortem obtulit.

Resp. Verùm audiatur Angelicus hunc locum explanans. *Respondeo dicendum*, inquit, *quod Christus quan-*

tùm

tùm est de se, „ *pro omnibus oravit*, „ *quia oratio sua quantum est de se*, *efficax est*, „ *ut valeat toti mundo*, „ *sed tamen non in omnibus sortitur effectum*, *nisi in Sanctis*, *& electis Dei* „, *& hoc propter impedimenta mundanorum* „. Ecce Christus pro *omnibus* oravit, proindeque pro *omnibus* mortem obtulit, quod non omnes salvantur, hoc est propter *impedimenta mundanorum* seu peccatorum.

Nec obest illud Matth. 26 *qui pro multis effundetur &c.* quod toties allegatum est. **Object.**

Sic enim hoc explicat S. Doctor. *Et pro multis*, inquit, *effundetur*, *&* „ *pro omnibus*, „ *quia si consideretur sufficientia*, *ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, *& non pro nostris tantùm* „ *sed etiam totius mundi* „, *at si consideremus effectum*, *non habet effectum nisi in his*, *qui salvantur*, „ *& hoc ex culpa hominum* „ Quid nervosius? quid efficacius dici potest? **Resp.**

Ex prædictis convellitur etiam altera objectio Jansenii dicentis Dominum Jesum Christum pro reprobis omnibus in tantùm dumtaxat mortuum esse, in *quantùm temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt*. Etenim *peribit infirmus in tua scientia frater*, *propter quem salvandum Christus mortuus est*? Si mortuus sit, ut reprobus temporales tantùm aliquos divinæ gratiæ effectus consequeretur, profectò non ad eum *salvandum* mortuus est.

Audiatur etiam eximius Steyaertius *ad hanc propositionem* pagina mihi 213. Rogatum ego illum „ (Jansenium) velim, quam congrua foret istâ Apostolici dicti paraphrasis; *Peribit infirmus in tua* „ *scientia frater*, *propter quem pro temporalibus qui-* „ *busdam justitiæ effectibus Christus mortuus est*? „ quam scilicet efficax eo sensu fuisset Apostoli mo- „ nitum! Vide ne illum damnes, pro quo Christus „ quidem, ne damnetur, mortuus non est, sed ta- „ men mortuus est pro temporali quadam ejus justi- „ tia. Hæc certè qualia sint, nemo non videt. Quan- „ tò ergo planiùs, & naturalius sic Corinthium ad- „ monitu Paulus. Cave, ne actione tua, bona qui- „ dem ob sententiam tuam, sed imprudenti ob igno- „ rantiam aliorum; cave, inquam, ne illa perire „

 facias

„ facias fratrem tuum, pro quo, ne periret, mortuus „ est Christus, atque ita fructum mortis ejus tu in fra-„ tre tuo impedias.

Cæterum cæcus hic omnino sit oportet, qui & in hac Propositione non videat immensum Thomistas inter, & Jansenistas discrimen.

Thomistas nihil omnino habere commercii cum Jansenistis, ostendunt præclariores Societatis Theologi.

Sed ut ex omnium animis radicitùs evellatur *Jansenismi*, si quæ supersit de *Thomistis* opinio, prodeant in medium præcipui, & illustriores Societatis Jesu scriptores. Quam luculẽtum illi pro *Thomistis* præbent testimonium!

Emicat in primis P. Stephanus Descamps nomen Jansenistis maximè invisum, utpote qui primus ferè adversùs illos in arenam descendens eos accerrimè præ cæteris, & validissimè oppugnavit: hic itaque lib. 2. de hæresi Janseniana disp. 6. cap. 9. pro Dominicanis hæc scribit. *Glorietur licet Janseniani tot se nuperi dogmatis habere patronos, quot physica prædeterminationis defensores existunt, verè tamen mihi videor esse dicturus, nullos huic doctrinæ infensiores reperiri, quam qui post natam Calvini hæresim ex D. Dominici Ordine majoris eruditionis, & ingenii laude floruerunt.* Adducitque sigillatim eos, & eorum scripta. Et disp. 3. cap. 3. *quam invidiosè* (inquit) *novi dogmatis fautores queruntur per* Jansenii *latus universam S. Dominici familiam peti! quam importunè jactant eamdem esse utriusque causam! hoc in circulis apud imperitos, & mulierculas deblaterant; hoc in publicis Doctorum concertationibus urgent accerrimè, hoc in libellis; quos tàm frequentes edunt in lucem* (nec hodie edere desinunt) *magno verborum apparatu, ac pompa cum omnibus expostulant: at istud tamen falsitatem omnem superat, & ab iis cum stomaco ridetur, quibus utraque opinio nota est, atque perspecta.*

Huic se conformat P. Martinonus in Anti-Jansenio pag. 708. ubi hæc habet. *Errant* Jansenistæ *vel ipsis* Thomistis *judicibus ... nulla est ex illis quinque propositionibus ad summum Pontificem missis, ut eas speciali censura notare dignaretur, quam duo illi Ordines* (Dominicani, ac Jesuitæ) *non damnet, & censura dignam judicent: nulla, cujus oppositum sibi certum esse profitentur: nulla denique, quam utriusque familiæ Theologi quotquot de his rebus scripserunt, non graviter insectati sunt.*

Et quia

Et quia nonnulli sinistrè autumant per condemnationem Jansenii ictam quoque esse *gratiam per se efficacem*, vide quid scribit P.Annatus strenuus Molinæ propugnator in libro, cui titulus est, *Cavilli Jansenianorum* pag. 29. ubi sic loquitur. *Id, in quo convenimus* (Thomistæ, & Jesuitæ) *sancivit Pontifex Innocentius X. id in quo dissidemus, disputationi nostræ reliquit. Sed est, inquies, necessaria consequentia à positione illorum principiorum ad negationem gratiæ prædeterminantis: Respondeo, hoc ipsum inter nos disputari, an scilicet necessaria sit illa consequentia. Nobis videtur necessaria, illis non videtur. Utri melius sentiant, nondum definitum est. Vicerint illi, qui suam sententiam melius probaverint, meliùsque defenderint. Atque hoc est, Pontificem attingere noluisse controversiam inter nos, & Thomistas disputatam de „ gratia per se ipsam efficaci“.*

Pergit Annatus Thomistas tueri in libro Romæ edito, cui hunc titulum præfixit: *Jansenius à Thomistis gratiæ per se efficacis defensoribus damnatus*, quod in toto opere invictè demonstrat.

Jansenismum etiam, quoad omnia Jansenianæ Doctrinæ capita à *Thomistis* depellit tum in opusculo, cui titulus est: *informatio de quinque propositionibus ex Jansenii Theologia collectis*, tum in libro, cui titulus; *la conduite de l'Eglise*, in quo decem, & octo Thomistarum inter & Jansenistarum dogmata, assignat discrimina.

Quantùm ab illis dissident *Liberius Gratianus*, & *Theodorus Eleutherius* nuper Thomistas aggressi! pugnat *Liberius* differentiam inter Jansenium, & Thomistas *in solis verbis distare, non esse ovum ovo similius*, Doctrinas istas *in nullo apice esse dissimiles*.

Quis hic justam iram comprimat? sed sistamus calamum. Desinant isti Thomistas traducere, illosque non jam obliquè, & per latus (ut nonnulli factitarunt) sed pubblicè, & aperto marte petere. Desinant *gratiam per se efficacem* (de qua suprà sapienter, & prudenter *Annatus*) tam dirè proscindere, desinant Scholam tàm benè de Ecclesia meritam hæreseos arguere.

E contra desinant Jansenistæ familiaribus suis, aut earundem partium studio irretitis insusurrare, Thomistas in eodem cum Jansenio luto hærere.

Moliti quidem sunt Jansenistæ ad extremas redacti angustias sub Thomæ pallio, tanquam sub alis latitare, sed eos longè a se repulit omnium victor, & Prædebellator hæresum. Quòd si nonnihil ad Thomistarum dogmata velint accedere; candidè, & sincerè amplectantur *gratiam sufficientem*, quam tantoperè cum Magistro suo aversantur. Aversio ista patuit in Propositione 6. Alexandrina; *gratia sufficiens statui nostro non tàm utilis, quàm perniciosa est, sic ut proindè meritò possimus petere: a gratia sufficienti libera nos Domine*: & hodie instauratur aversio in famosis Propositionibus Patri. *Quesnel*. De quibus omnibus infrà ad annum 1690. & 1713.

PROPOSITIONES LAXIORES 110. DAMNATÆ

Ab *Alexandro* VII. & *Innocentio* XI.

Anno 1665. ANno 1665. 24. Septembris confixæ sunt ab *Alexandro* VII. Pontifice maximo Propositiones Laxiores 28. Illi sut & reliquis secuturis fundamentum præbuerat effrænis quidvis opinandi Licentia; seu fatalis *Probabilismus*. Iste jam ab aliquot annorum decadibus nihil mali cogitantem orbem Catholicum inquinare cœperat; at hic periculi admonitus, primùm per Homines privatos, deindè Academias, & Ecclesiarum Prælatos in inctebrescentis, & brevi undiquè inundantis mali extirpationem incubuit.

Itaque anno 1653. 30. Martii, & 26. Aprilis proscriptæ sunt à facultate Theologica Lovaniensi ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis assertiones laxiores 17. & 4. Maii anno 1657. ictæ ab eadem facultate ad petitionem Episcopi Gandavensis Propositiones 26. eadem Lue infectæ. Sed morum corruptela acres sibi non desint accersire Patronos. Ubique volitarunt *Apologia Casuistarum* quas, ut grassantem pestem amolirentur, statim ut apparuerunt, Principes Universitatum Parisiensis, & Lovaniensis gra-

vissima censura perstrinxerunt. At dum ubique disceptatur, dum Casuistarum luxuriantur ingenia, dum fervent pectora, & ingens in animas pretioso Jesu Christi Sanguine redemptas strages effunditur, tandem supremo disponente, & miserante Numine, summus Ecclesiæ Moderator Alexander VII. profligavit è Cathedra, ad quam res devoluta erat, assertiones 28. sunt autem hæ sequentes. Præmittitur illis decretum Pontificis.

S. D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Decretum prius adversus Propositiones scandalosas, & perniciosas in praxi.

Feria quinta die 24. Septembris 1665. In Congregatione Generalis S. Romanæ, & universalis Inquis. habita in Palatio Apost. Montis Quirinalis, coram Sanctissim. Dom. N. D. Alexandro *Divina Providentia Papa* VII. *ac Eminent. ac Reverendissimis Dom. S. R. E. Cardinalibus, inquisitoribus à S. Sede Apost. specialiter deputatis.*

SAnctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes; partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, perquam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrinâ, & quem si pro rea regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitæ Christianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu veriùs perverti contingeret, idem Sanctissimus D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Pa-

Propositiones 28 laxiores damnatæ ab Alexandro 7.

storali sollicitudine in rectam semitam revocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus Inquisitoribus seriò commisit; qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim exposuerunt.

1. Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens, Bullam cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, Anno 1629. 18. Julii in Consistorio S. Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proindè non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando potenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrifi-

ciis

ciis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustà reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defenden di non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eò quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est cont à justitiam beneficia Ecclesiastica

ca non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii; sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat; puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens commisit cum solita grave peccatum contra castitatem non explicando copulam.

26. Quandò litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a S. Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat; etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, Prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tamquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem: a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, ac status,

ne

ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

JOANNES LUPUS S. R. & Universalis Inquisitionis Not. &c.

Loco ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. *Jesu Christi* 1665. *indictione tertia, die verò* 2. *mensis Octobris, Pontificatus vero Sanctissimi in Christo Patris* D. N. D. Alexandri *Divina Providentia Papa VII. anno undecimo; supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me* Carolum Melanum D. *N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

At hic non stitit Propositionum laxiorum colluvies. Novæ emerserunt septemdecim, quas altero decreto die 18. Martii 1666. idem damnavit Pontifex.

S. D. N. ALEXANDRI Divina Providentia Papæ VII. Decretum posterius adversus Propositiones scandalosas; & in praxi perniciosas.

Feria 5. *die* 18. *Martii* 1666. *In Congregatione Generali. S. R. & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apost. Montis Quirinalis, coram* S. S. D. Alexandro *Divina Providentia Papa VII., ac Eminentiss & Reverendiss DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Repub. Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitionibus à Sede Apostolica specialiter deputatis.*

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die 14. Sept. proximè elapsi, quo viginti octo Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulo, & accuratè usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus per plu- *Damnata ab eodem Proposit. Laxiores 17.*

res

res in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendissimos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia sigillatim super unaquaque ipsarum audivit.

26. In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolutè a præcepto jejunii omnes illi qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit Præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti Sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula, *quamprimùm* intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectà-

ctamentum concubinarii, vulgò *Regalo*, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarum afficerent; & alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet. Ita quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii, prohibet omnibus Christi Fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquas ipsarum ad praxim deducant.

JOANNES LUPUS Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.

Locus ✠ Sigilli.

Anno à Nativitate D. N. JesuChristi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, indictione quarta, die vero 23. Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris D. N. D. Alexandri *Divina Providentia Papæ VII.*

anno

anno undecimo, supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi *Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me* Carolum Melanum, *ejusdem Sanctiss. Inquisitionis* Cursorem.

Ingens malum, post iteratam condemnationem, credebatur elisum; at ecce laxitas fortius denuo erumpens, omnia sanioris Theologiæ, morum, honestatisque repagula conglomeratis viribus perfregit, & famosi instar diluvii, totum ferme orbem Catholicum absorpsit. Ad rem calamitosissimam obstupuit, doluit, ingemuit emendatioris moralitatis, & Sanctissimæ vitæ Pontifex Innocentius XI. moxque tanti ponderis negotium sedulò aggressus gravissimam exortam tempestatem, convulsis 65. laxioribus propositionibus, anno 1679. 2. Martii compescuit. Per illum recesserunt aquæ, quæ (non ut olim undæ ultrices in pœnam peccati) sed in stimulum peccati, & naufragium animarum è longa, & lata quorumdam opinione in mentes hominum delapsæ fuerant.

Anno 1679.

En modò propositiones istas una cum Decreto illas feriente.

S.D.N. INNOCENTII Divina Providentia Papæ XI. Decretum contra Propositiones 65. scandalosas, & in praxi perniciosas.

Feria 5. die 2. Martii 1679. In Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis *habita in Palatio Apostolico Vaticano coram Sanctissimo D. N.* D. Innocentio *Divina Providentia Papa* XI. *ac Eminentissimis, ac Reverendissimis Dominis* S.R.E *Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus* Inquisitoribus, *à* S. *Sede Apostolica specialiter deputatis.*

Damnata ab Innocentio XI. Propos. Laxiores 65.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi à Deo creditarum saluti sedulò incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis à fel. record. Ale-

xandro

xandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas Propositiones partim ex diversis vel Libris, vel Thesibus, seu Scriptis excerptas, & partim noviter adinventas Theologorum plurium examini, & deindè Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus Propositionibus sedulò, & accuratè sæpiùs discussis, eorumque Eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis: idem Sanctissimus D. N. re postea maturè considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes Propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas, & in praxi perniciosas esse damnandas, & proibendas, sicut eas damnat & prohibet. Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati suæ quomodolibet, & ex quæcumque parte exhibitas vel exhibendas, ullatenus approbare.

1. Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi, hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2. Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.

3. Generatim dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui; modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili.

5. An peccet mortaliter qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret? Condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinqueniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solùm obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, quà justificari possimus.

8. Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit

valetudini, quia licitè poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.

9. Opus Conjugii ob ſolam voluptatem exercitum omni penitùs caret culpa, ac defectu veniali.

10. Non tenemur Proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos.

12. Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, ſuperfluum ſtatui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantum ex ſuperfluo ſtatui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicujus triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare; non quidem ex diſplicentia, ſed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum eſt abſoluto deſiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, ſed ut bonum cupientis quia nimirum ei obventura eſt pinguis hæreditas.

15. Licitum eſt Filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16. Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundùm ſe.

17. Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18. Si à poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere ut peccaminoſum per ſe non damno.

19. Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20 Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habebat ſupernaturalem.

21. Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolùm probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus.

22. Non niſi fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides latè dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilivè motivo ad juſtificationem ſufficit.

24. Vo-

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares, tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam Hæredi, quam Legatario contrà injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contrà eorum possessionem injustè impedientem.

34. Licet procurare abortum antè animationem

fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum patitur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli, & Famulæ domesticæ possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus *mohatra* licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis previè inito, cum intentione lucri,

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, potest creditor aliquid ultrà sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultrà sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: imo etiamsi sit prin-

sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, non quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primò videtur per hoc *digniores*, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non verò dignos; vel tantùm loquitur tertiò, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam quia interdicta est, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente Marito, non est adulterium; adeòque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti puta ne à Domino malè tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi Festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor simul à diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihilum tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Corporis Domini manducationem.

56. Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem; modò honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis, aut Indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directè, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Quicumque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis, illas vel illarum aliquam, conjunctim, vel divisim defenderit, vel de eis disputaverit, publice aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub interminationem Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, dignitatis, & status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas Opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducat.

Tan-

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores, seu Scholastici, ut alii quicumque in posterum se abstineant, & ut paci & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in Libris imprimendis, ac Manuscriptis, quam in Thesibus, Disputationibus, ac Prædicationibus caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas Propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc indè controvertuntur, donec a S. Sede recognita super iisdem Propositionibus judicium proferatur.

FRANCISCUS RICCARDUS Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.

Loco ✠ Sigilli.

Anno a Nativitate D. N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo nono, Indict. 2. die verb. 4. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris & D. N. Innocentii *Divina Providentia Papæ XI. anno tertio, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me* Franciscum Perinum *ejusdem Sanctiss. D. N. Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.*

Expendamus modo assertiones 110. a D. Thoma, ut ostendere conabimur, prædamnatas.

Illas, secuti ordinem suprà in *Bajanis* observatum, dividemus in materias, quas Doctor Angelicus tractat in sua summa.

Circa materiam, quæ traditur in prima Secundæ.

Non sit mentio primæ partis, cum hæ damnatæ tantùm concernant materiam moralem.

DE PROBABILIBUS.

PROPOS. DAMN.

1. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Est 3. Innocentiana.

2. *Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Est 27. Alexandrina.

3. *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantùm utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.* Est 1. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. qu. 53. art. 5. *Ad prudentiam pertinet præferre majus bonum minùs bono;* at hoc non facit ille, de quo prima propositio, sed è contra *minus bonum* præfert *majori bono*, cum incerta certis, debile fundamentum solido, apparenter falsa verioribus preponat, unde potius eligit id, quod simpliciter malum est; proindè talis *non prudenter*, sed sanè imprudentissimè procedit.

Age, hæc exemplis illustremus. Qui medicamentum reciperet, quod minùs salubre existimaret, spreto, ac abjecto altero, quod salubrius, & ad recuperandam sanitatem efficaciùs putaret, vel qui se navi committeret, quam minùs tutam, minùs-

que securam arbitraretur, relicta securiori, & tutiori; is profectò in rebus corporalibus imprudenter ageret: ergo similiter, & multò magis imprudenter agunt, qui aggrediuntur opus, quod probabiliùs putant esse illicitum, & qui salutem spiritualem animæ opinioni minùs tutæ, minùsque probabili, ut navi probabiliùs perituræ committunt; *nec timent* (ut loquitur Hugo Victorinus) *animæ suæ legem dare, quam corpori suo nolunt præscribere*.

Accedit alia ratio. Prudentia, cum sit virtus intellectualis practica, requirit certitudinem saltem moralem de honestate operationis: at qui sequitur opinionem minùs probabilem, & quidem *tenuiter* talem, sivè intrinsecam, sivè extrinsecam faventem libertati in concursu probabilioris, quæ stat pro præcepto, non habet certitudinem moralem de honestate, & bonitate morali suæ operationis; ergo talis prudenter non agit. Major patet, minor etiam videtur manifesta: quis enim affirmare ausit, se habere moralem certitudinem de honestate, & bonitate morali illius operationis, quæ magis mala, quam bona sibi apparet, sivè de qua hoc judicium, seu dictamen habet: probabilius, & verosimilius est, hanc actionem esse malam, & illicitam? qui verò operatur ex opinione minùs probabili, quæ refragatur præcepto, non potest non habere tale judicium, seu dictamen in intellectu; cum opinio probabilior suffragans præcepto dictet: & suadeat probabilius esse, & verosimilius, actionem illam esse malam, & illicitam: ille igitur non habet certitudinem moralem de honestate, & bonitate morali suæ operationis, adeòque prudenter non agit. His adde verba D. THOMÆ quodlibet: 8. a. 13. *Ille, qui in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, si manente dubitatione, plures prabendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat*. Quod à fortiori dicendum est de sententia probabili, & quidem *tenuiter* probabili in concursu probabilioris. Sententia enim merè dubia magis ad veritatem accedit, quam probabilis respectu probabilioris, cum dubia sit æquè probabilis, ac ejus contradictoria, probabilis vero per proba-

probabiliorem elidatur; majori proindè periculo se committit, qui sequitur probabilem relicta probabiliori, adeoque imprudentissimè procedit.

Atque *hæc est illa famosa Propositio*, ex quâ tot aberrationes, tot periculosæ doctrinæ moralis sequelæ, tot noxiarum assertionum infra expendendarum portenta eructata sunt. Vox communis probabilistarum hæc erat. *Qui probabiliter agit, prudenter agit: illud probabile est, probabilitate non caret; igitur licet.* Quòd si probabilitas deesset „*intrinseca*„ ; id est, motivum aliquod, seu ratio quâ opinio adornabatur, intrinseca; sufficiebat juxta illos, probabilitas *extrinseca*, id est nonnullorum, imò etiam unius (ut secunda propositio satis innuere videtur) *junioris*, & *moderni* authoritas, seu suffragium. Quin imò *jactabant illi* (ut habet Cabassutius lib. 3. de Juris Canonici Theoria, & praxi cap. 13.) *sibi genus humanum vinculo amplissima beneficentia adstrictum esse ob sublata peccata mundi: quia qua olim habebantur pro criminibus, sua authoritatis pondere reddidissent licita, & honesta; viamque illam arctam, & arduam, qua ducit in Cœlum, in amplissimam aream & planitiem convertissent, qua tuto, & indiscriminatim universi absque ulla difficultate in Cœlum devenirent solis exceptis, qui tantum beneficium non agnoscerent, Divinasque illas probabilitates non exoscularentur.*

Object. Hic profluxit celebris hæc illorum objectio. Cum *jugum Christi sit suave, & onus ejus leve*, ut dicitur Matth. 11. opiniones illæ in materia morum eligendæ sunt, quæ viam cœli planiorem, & faciliorem reddunt, quales sunt opiniones probabiles etiam *tenues* faventes libertati. Undè Caramuel in Theologia Regulari disp. 6. ait: *Ecclesiam Catholicam feliciorem dici debere, quod exubere Doctissimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones, quia damnarentur plurimis quos sententia probabilitatis salvat.* Itaque, ajebant passim, novorum Casuistarum solertia, & industria *via salutis quotidiè dilatatur*.

Resp. R. Jugum quidem Christi suave esse, & onus ejus leve, sed ejus suavitatem & levitatem oriri ex charitate, & gratia Christi illud emolliente, ac mitigante, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 98. art. 1. ad 3. non verò

non verò ex usu, seu potius abusu *Probabilismi*, quem novi Casuistæ in Ecclesiam induxerunt. Undè absonum est dicere, illorum solertia, & industria, viam salutis quotidie dilatari. Nam ut rectè discurrit Sinnichius Doctor Lovaniensis in libro de Saule Israeliticæ Gentis Protomonarcha tomo 1. p. 262. *Profectò tam non potest humana solertia ad semitam cæli adjicere digitum unum latitudinis, quam non potest ad staturam hominum adjicere cubitum unum longitudinis. Etenim qui vitæ hominis constituit terminos, qui præteriri non poterunt, ipse quoque constituit viæ cæli terminos, qui dilatari non poterunt; ipse quoque constituit viæ tartari terminos, qui contrahi non poterunt: atque adeo illa permanet arcta, prout ab ipso constituta est, & hæc perseverat spatiosa, prout ab ipso constituta est.*

Addit noster Julius Mercorus, (qui primus fermè adversus commentum probabilitatis calamum strinxit) in libro suo de praxi opinionum limitata respondens ad prædicta verba Caramuelis. *Si nova*, inquit *huic felicitati Ecclesiæ, quam supponit hic author, esset applaudendum, quod ab Opinatoribus* (seu probabilistis) *fideles ad lauream Empyream promoverentur facilius, esset simul condolendum infelicitati sæculorum antecedentium, quibus hæc janua Cæli foret clausa.* Undè profectò cum percelebri Guigone Carthusianorum quondam Generali exclamandum esset: *O Apostolorum tempora infelicissima! o viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba Labiorum Dei, tam * duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant!* * Psalmo 16.

Nescivit & ista compendia aliis locis Psaltes Regius, dum hæc ad Deum fundit. *Omnes viæ tuæ veritas* Psal. 118. non ait, omnes viæ tuæ *Probabilitas*. *Veritatem tuam doce me*. Psalm. 24. non ait, *probabilitatem* doce me: sed *deduc me Domine in via tua*, (Psal. 85.) *& ingrediar in veritate tua*, qua certe gaudet sententia probabilior favens legi, non probabilis favens libertati.

Ex dictis satis colligi videtur damnatio Propositionis *secundæ*. Porrò quantùm hæc ponderis libro *unius junioris*, & *moderni* tribuebat! *maximam* sanè

autho-

authoritatem (inquit Angelicus 22. q. 10. art. 12.) *habet Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda*, illius autem consuetudo semper fuit Antiquos longè modernis preferre. *Desinat* itaque *novitas* (aiebat S. Cælestinus 1. epist. 1.) desinat *novitas lacessere Vetustatem*; uti illam hæc non obscurè lacessit Propositio. Itaque ex hujus damnatione liquet, non mox aliquid habendum esse, ut probabile, si extet apud authorem *modernum*. *Veteribus* longo sæculorum usu probatis, longè major præ hisce *junioribus*, est in Ecclesia Authoritas.

Alius error, qui in hac Propositione perstringitur, „ is est, inquit Steyaertius, quod quidem existimare vi- „ derentur, satis probabilitatis inesse alicui opinioni, si „ Sedes Apostolica eam nondum condemnasset, etsi jam „ passim Episcopi, & Universitates eam reprobassent: „ quasi nimirum Sede Apostolica tacito assensu probet, „ quidquid Solemni judicio non improbat: adeòque tan- „ to tempore hoc est usque ad Alexandrum VII. & In- „ nocentium XI. probasse dicenda sit omnia illa mora- „ lium opinionum portenta, quæ tandem per eosdem „ improbavit Pontifices „.

Propositio *tertia* dicebat sententiâ probabili *tantùm* utendum non esse in collatione baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis: eo quod in illis obstat Lex, conventio, aut periculum gravis damni, puta, ne puer sinè vero & valido Baptismo moriatur, aut irritæ sint Ordinationes, & Consecrationes, quæ fierent ab hujusmodi Episcopis, ut & irritæ Absolutiones, quæ darentur à Presbyteris non verè ordinatis.

At benè; quod per hujus assertionis damnationem declaretur: illicitum esse in *cæteris etiam Sacramentis* conferendis sequi opinionem probabilem de valores Sacramenti, relicta tutiore: etsi nulla specialis obest Lex, conventio, aut periculum gravis damni: nonne obstat periculum *irreverentiæ*? Nonne illud subest, dum quis in illis conferendis sequitur opinionem *probabilem*? Sanà sancta sanctè tractanda sunt: unde in Sacramentorum collatione probabilitatem sectari, *pertinet ad irreverentiam Dei, & contaminationem Sacramentorum*. 3. p. q. 64. art. 6.

Ex hac propositione, ex infectio isto fonte profluxit

xit fine dubio, inter alias fcandalofa illa affertio. *Pœnitenti habenti confuetudinem peccandi contrà legem Dei, aut Ecclefiæ, etfi emendationis fpes nulla appareat, nec eft neganda, nec differenda abfolutio, dummodò ore proferat fe dolere, & proponere emendationem.* Sufficiebat fcilicet, juxta hæc jacta fundamenta, opinio *probabilis* de difpofitione pœnitentis. De *hac* & fimilibus infra titulo *de abfolutione, & occafione proxima.*

PROPOS. DAMN.

4. P*Robabiliter exiftimo Judicem poffe judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Eft 2. Innocent.

D. THOMAS 22. q. 71. art. 5. ad 3. *Judex tenetur juftam fententiam dare:* qui autem judicat juxta opinionem etiam minùs probabilem, non dat juftam fententiam.

Undè ità judicare eft *perfonarum acceptio, quæ inæqualitatem quamquam habet, in quantùm attribuitur perfonæ aliquid præter proportionem caufæ, in qua confiftit æqualitas juftitiæ.* 22. q. 63. art. 4. in corpore.

PROPOS. DAMN.

5. Q*Uando litigantes habent pro fe opiniones æquè probabiles, poteft Judex pecuniam accipere pro ferenda fententia in favorem unius præ alio.* Eft 26. Alexand.

D. THOMAS loco priori citato. *Juftitia non declinat in unam partem magis, quam in aliam.* Dum igitur litigantes habent pro fe opiniones æquè probabiles, cur Juftitiæ ftatera non fervat æquilibrium? Cur obducti antè Judicis oculi fplendore ftatim auri perftringuntur? & ftatera eo metallo gravis in partem dantis inclinatur?

At ille eft, inquis, *cafus pro amico*. Veriùs *lapfum animæ* effe pro *amico* dixeris.

Praxis habet, & rectè, ut, dum eft opinio æquè probabilis, convocentur à Judices partes ad componendum, vel ad rem ex æquo dividendam. Undè hic exulet acceptio munerum, ob quæ res integra

amico

amico adjudicetur. Quod si ei, salva justitia, opiturali velis: adhibere potes studium extraordinarium, aliasque diligentias indebitas, quibus nulla alteri parti infertur injuria. Hic rectus, & unicus dici potest casus *pro amico*.

Alium casum *pro amico* ignorarunt Jura, ignorarunt Theologi, ignorarunt Patres, imò & Gentiles, quos inter eminet Cambyses Persarum Rex, celeberrimus ille justitiæ custos. Is donis corrupto judici, filios ejus sanguinolento spectaculo interesse jusso; pellem vivo detrahi imperavit, & illa (horresco referens) Judiciale indui Tribunal, cumque filius semianimis à ferali tragædia oculos averteret; age, inquit Rex, scande modò hoc tribunal cute paterna cruentatum, judici succede patri futurus pœnarum successor, si paterna premas in acceptione munerum vestigia. Mitioremne Cambyses, si modò viverit, in judices exercentes casum *pro amico* nomine tenus à praxi puniti judicis differentem pronunciaret sententiam?

Terribilis punitio donis corrupti judicis.

PROPOS. DAMN.

6. **A**B *infidelitate excusabitur infidelis non credunt ductus opinione minùs probabili*. Est 4. Innocentii. D. THOMAS. Quodlibeto 2. art. 10. *in his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri, Alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arrii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum*. Licetne igitur Indo, aut Japoni, *sinè infidelitate* præstare assensum prædicanti V. G. sectam Mahometicam, quæ sibi verosimiliùs erronea videtur, licet aliundè umbratilis quædam probabilitatis species in ea sibi appareat? An talis probabilitas quidam nixa Scripturæ locis perperam intellectis excusavit sectatores Arrii, vel Nestorii?

Juxtà hunc jure merito proscriptùm errorem, omnes infideles etiam in infidelitate pertinaces salvari poterant. Nulla est enim Religio tam erronea, quæ non tenui quadam probabilitatis superficie induta esse videatur. Si tales salvari poterant, frustrà dictum est Marci 16. *Qui non crediderit, condemnabitur*.

De

De Legibus, & Libris prohibitis.

PROPOS. DAMN.

1. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam. Est 28. Alexand.

D. THOMAS 1. 2. q. 96. art. 4. in corp. *Leges positæ humanitus, siquidem justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ.* Obligat igitur lex à Principe promulgata, proindè peccat populus absque ulla causa illam non recipiens.

Hæc supponebat propositio leges habere vim obligandi à populo, & ab eo Principi datam esse potestatem, ita ut in beneplacito populi situm sit leges Principis vel recipere, vel repudiare. Sed illud principium præsuffocat Angelicus eodem articulo ad 1. *Apostolus dicit ad Rom. 13.,, Omnis potestas humana à Deo est,, : & ideo qui potestati resistit, Dei Ordinationi resistit, & secundùm hoc efficitur reus quantùm ad conscientiam.*

Deinde, etiamsi id verum foret: tamen Princeps a populo constitutus, hoc ipso quo Princeps à populo constitutus est, jam leges ferendi potestatem habet, nec non ad earum observationem populum obligandi. Vide etiam *Steyaertium* pag. 69.

PROPOS. DAMN.

2. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur Est 45. Alex.

D. THOMAS 1. 2. q. 69. art. 6. in corpore: *Omnis lex ordinatur ad communem hominum salutem, & in tantùm obtinet vim, & rationem legis.* Ordinatur autem, & maximè conducit ad salutem animarum, ut non solùm non retineantur libri prohibiti *absolute*, sed etiam, ut non retineantur prohibiti sub ista formula *donec expurgentur*, vel corrigantur. Etenim non minus horum, quam illorum retentioni inest erroris periculum; quod provida, & pia Mater Ecclesia com-

communi animarum saluti consulens summo studio à Fidelibus conatur avertere.

PROPOSITIONES DAMNATÆ

C*Ircà materiam, quæ tractatur in secunda secundæ.*

De virtutibus Theologicis in genere.

PROPOS. DAMN. UNICA.

H*Omo nullo umquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Est prima Alexandrina.

D. THOMAS 2. 2. q. 44. art. 2. ad 1. *Præcepta dantur de actibus virtutem*, non verò de habitu, ut infinitis in locis repetit. Angelicus. Sic, dum præcipit Deus, ut ablata restituamus, non restitutionis habitum, quo nemo recipit, quod suum est, sed actum præscribit, quo redditur id, quod injustè ablatum est. Dum eleemosynam fieri jubet, non de habitibus, quibus pauper non pascitur, sed de erogatione victus, quo pauper sustentatur, sermo est. Dum parentibus mandatur, ut in timore Domini filios suos educent, actualis, quæ sola illis prodest, non habitualis disciplina, à qua nullus dimanat fructus, a Deo præcipitur. Itaque Deus etiam non præcipit inertem, otiosum, & torpentem virtutum Theologicarum habitum, sed imperat, ut ferventes illarum virtutum *actus* eliciamus. Jubet se diligi dilectione actuosa, non cessante, dilectione vigili, non sopita, dilectione erecta, non inclinata, non jacente, non sepulta. Idem quoad elicientiam fidei, & spei Deus imperat; ita quidem, ut *per se*, & ex vi præceptorum Divinorum ad virtutes Theologicas pertinentium, teneamur in Fidei, Spei, & Charitatis actus prorumpere.

Object. Hinc ruit præcipuum damnatæ Propositionis fundamentum, quod in hoc situm erat, teneri quidem hominem harum virtutum actus elicere, sed per *accidens* tantùm, & aliorum occasione Præceptorum, quæ sinè hujusmodi actu expleri non possent, non verò

verò *per se*, & ex vi Divinorum mandatorum virtutes illas concernentium: ruit inquam, fundamentum, cum Præcepta dentur de actibus, & exercitiis virtutum *per se* eliciendis.

Et sanè nullæ sunt virtutes, quarum præcepta *per se* magis obligent, & quarum magis in sacris litteris fiat mentio, quam istarum trium Theologicarum *Qui timetis Deum, credite illi* Ecclesiastici 2. *Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra* Psalm. 61. *Spera in Deo tuo semper.* Oseæ 12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua* Deut. 6. Matthæi verò 22. prioribus recensitis, pro *fortitudine* ponitur *in tota mente tua*; deinde *hoc est Maximum, & primum mandatum*. Marci 12. ponuntur quatuor: Scilicet *ex toto corde tuo: ex tota anima tua: ex tota mente tua: ex tota virtute tua.* Talianè Præcepta, præsertim ultimum tam grave, tam Sanctum, tam justum, singulari Majestate à Moyse loco citato Deuteronomii promulgatum, populoque Israelitico impressum, toties in voca lege repetitum, Primum, & maximum mandatum, ad cujus accuratam observantiam cordibus hominum inserendam Deus unicè quodammodo collimat, talianè præcepta nunquam obligarent ad elicentiam actus?

Accedit, quod Ecclesia petat in Oratione Dominicæ 13. post Pentecosten; *omnipotens: sempiterne Deus, da nobis Fidei, Spei, & Charitatis augmentum*; qui autem tale possumus nancisci augmentum, nisi per trium virtutum Theologicarum, idque frequens exercitum?

Postremò, quòd detur *per se*, inter alia, præceptum Charitatis, disertè docet Angelicus 1. 2. q. 100. art. 10. in corpore. *Actus charitatis cadit sub præcepto legis, quod de hoc " specialiter datur ", scilicet diliges Dominum Deum tuum.*

De Fide, & ejus actibus.

PROPOS. DAMN.

1. *Fides non censetur cadere sub Præceptum speciale, & secundum se.* Est 16. Innoc.

D. THOMAS 1. 2. q. 62. art. 1. *De actibus Fidei dan-*

tur Pracepta in lege Divina. Dicitur enim Ecclesiastici 2. qui timetis Deum, credite illi.

Fundamentum Propositionis fuisse videtur, inquit *Steyaertius*, quod Fides ipsa prærequiratur, ut aliquod Dei præceptum homini insinuetur. Pro inde fides non censetur cadere sub Præceptum speciale.

Sed hanc subtilitatem jam dudum castigata Theologia præoccuparat; docendo credendi Præceptum simul cum ipsa fide; quæ prædicatur, innotescere, ita ut adversùs speciale fidei Præceptum peccet is, qui hanc sufficientibus motivis propositam amplecti detrectat. Illud constat ex Angelico 22. quæst. 10. art. 1. in corpore. *Infidelitas dupliciter accipi potest: uno modo secundùm puram negationem, ut dicatur infidelis ex hoc solo, quòd non habeat fidem. Alio modo potest intelligi infidelitas secundum contrarietatem ad fidem, qua scilicet aliquis repugnat auditui fidei, secundùm illud Isaia 53. Quis credidit aditui nostro? Et in hoc propriè perficitur ratio infidelitatis, & secundùm hoc infidelitas est peccatum* contrà præceptum scilicet de fide suscipienda debitè proposita; proindè fides cadit *sub praceptum speciale, & secundùm se.*

PROPOS. DAMN.

2. S*Atis est actum fidei semel in vita elicere*. Est 17. Innoc.

3. *Sufficit Mysteria Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse*. Est 65. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 44. art. 2. ad 1. *Pracepta dantur de actibus virtutum*, adeòque sistendo in eodem D. THOMÆ principio suprà expenso, fides semel habita, & exercita non potest esse deses, & omni deinceps actione carens, sed tenetur homo in illius actus *sæpè* prorumpere.

E contrà illud recentiorum Theologorum dogma ab exercitio virtutis fidei etiam circà sacratissima *Trinitatis, & Incarnationis* Mysteria hominem eximebat, poteratque ille, dummodò semel in vita credidisset, puta vel in juventute, vel dum aliàs fidem capessivit,

ſivit, reliquum vitæ tempus tamquam à dura lege emancipatus, ſuique juris factus aliis actibus, & exercitiis devovere.

Non ſic Angelicus, non ſic Apoſtolus, qui ait ad Galatas 3. *Juſtus ex fides vivit*: Non ſemel igitur, ſed ſæpiùs homo actus fidei eliciat, oportet: ſicut cibum ad corporis ſuſtentationem non ſemel tantum, ſed ſæpiùs debet ſumere, ne deficiat.

PROPOS. DAMN.

4. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus.* Eſt 21. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 2. art. 1. in corp. *Actuum ad intellectum pertinentium quidam habet firmam adhaſionem, ſicut cum aliquis conſiderat ea, qua ſcit, vel intelligit. Quidam verò actus intellectus habent cogitationem informem abſque firma aſſenſione: ſivè in neutram partem declinent, ſicut accidit dubitanti; ſive in unam partem magis declinent, ſed tenentur aliquo ſigno levi, ſicut accidit ſuſpicanti; ſivè uni parti adhæreant, tamen cum formidine alterius, quod accidit opinanti, ſed actus, qui eſt credere, habet firmam adhæſionem* „.

Non potuiſſet, Angelicus, ſi in hæc ipſa tempora incidiſſet, clarioribus, & ſolidioribus terminis errorem perimere. Ad aſſenſum enim fidei requirit *firmam adhaſionem*, quæ hoc ipſo excludit aſſenſum uni parti adhærentem cum formidine alterius, quod accidit opinanti. Aſſenſus autem ille eſt ipſiſſima *notitia probabilis*, de qua agit propoſitio, cùm ipſa, ſeu *probabilitas* definiatur *quod ſit adhaſio intellectus uni parti cum formidine alterius*: Non igitur aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis, nec cum formidine, qua quis formidat, ne non ſit locutus Deus: ſed requiritur certus, firmus, & ineluctabilis aſſenſus, cum innitatur veritati divinæ.

Undè *homo eſt certior de eo, quod audit de Deo, qui falli non poteſt, quam de eo, quod videt propria ratione, qua falli poteſt.* 22. q 4. art. 8. ad 2.

G 2 PRO-

PROPOS. DAMN.

5. *Voluntas non potest efficere, aut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.* Est 19. Innoc.

6. *Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem,* Est 20. Innoc.

D. THOMAS commentans in cap. 10. ad Romanos. *Intellectus credentis*, inquit, *non determinatur ad assentiendum, ex necessitate rationis, sicut intellectus scientis*,,. Ex quo sequitur, hominem non elicere actum assensus fidei ex motivis, & pondere rationum, quas Evangelii Præco proponit: Prædicante enim ipsomet Doctore Gentium, cujus verbis non phaleratis, sed simplici eloquentia refertis singularis vis inerat, quidam nostræ fidei mysteriis dissentiebant, alii assentiebant juxta illud Act. 17. *Cum audissent resurectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt; audiemus te de hoc iterum, quidam verò viri adhærentes ei crediderunt.*

Qui igitur fides producitur?

Hoc explanabit Scholarum Angelus... *requiritur* quidem *ad fidem*, inquit 1. p. q. 111. art. 1. ad 1. *quòd credibilia proponantur credenti, & hoc fit per hominem, secundùm quòd fides est ex auditu, ut dicitur ad Rom.* 10. *ipsum autem credere*, 22. q. 2. art. 9. in corp. (ubi multi audientes Evangelium, non credunt, quod spectat ad inscrutabilia judicia Dei) *credere*, inquam, *est actus intellectus assentientis veritati divinæ ex imperio voluntatis à „ Deo mota per gratiam „.*

Undè fides est actus *supernaturalis*, fides verò, de qua agit condemnatus error, *naturalis*, & *humana* tantùm est (licet altera Propositio innuat assensum esse *supernaturalem*, sed negatur illius Propositionis suppositum) fides, inquam, illa naturalis tantùm est, cum solummodò sistat in rationum pondere.

Proinde nil nimirum, quod barbarus extremo sub sole repostus audiens Evangelium à Prædicante, cujus verba rationem, motivum, & pondus solùm habent naturale, nil mirum profectò est, si idem postea

postea ab idololatris audiens plausibiliora, seu suæ magis imaginationi conformia prudenter *repudiet assensum*, quem præbuerat Evangelio, ut asserit Propositio *sexta*. Hæc propositio (ut & *quinta*) vera foret, si fides rationum ponderi commensuraretur, jam verò, ut vidimus, fides supernaturalis est quarumcumque rationum vim, & elaboratissimos superans discursus, & *Gratiæ* debetur assensus supernaturalis.

PROPOS. DAMN.

7. F*Ides latè dicta ex testimonio creaturarum, similivè motivo ad justificationem sufficit*. Est 23. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 2. art. 3. *Dicitur ad Hebræos* 10. *Sinè fide impossibile est placere Deo*: sinè fide utique *supernaturali*, non *naturali*, seu *latè* dicta, sivè Philosophica ex testimonio creaturarum, similivè motivo deprompta, hoc enim *D. Thomas* quasi hunc prævidisset errorem, apertè refellit in responsione ad 1. *quia natura hominis* (inquit) *dependet à superiori natura, non sufficit cognitio Dei*„ *naturalis*„ (en fides ista latè dicta) „ *sed requiritur supernaturalis* „, seu Theologica.

Præsuffocatur insuper directissimè damnatus error 1. 2. q. 112. art. 4. ad 2. „ *per cognitionem naturalem homo non convertitur in Deum, in quantum est justificationis causa, unde talis cognitio non sufficit ad justificationem* „.

Deniquè: justificatio est supernaturalis, itaque & dispositio ad illam debet esse supernaturalis: quæ quidem dispositio inter alias, primo requisita est fides *strictè* dicta; sicut docet Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*: fides, inquam (ne illa ad *latè* dictam detorqueatur) *quam ex auditu concipientes libere moventur in Deum, Credentes vera esse, quæ* „ *divinitus revelata sunt* „.

PROPOS. DAMN.

8. *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris*. Est 22. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 2. art. 5. *Dicitur ad Hebræos 11. Oportet credere accedentem ad Deum, quia est, & quod inquirentibus se „ Remunerator est „*

Et certe necesse est ad justificationem, & salutem; eam fidem in Deum habere, qua, inter alia, spes nostra in Deum excitetur. Quomodò autem spes nostra in Deum excitabitur, nisi Deum credamus esse inquirentibus se Remuneratorem?

PROPOS. DAMN.

9. *Si quis à potestate publica interrogatus, fidem ingenuè confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo, tacere ut peccaminosum per se non damno*. Est 18. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 3. art. 2. in argumento sed contra: *Apostolus dicit ad Rom. 10. corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*.

Sed potissimum id constat ex corpore. *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco, & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impedenda: puta si aliquis interrogatus de fide* (publica nimirum authoritate) „ *taceret* „ ; *& ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide: „ in hujusmodi enim casibus confessio fidei est de necessitate salutis* „.

De Charitate erga Deum.

PROPOS. DAMN.

1. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantùm in vita eliceret, condemnare non audemus*. Est 5. Innoc.

2. Pro-

2. *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis ergà Deum.* Est 6. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 44. art. 5. explicans hæc verba *Diliges Dominum Deum &c.* sic discurrit in corpore *Præcipitur nobis, ut tota nostra intentio feratur in Deum, quod est ex toto corde, & quòd intellectus noster subdatur Deo, quod est ex tota mente, & quod appetitus noster reguletur secundùm Deum, quod est ex tota anima, & quod exterior actus noster obediat Deo, quod est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere.* Quot D. Thomæ verba, tot sunt oracula damnati in bina propositione erroris præsuffocativa.

Damnarat *Alexander* VII. Deum non esse diligendum *per se* (ut supra vidimus *de virtutibus Theologicis* propositione damnata 1.) sed *quoties* Deus sit diligendus, Pontifex non explicat, ajebant harum propositionum authores: itaque satis est, si semel Deus in vita diligatur, præsertim cùm odiosa sint restringenda, nequè lex ultrà dilatanda sit, quam disertis verbis tonet. *Object.*

Estne igitur odiosum, quod velit à nobis diligi Deus, *diligibilis super millia auri & argenti, super mel, & favum, super aurum, & topazion?* Deus, inquam, fons, origo, & immensus totius bonitatis (quæ est causa dilectionis) Oceanus? in quem proindè deberet rapi, & effundi conglomeratis animæ, & corporis viribus totus amoris impetus? *Resp.*

Sanè cum Deus honorari parentes jubet, etiamsi non addat *quoties*, in præceptum honorationis parentum impingeret is, qui eos tantum semel in vita honoraret, & in tam protervum, & ingratum filium tota se natura aliter ingenita, inseminata, edocta armaret, & exoneraret: an igitur minori apud nos loco sit naturæ, vitæque author, & conservator Deus, & cujus conservatio est nostra continuata productio? citata D. Thomæ verba æternùm memoriæ, mentique imprimenda designant revera præceptum non semel, sed sæpiùs Deum diligendi: „ *præcipitur* „ enim (non consulitur) *ut ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligamus.* An hoc est semel tantùm teneri ad amorem Dei? *ignem veni* (inquit

Dominus) *mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* cur non itaque Divino amore accendimur, & sursum ferimur, inardescimus, & imus? absit hìc omnis mora, absit omnis tepidités, absit omne frigus.

Hinc etiam penitus ruat, necesse est septemtrionali frigore frigidior illa assertio *Probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum charitatis erga Deum*. Etenim ne quidem infra quinquennii terminum, actui Divini amoris hominem adstringi, non est ex tota fortitudine, vel virtute, vel viribus Deum diligere, quod tamen nobis (ut liquet ex D. Thoma) præcipitur.

PROPOS. DAMN.

3. T*Unc solum obligat, quandò tenemur justificari, & non habemus aliam viam, undè justificari possimus*. Est 7. Innoc.

D. THOMAS. 1. 2. q. 100. art. 10. in corpore: *Actus Charitatis cadit sub præcepto legis, " quod de hoc specialiter datur ".*

Est itaque præceptum Charitatis præceptum speciale, ut etiam superiùs considerando virtutes Theologicas in genere vidimus, adeòque *per se* obligat, & non solùm, quandò justificari tenemur.

De charitate erga Proximum.

PROPOS. DAMN.

1. N*On tenemur proximum diligere actu interno, & formali*. Est 10. Innoc.

2. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externo*. Est 11. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 25. art. 1. *dicitur* 1. *Joannis* 4. *hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*. Sed Deum tenemur diligere actu interno, & formali, ergo & proximum interno sinceri amoris affectu debemus diligere.

Confirmatur hæc Christiana, & ingenuæ, recteque menti à natura impressa doctrina 22. q. 26. art. 7. "

inte-

interior charitatis affectio „ debet respondere exteriori affectui : & q. 25. art. 9. *effectus & signa charitatis ex „ interiori dilectione procedunt „* , *& ei proportionantur*.

Denique : diligere debemus proximo ea charitate ; quæ omne odium excludat, actus autem externi, quos proximo demonstramus, ab alia radice prodire possunt ; & omne odium non excludunt : possunt enim ab hypocrisi imperari, aut certè ab humanitate quadam, vel arte potius Machiavellopolitica, quam, si modò viveret, facetè argueret Diogenes famosam adhibiturus lucernam, qua in frequenti forro homines candidi, sinceri, recti, explicati, & exporrecti cordis studiosè inquireret. Adeò ars ista pessima inexsaturabile sæpè odium sub speciosæ larva amicitiæ condens in multorum animos irrepsit.

Itaque exteriorum actuum exhibitio non est certum animi odium excludentis argumentum, quod tamen ad dilectionem proximi requiritur. *Interius* quis in proximum sit propensus, oportet, & hoc est illum verè diligere.

De quibusdam actibus Charitati contrariis.

PROPOS. DAMN.

1. *Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas*. Est 14. Innoc.

2. *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas*. Est 15. Innoc.

3. *Si cum debita moderatione facias potes absque mortali peccato de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum*. Est 13. Innoc.

D. Thomas 22. q. 26. loquens de ordine charitatis, quærit articulo nono, an homo ex charitate magis debeat diligere filium, quam patrem, cui quæsito sic respondet in corpore articuli. *Id quod habet majorem rationem boni, est magis diligendum, & quod est Deo simi-*

similius, & sic pater est magis diligendus, quam filius; quia scilicet patrem diligimus sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, & Deo similioris. Imò in tantùm diligendus est pater, ut in necessitate extrema succurrendum sit potius patri, quam filio. Id liquet 22. q. 31. art. 3. ad 13. *In necessitatis extrema articulo magis liberet deserere filios, quam parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum susceptorum*.

Si in præfato casu (in quo luctuosum foret hominis & patri, & filio providere optantis certamen) nullo modo liceat deserere parentes propter obligationem beneficiorum susceptorum, quam ipsa natura altè nobis impressit, licebitne filio absoluto, directo, formali desiderio cupere mortem patris, cui vitam debet? licebitne ei gaudere de parricidio parentis à se in ebrietate, adeòque ordinariè non sinè omni culpa sua perpetrato propter ingentes divitias indè ex hæreditate consecutas, & patris, labore, cura, sollicitudine partas?

Object. At, reponis, filius non cupit mortem patris, nec de ea gaudet in ebrietate illata, ut *malum patris, est*, verùm quatenùs ex ea pinguis provenit hæreditas.

Resp. Sed nec Poeta gentilis describens sæculum illud ferreum, *quo filius ante diem patrios inquirit in annos*, stylum acuit, in filios inquirentes in annos patris, quatenus *id malum patris est*: hoc enim planè est insolitum, & fortè numquam patratum vel ab abortivo naturæ monstro: illos Poeta tantùm redarguit, qui inhiantes divitiis, opibus, potentiæ, ob *id* exoptabant, ut mors prolixioris paternæ vitæ filium quantocyùs abrumperet; proindè ethnicus eos culpat, quos Christianus Theologus excusat.

Hinc & sponte sua ruit Propositio *tertia*, negaturque suppositum, posse aliquem de vita alterius cum *debita moderatione* tristari, & de morte illius naturali gaudere. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: an verò ullus vellet, ut quis de sua vita tristaretur, & de morte sua naturali gauderet?

PRO-

PROPOS. DAMN.

4. *Vix in sæcularibus, etiam in Regibus invenies superfluum statui, & ità vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quandò tenetur tantùm ex superfluo statui*. Est 12. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 32. art. 5. ad 3. *datur aliquod tempus, in quo quis mortaliter peccat, si eleemosynam dare omittat; ex parte quidem dantis, cum habet superflua, quæ secundùm præsentem statum non sunt sibi necessaria, prout probabiliter æstimare potest: Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum, Hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth. 6. sed debet dijudicari superfluum secundùm ea, quæ probabiliter ut in pluribus occurrunt*. Tale autem superfluum sic descriptum in multis sæcularibus opulentis, præsertim in Regibus reperitur, proindè illi tenentur ad elemosynam ex *superfluò statui*.

Fundamentum sententiæ fuit *Licere ditissimis, ipsisque adeò Regibus servare sua ad suum, suorumque statum augendum*. Et sic proculdubio vix, aut vix quidem aliquid in Locupletissimis reperitur superfluum, cum ambitio, vel effrænis cupiditas semper status amplificationi, & splendori inhiet; atque adeò juxtà illam opinionem elidebatur obligatio eleemosynæ à Scriptura Sacra tam sæpè inculcata. *Object.*

Fundamentum illud ex discursu corruit Doctoris Angelici, qui superflua non ad statum augendum, vel *futurum* extendit, sed ad *præsentem* restringit. Docet enim incumbere *ex parte dantis* obligationem eleemosynæ, *cum habet superflua, quæ „ secundùm præsentem statum non sunt sibi necessaria „, prout probabiliter, æstimari potest. Nec oportet, quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in „ futurum „*, puta promotiones ad altiorem, & sublimiorem vel sui, vel suorum statum. *Hoc enim esset de crastino cogitare*; & mentem inanis gloriæ expectatione pascere. *Resp.*

De

De Juramento, & restrictione Mentali.

PROPOS. DAMN.

1. *Vocare Deum in testem mendaci levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.* Est 24. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 98. art. 3. ad 2. *Ille qui jocosè* (proindeque in qualibet alia re levi) *perjurat, non evitat divinam irreverentiam, sed „ quantum ad aliquid magis auget "; & " ideò non excusatur à peccato mortali ";* adeòque propter vocationem Dei in testem mendacii *levis*, & *vult*, & *potest* Deus damnare hominem.

PROPOS. DAMN.

2. *Cum Causa licitum est jurare, sinè animo jurandi, sivè res sit levis, sive gravis.* Est 25. Innoc.

D. THOMAS. 22. q. 110. art. 3. in corpore. *Cum voces sint naturaliter signa intellectuum, innaturale est, & indebitum, quod aliquis voce significet id, quod non habet in mente*, sivè quod mentiatur, proindèque quod coram aliquo quis juret sinè mente jurandi: undè *cum mendacium per se pravum, & peccatum sit, à* fortiori peccatum est, mendacium juramento firmatum, in quo non datur parvitas materiæ. Tale autem mendacium continet propositio damnata.

PROPOS. DAMN.

3. *Qui mediante commendatione vel munere, ad Magistratum, vel officium publicum promotus est poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Est 28. Innoc.

4. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sivè interrogatus, sive propria sponte, sivè recreationis causa, sivè quocumque alio modo juret se non fecisse aliquid quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod*

non fe-

non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel aliud quodvis additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus. Est 26. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 89. art. 7. ad 4. *Debet juramentum servari secundùm „ intellectum ejus, cui juramentum præstatur „. Unde Isidorus dicit: * quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, „ cui juratur, intelligit „. Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* * *Lib. 2. de summo bono cap. 31.*

Sanè si talis restrictionum usus admittatur; latissima criminibus pandetur area; nulli poterunt iniri contractus, nullum tutò cum hostibus poterit feriri, & observari fœdus etiam Sacramento firmatum, extorris erit societas, fidelitas, commercium, pax, & unio animorum inter homines: quilibet, ut fallaces istos arte *Sinones* fugiat, abditæ se cogetur mancipare solitudini, ac sociale animal degenerabit in ferox, asperum, & intractabile: verbo, tota humani negotii machina susdeque ruet.

Sed nonnè Confessarius, inquis, excusatur, qui simpliciter interrogatus de peccato, quod per solam novit confessionem, respondet se id nescire? *Object.*

Id verum est: sed ideò, quia apud omnes omninò Theologos, & juxta communem fidelium sensum illud *nescio* Confessarii idem sonat, ac nescio *ut homo*: istud verò *non feci*, vel *juro me hoc non fecisse* subintelligendo *ut fateri debeam*; universæ retrò Antiquitati, torrenti Theologorum, fidelium menti, ac sinceræ praxi antè hos nuperos restrictionum artifices & fuit incognitum, & ab omnibus Christiana simplicitate imbutis omninò respuitur. *Resp.*

At publicam, reponis, subibit infamiam qui aurata commendatione ad officium publicum promotus est, si is non subintelligat à Ministris Regiis interrogatus, *non sum promotus vi munerum, vel commendationis, „ ut fateri debeam „.*

Tales sibi angustias imputet ille, qui effrænes ambitioni laxat habenas.

PRO-

PROPOS. DAMN.

5. *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio tunc censeatur expediens, & studiosa.* Est 27. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 110. art. 4. proponit hoc sibi argumentum; *Minus malum est eligendum, ut vitetur majus malum, sicut medicus præscindit membrum, ne corrumpatur totum corpus; sed minus nocumentum est, quod aliquis generet falsam opinionem in animo alicujus, quam quod aliquis occidat, vel occidatur; ergo licite potest homo mentiri:* Cui argumento sic respondet ad 4. *Mendacium non solùm habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo, sed ex sua* etiam *inordinatione*; quod scilicet sit contrà mentem; *non licet autem aliqua inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum, & ideò non est licitum mendacium dicere ad hoc, quòd aliquis se à quocumque periculo etiam mortis liberet*. Si mentiri non liceat ad salvandam vitam, licebitne uti restrictionibus elaborata mendacia continentibus (*hæc* modò blandiusculè *amphibologiæ* vocantur) ad tuendum honorem, famam, conservandum unum, alterumvè aureum, aut ob alium quemcumque finem?

PROPOS. DAMN.

6. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.* Est 29. Innc.

D. THOMAS 22. q. 111. art. 1. in corpore. *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exterius per signa exteriora, qualis est. Signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta. Sicut ergò veritati opponitur, quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quam quòd habet apud se, quod ad mendacium pertinet; ita etiam opponitur veritati, quod aliquis per aliqua signa factorum, vel rerum aliquid significet contrarium ejus, quod in eo est; quod propriè simu-*

ſimulatio dicitur. *Undè „ ſimulatio proprie eſt mendacium, quoddam in exteriorum ſignis factum conſiſtens*. *Non refert autem, utrum aliquis mentiatur „ verbo „ vel quocumque „ alio facto „*. *Undè cum omne mendacium ſit peccatum, conſequens eſt, „ quod omnis ſimulatio ſit peccatum „*, & quidem intrinsecè tale, cumque illa, quæ ſunt intrinsecè mala, ſeu peccata, numquam etiam graviſſimo urgente metu, à peccato excuſentur, invictè eruitur, nullam umquam eſſe cauſam juſtam, Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

Confirmat hæc omnia Angelicus 22. q. 93. art. 1. in corpore. *Reſpondeo dicendum, quod ſicut Auguſtinus dicit in lib. contra mendacium: Mendacium maximè perniciosum eſt, „ quod ſit in his, quæ ad Chriſtianam Religionem „* (adeòque quæ etiam ad Sacramenta) *pertinent „. Eſt autem mendacium, cum aliquis exterius ſignificat contrarium veritati. Sicut autem ſignificatur aliquid verbo, ita etiam ſignificatur aliquid facto, & ideò ſi per cultum exteriorem aliquid falſum ſignificetur* (ut revera ſignificatur ſimulando Sacramentorum adminiſtrationem) *„ erit cultus perniciosus „*: erit adminiſtratio Sacramenti falſa, & ementita, Deo authori Sacramentorum quique eſt ſumma Veritas, & Eccleſiæ injuria, & omnis omninò deſtructiva Religionis.

Scilicet eò uſque ſe diffuderat reſtrictio mentalis, ut non ſiſteret in verbis, ſed & in factis vellet ſibi locum vendicare. Sic V. G. ſi indignus Euchariſtiam petiiſſet, mortem, aliudvè grave malum Presbytero, niſi eam dediſſet, illaturus; poterat ei Sacerdos per ſimulationem in tali caſu dare hoſtiam non *conſecratam*.

Non diſparem diſſimulationem *in facto* olim Eccleſia fulminarat in famoſis * *Libellaticis* inertibus illis, & indignis Chriſtianis, qui libellos a Magiſtratibus ethnicis numerata pecunia obtinuerat fidem facientes ipſos Cæſarum edictis de cultu idolorum (quæ tamen non adoraverant) paruiſſe. Qua non verborum acrimonia ſimulatores iſtos perſtringunt SS. Patres?

* *Baronius ad ſaculum* 2.

De

De Homicidio.

PROPOS. DAMN.

1. R*Egulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei*. Est 31. Innoc.

2. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*. Est. 32. Innoc.

3. *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere, sicuti & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem*. Est 33. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 64. art. 7. in corpore tractans de famoso casu defendentis se cum occisione injusti vitæ invasoris, hęc allegarat: *non est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occisionem alterius, quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quam vitæ alienæ*, ita ut vita invasi vitæ invasoris præponderet, aut saltem æquivaleat. An verò *unus* aureus vitæ hominis æquivalere, vel cum ea librari potest?

Nec jus ad rem, ut vocant, ad copiosam hæreditatem adeundam, tanti est ponderis, quanti *vita*.

Postremam horret animus propositionem adducere, quæ licentiam impertiebatur Litteratis, & Clericis ferro, aut veneno, ut alio mortis genere grassandi pro possessione Cathedræ, vel Præbendæ.

Non ita Angelicus, pacificus, & moderatus Doctor q. 64. art. 4. in corpore. *Clerici* (inquit) *qui sunt electi ad Altaris ministerium, debent suum Dominum* (mansuetissimum Christum a tali omninò assertione abhorrentem) *imitari, secundùm judicem populi, sic & ministri ejus*, Ecclesiastici 10. 2.

PROPOS. DAMN.

4. E*St licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non*

di non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur Est 17. Alex.

5. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes; ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.* Est 18. Alex.

6. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequeat: idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Est 30. Innoc.

7. *Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Est 2. Alex.

D. THOMAS quæstione, & articulo citatis, *Vim vi repellere licet,* calumnia autem, opprobrium aliave hujusmodi non sunt *propriè* loquendo *vis*, ut etiam *Neesens*, *Boudart*, aliique passim advertunt: proindeque ista non *vi*, sed alia via quis repellat oportet: hanc legem a fortiori *Religiosus*, vel *Clericus* observet.

Porrò via illa est *via* judicii: nemo enim est judex *in propria causa*. Adeundus itaque est judex; coram illo objecta diluenda sunt, producendi sunt Innocentiæ testes, aliaque debitæ defensionis adhibenda sunt argumenta.

Quod si hæc non juvent, è contrà verò, & calumniatores pergant, & aliundè sint falsus accusator, falsi testes, ac iniquus judex, nec aliud evadendi remedium suppetat (quæ omnia sunt subjectum *secundæ* Propositionis) tunc Christiana mansuetudine, patientia, & inconcusso pectore frangenda, labefactanda, & elidenda est malevolorum iniquitas, ac premenda Coronati Vatis vestigia, cujus aurea vox est, & æternum malà quæque, & injurias ferentibus imprimenda: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*, duras sanè, si secundùm naturæ humanæ fragilitatem injuriarum ponderi succumbentis considerentur, faciles tamen per gratiam Dei.

Durum etiam videbitur perpeti inflictionem alapæ ob jacturam, ut quibusdam videtur, honoris. sed

H homo

homo verè Christianus non tam fragili honorem fundamento innixum arbitratur, ut ille à profligatissimo quopiam tenebrione alapam, aut fustem infligente, viro honorato auferri queat.

Talem non insequi, sicut *nec duellum acceptare*, (ut *quarta* simul cum *tertia* solvatur propositio) duellum, inquam, in quod tanto cum applausu Galliarum Rex Ludovicus XIV. inexorabile mortis decretum effudit, apud æquos veri honoris *in sola vita integritate* consistentis ponderatores non censebitur timiditas, aut imbecillitas animi, sed reputabitur Summa, Heroica, & Christiana Virtus, nec minori laude digna, quam si quis pro Patria præsentissima adiisset mortis discrimina. Etenim *fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit mœnia*. Horatius.

PROPOS. DANN.

8 **N**On *peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam*. Est 19. Alexand.

D. THOMAS 22. quæst. 64. art. 3. in corpore. *Principibus habentibus publicam authoritatem solùm licet malefactores* (quibus sanè annumeranda est adultera, quæ olim morte plectebatur) *occidere, non autem privatis personis*.

Object. At gravissimus est dolor, quem maritus haurit ex præsenti, oculisque substrato adulterio.

Resp. Id verum est, sed *vir non est judex uxoris*: & „ *ideò non potest eam interficere* „, *sed coram judice accusare*. In Suppl. q. 60. art. 1. ubi ex professo agitur de occisione uxoris in adulterio deprehensæ.

PROPOS. DAMN.

9. **L***Icet procurare abortum ante animationem fœtus ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. Est 34 Innoc.

D. THOMAS 22. q. 64. art. 6. in corpore. *Secundùm se considerando hominem, nullum occidere licet, quia in quolibet debemus amare naturam, quam Deus fecit, quæ per occisionem corrumpitur*.

Si di-

Si dicatur, nondum in casu posito à Deo factam esse naturam, seu infusam animam; perpendantur ponderosissima Tertulliani verba a D. Thoma variis locis, & ab omnibus passim Theologis adoptata, *Nobis*, inquit, *homicidio semper interdicto etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur dissolvere non licet.* „ *Homicidii festinatio est prohibere nasci* „. *Nec refert, natam quis eripiat animam, an* „ *nascentem* „ *disturbet.*

PROPOS. DAMN.

10. V*Idetur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur: ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi*. Est 35. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 64. art. 8. ad 2, *Ille, qui percutit mulierem prægnantem, si sequatur mors vel mulieris, vel* „ *pueri animati* „ (supponit igitur Angelicus tanquam omninò certum, prolem in utero, tempore a natura præfixo, esse animatam, ita ut oppositum sit prorsus improbabile), „ *non effugiet homicidii reatum* „. Quam horrendum hujusce propositionis dogma, taliter & in corpus, & in animam pueri sæviens, nec una morte saturatum!

De Detractione, seu Calumnia.

PROPOS. DAMN.

1. Q*Uidni non nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Est 43. Innoc.

2. *Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat, & si hoc non sit probabile, vix ulla opinio erit probabilis in Theologia*. Est 44. Innoc.

D. THOMAS 22. q. 110. art. 2. & 4. in corpore. *Vocatur mendacium perniciosum, quod dicitur in nocumentum proximi quantum ad personam, vel famam, &* „ *hoc est peccatum mortale* „. Quid verò est menda-

cium perniciosum, seu in nocumentum proximi, si tale non sit falsi criminis impositio?

Object. At, inquies, id facio ad propugnandum honorem, qui ab alio detractione, & calumnia impetitur.

Resp. Itanè est? *non est licitum mendacium officiosum dicere* (art. 3. ad 4.) *ad hoc, quod aliquis alium a quocumque periculo* etiam mortis (ut in argumento objiciebatur) *liberet*, licebitne igitur ad defendendum honorem, falsum alteri crimen affricare, adeoque perniciosissimum effutire mendacium?

Recta conscientia clamitat, non esse malum pro malo reddendum; & potius honori ducendum esse non solùm Ecclesiasticis, sed cuilibet etiam Christiano bonum pro malo reddere.

Egregiè sanè Angelicus 2.2. q. 72. art. 3. in corpore. *Sicut patientia* (inquit) *necessaria est in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur*. Et qu. 73 art. 4. ad 1. *In hoc potest commendari alicujus patientia*,,, *quod detractiones*,,. vel calumnias, *sustinet*,,.

De peccatis Luxuriæ.

PROPOS. DAMN.

1. *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solum esse malum, quia interdicta est, ut contrarium omninò rationi dissonum videatur*. Est 48. Innoc.

D. THOMAS 2.2. q. 154. art. 2. in corpore. *Peccatum mortale est omne peccatum quod committitur contra vitam hominis. Fornicatio autem simplex importat inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui est ex tali concubitu nasciturus. Ad educationem enim hominis non solùm requiritur cura matris, a qua nutritur, sed multò magis cura Patris, a quo est instruendus, & defendendus, & in bonis tam interioribus, quam exterioribus promovendus. Et ideò contrà naturam hominis est, quod utatur vago concubitu, sed oportet, quod sit maris ad determinatam fæminam, cum qua permaneat non per modicum tempus, sed per totam vitam. Et indè est, quod inest maribus in specie humana solli-*

sollicitudo de certitudine prolis, quia eis imminet educatio prolis. Hac autem certitudo tolleretur, si esset vagus concubitus, hac autem determinatio certa feminæ Matrimonium vocatur. Undè cum fornicatio sit concubitus vagus utpotè præter Matrimonium existens, est,, contra naturam prolis educandæ, & ideò ,, est peccatum mortale, & non solùm, quia interdicta est.

Alioquin profectò Gentiles, qui legem Dei positivam *prohibentem fornicari* ignorarunt, nullum fornicando peccatum commisissent, quod sanè nefas est asserere.

PROPOS. DAMN.

2. *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum*. Est 50. Innoc.

D. THOMAS in supplemento quæst. 49. art. 3. in corpore. *Pro fide* (loquitur Angelicus de bonis Matrimonii) *accipitur debitum servandi fidem, sinè quo etiam Matrimonium esse non potest*, ita ut tali debito, vel legi, aut juri Matrimoniali conjuges nullo prorsus modo renuntiare queant,

Idque apertissime constat ex Apostolo ad Romanos 7. *Mulier vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*. Non ait Apostolus, vivente, & *non consentiente viro*, ita ut si vir *consenserit, non sit adultera*, sed simpliciter,,, *vivente viro* ,,, *vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*. Nec ait, liberata est a lege viri, si mortuus fuerit, vel *consenserit vir ejus*, sed,, *si mortuus fuerit vir ejus*.,, *liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro*. *Sola* ergo mors mariti, non viventis *consensus* (ut volebat damnata Propositio) uxorem a lege viri eximit, adeoque & illius cum altero copulam ab adulterii crimine immunem facit.

Fuere nonnulli, qui in damnati patrocinium erroris magnum *Augustinum* trahere conati sunt, quasi saltem hac in re dubitarit occasione historiæ, quam

Object. narrat libro 1. *de Sermone Domini in monte* cap. 17. de mulierequadam Antiochena, quæ se, consentiente marito, alteri prostituit, ut eum morte liberaret.

Sed objectio facilè refellitur, non enim de veritate *assertionis nostræ*, sed de *veritate historiæ*, sivè facti dubitare se D. *Augustinus* indicat, dum ait. *Nihil hic in aliquam partem disputo, liceat, cuique æstimare, quod velit: non enim de Divinis authoritatibus deprompta historia est:* Cæterum quid sentiret de veritate dogmatis, disertis verbis significavit, dum antè hujus narrationem historiæ hæc inter alia profert.

Resp. *Certè non est ita existimandum, ne hoc fæmina, „ viro permittente, facere posse videatur „ quod omnium sensus excludit*. Et luculentissimè libro *de fide & operibus* capit. 7. *In civitate Dei nostri, in monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat „ uxorem suam alteri tradere „: quod in Republica Romana non solum minimè culpabiliter, verum etiam laudabiliter; Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutiùs modò disputaré opus est, cum & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque „ negent esse adulterium „, ne ipsi Dominò sanctoque Evangelio apertè convincantur obsistere*. Atque hæc pro vindiciis *Augustini*, quem cum D. THOMA Agustino *contracto* indivulsè sequitur Schola Thomistica.

PROPOS. DAMN.

3. MOllities *jure naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*. Est 49. Innoc.

D. THOMAS. q. 15. de malo articulo 1. *Omnis actus dicitur inordinatus, qui non est proportionatus debito fini; sicut comestio est inordinata, si non proportionetur corporis salubritati, ad quam ordinatur sicut ad finem. Finis autem usus genitalium membrorum est generatio prolis. Et ideò omnis usus prædictorum membrorum, qui non est proportionatus generationi prolis, „ est secundum se inordinatus, quicumque autem actus prædictorum mem-*

membrorum est præter commixtionem Maris & fœminæ (ut fit in mollitie) *manifestum est, quod non sit accomodatus generationi prolis*: Proindè mollities utpote actus modo jam descripto inordinatus *jure naturâ* prohibita est.

Et sana si illa non esset jure naturæ prohibita, rursus Gentiles lege Dei Positiva hoc crimen vetante destituti nullum se polluendo peccatum perpetrassent. Horribilis, & tamen vera sequela.

Sed hujus propositionis Authorum os obstruit vel levissimus inter ethnicos Poeta *Martialis* hoc gravissimo disticho directo ad quemdam *Ponticum* tetrum istius vitii mancipium.

Ipsam crede tibi naturam dicere verum,
Istud, quod digitis, Pontice, *perdis, homo est*;

PROPOS. DAMN.

4. *MOllities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem Speciei infimæ: ideòque sufficit in confessione dicere; se procurasse pollutionem*. Est 24. Alexand.

D. THOMAS 2. q. 144. art. 12. ad 4. *Gravitas in peccato magis attenditur ex abusu alicujus rei, quam ex omissione debiti usus. Et ideò inter vitia, quæ sunt contra naturam*, „ *infimum locum tenet peccatum immunditiæ*„ (seu Mollitiei) *quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum*: „ *gravissimum* „ *autem est peccatum, Bestialitatis* „ *quia non servatur debita species. Undè super illud Genesis* 37. accusavit fratres suos crimine pessimo: *dicit glossa quod cùm pecoribus* (fratres Josephi *miscebantur*. „ *Post hoc autem est vitium sodomiticum*„ *cum ibi non servetur debitus sexus*.

PROPOS. DAMN.

5. *FAmulus, qui submissis homeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem inservit deferendo scalam, aperiendo januam; aut quid simile cooperando; non peccat mortaliter, si id faciat metu notabili detri-*

menti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Est 51. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q 62. art. 7. in argumento sed contra, *Dicitur ad Rom. 1. Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Et in responsione ad 1. *Non solùm peccat ille, qui peccatum exequitur, sed etiam qui quocumque modo peccati est causa, „ vel cooperator „.*

Et profectò cur minus peccet ille, qui cooperatur domino in peccato luxuriæ, & quidem modo tam directo, & aperto, qualem allegat propositio, quam is, qui Hero obsequitur in committendo furto?

Theologi dum loquuntur de famoso *Naaman* Syro se simul incurvante cum Rege, qui illius manibus innixus Idolo *Remmon* corpus inflectebat, inter se laborant, ut eum ab idololatria excusent; atque ideò solum excusandus venit, quia obsequium Regi dumtaxat humanum, & civile quod præstabat extrà templum, etiam exhibebat in templo longè remotus ab idololatria Regis: profitebatur enim se veri Dei cultorem, & nolle se deinceps idola colere. *Non faciet ultrà servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis nisi Domino.* 4. Reg. 5. Undè circumstantiæ tales erant, quæ eum tum apud Gentiles, tum Judæos à cultu *Remmon* alienum esse indicabant. Quis verò mortalium ex circumstantiis scienter, & *studio* delatæ, & erectæ scalæ ad stuprandam virginem, apertæ januæ, aliisque id genus actibus non illicò talem servum arbitretur criminis esse Domini participem, & revera servum peccati, dignumque profligatissimo Hero ministrum?

Sanè si talis famulus conscientiæ stimulis agitatus petiisset ab Eliseo, ut quondam Naaman, an illud posset continuare obsequium, non ei, quemadmodum alteri, Propheta respondisset *vade in pace*, factum Naaman approbans; Dixisset ei, fuge, fuge protinus, teque præsentissimo eripe salutis animæ periculo. *Obedire magis oportet Deo*, ejusque mandatis, *quam homini* flagitioso nefaria præcipienti.

Scilicet *servitus*, seu famulatus, *quo homo homini subjicitur, ad corpus pertinet, non ad animam* 2. 2. quæst. 104. artic. 6 ad 2. unde *si aliud Imperator*, aut

aut Dominus, „ *aliud Deus jubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo* „, inquit Augustinus citatus ab Angelico prædictæ quæstionis articulo 5. in corpore.

PROPOS. DAMN.

6. E*St probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.* Est 40. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 154. art. 4. in corpore. *Oscula sunt* „ *peccata mortalia secundum quod libidinosa sunt* „. Oscula autem, seu osculum datum ob delectationem *carnalem*, &c. revera libidinosum est, negaturque suppositum secludi à *tali* osculo *periculum consensus ulterioris*. Undè enim delectat *carnaliter* osculum, nisi quia occultiùs mentem delectat, stimulat, rapit id, ad quod istud suapte natura quasi pondere suo fertur? quid illud est aliud, quam repræsentatio, & prægustatio ulterioris criminis?

Sanè SS. Patres jocos, nutus, blandiora verba, cæteraque hujusmodi in disparis sexus præsentia passim appellant *moritura virginitatis principia*: Quid dicendum igitur de *carnalibus* osculis?

Apage hic commentum illud, quòd intendatur sensibilitas, quæ ex osculo oritur. Certè & sensibilitas intenditur, & *carnalis* indivulsè sequitur, vel potiùs hæc *sola* intenditur delectatio. Quò enim non vergit libido in quam natura peccato originali saucia de se maximè proclivis est? nonnè hæc, dum osculum illud figitur, vel sopita resuscitatur, provocatur, irritatur?

Liquet igitur, quod osculum istud non *veniale*, sed *mortale* sit.

De sensuum voluptatibus.

PROPOS. DAMN.

1. C*Omedere & bibere usquè ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Est 8. Innoc.

D. THO.

D. THOMAS 1. 2. q. 18. art. 9. in corpore *Cùm rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus* (debitus ille finis non est *voluptas*) *ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali*: bibere igitur & comedere ad satietatem ob *solam voluptatem*, peccatum est, etiamsi non obsit valetudini.

Ne quod verò refugium supersit petitum ex eo, quod appetitus naturalis possit suis actibus, seu delectationibus frui, occurrit. D. Thomas & radicem propositionis evellit 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. *Secundùm appetitum sensitivum, qui est in animalibus, operationes quæruntur propter delectationem*: sed *institutor naturæ* homini „ *delectationes apposuit propter operationes* „: scillicet inter alias, ob sustentationem corporis: & tunc aliquis *ordinariè* cibo, & potu utitur. Non debet igitur comestio, & bibitio sistere in voluptate, seu delectatione, ne homo in *animalium* conditionem degeneret, & cum monstro voluptatis *Epicuro* consentiat.

PROPOS. DAMN.

2. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Est 9. Innoc.

D. THOMAS in suppl. q. 4. art. 5. in corpore. „ *Duobus solis modis* „ *conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi*: „ *alias autem ibi est peccatum* „ *ad minùs veniale*.

De furto, & restitutione.

PROPOS. DAMN.

1. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*. Est 36. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 66. art. 7. ad 2. *Uti re aliena occultè accepta in casu necessitatis extremæ non habet rationem furti propriè loquendo*, „ *quia per talem* „ *necessitatem* (ecce *extremam*, non *gravem*) *efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam*.

Obji-

Objicies tamen, D. Thomas agens 2. 2. quæst. 32. artic. 5. de obligatione dandæ eleemosynæ, necessitatem *gravem* (quam illic *urgentem* vocat) sub *extrema* comprehendit, articulo verò ejusdem quæstionis septimo ad 3. docet ei; *qui necessitatem extremam patitur, licere accipere de alieno ad sui sustentationem*: sequitur itaque etiam in *Gravi* necessitate id licere, quod tamen damnat Pontifex. **Object.**

Respondetur, quod necessitas *extrema* alia est latè sumpta; quæ sub se etiam comprehendit *gravem*, seu *urgentem*, de hac intelligitur D. THOMAS, dum dicit dandam esse Eleemosynam ex superfluo naturæ *Gravi* etiam necessitate laborantibus: alia est extrema *strictè* sumpta; & hanc *solam* dicit requiri, nullo modo *Gravem*, ut quis possit *accipere de alieno ad sui sustentationem*. Idque patet ex articulo illo septimo citato ad 3. ubi Angelicus necessitatem illam respectu miseriam patientis continuò nuncupat *extremam*; *In casu*, inquit, *necessitatis extremæ omnia sunt communia*. Non ait, in casu necessitatis *gravis*: *in extrema* autem *accipere licet de alieno, si non inveniat, qui sibi dare velit*. Vide etiam *Steyaertium* in Aphorismis tomo 1. parte 2. dispur. 34. numero 6. **Resp.**

PROPOS. DAMN.

2. F*Amuli, ac famulæ Domesticæ possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Est 37. Innoc.

D. THOMAS 22. quæst. 66. artic. 5. ad 3. *qui accipit rem suam apud alios injustè detentam*, vel suo sibi judicio liquidè debitam, *peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium juris ordine prætermisso*. In hoc igitur peccat compensatio *occulta*, quod quilibet in propria causa judicem agat; omni ordine, & subordinatione, perniciosa metamorphosi subversis. Unicuique famulantium videbitur debitum omninò liquidum, & non dubium; non enim homines procedunt secundùm hoc, quòd res sunt, sed secundùm quòd sibi videntur, proindeque illorum

quili-

quilibet operam suam suo judicio, majorem salario existimans tutò, securè Dominos expilare poterit. Ardebit Troja, & ignorabitur author incendii.

Certè furta Domestica præ aliis gravius puniri possent, eò quòd specialiter perturbent pacem, & securitatem domesticam: jam verò quæ pax, securitas, & tranquilitas erit in ædibus, si passim compensationum occultarum permittatur colluvies?

Nec in illis sistit familiarum ruina. Ut nihil dicam de molitoribus, sartoribus, aliisque id genus hominibus, quibus facilior est clanculùm surripiendi occasio; quilibet operarius conductitius, qui minori fortè quam vellet, pretio operam suam addixit Domino, reliquum compensatione occulta sibi comparabit. Idem sibi jus vendicabunt, qui res suas alteri vendiderunt. Etenim plures ex illis (si in sua quisque causa judex sedeat) hac in re ipso *Tullio pro domo sua* loquente facundiores allegare poterunt, se fuisse infra justum pretium merces suas adactos vendere; à divitibus passim stringi mucrones in suum suorumque jugulum, ab illorum peccatis divinam provocari vindictam; se fame enecari, atque hinc se compulsos fuisse merces suas non tam vendere, quam imminentem famem redimere. Ita grassabuntur undique fures, &, famosarum instar ranarum tempore *Pharaonis*, in omnes ædium sinus, penetralia, angulos, cistas sese inserent eò illis periculosiores, quòd videri non poterunt. Qualis ista rerum facies, familiarumque calamitas!

PROPOS. DAMN.

3. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Est 38. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 62. art. in corpore. *Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideò restituere importat redditionem illius rei, quæ injustè ablata est. Sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur.*

Object. Sic est, inquis, sed restitutio non obligat sub *mortali*

tali in paucis, seu parvis furtis. Plura enim peccatā venialia nequeunt conflare unum peccatum mortale, adeòque nec parva furta id possunt, ac proindè non tenetur quis sub *mortali* restituere quod per talia ablatum est.

Sed hæc responsio nulla est: licet enim furta illa parva secundùm se considerata non fiant peccatum mortale, ultimum tamen furtùm, quo pervenitur ad magnam materiæ quantitatem, est peccatum mortale; ex connotatione enim furtorum præcedentium, cum quibus illud mortale conjungitur, redditur furtum rei *gravis*, adeòque tenetur quis sub pœna *peccati mortalis* restituere quod ablatum est per parva furta, dum ad summam notabilem perventum est. *Resp.*

PROPOS. DAMN.

4. *QUi alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illud damni illati*. Est 39. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 62. art. 7. in corpore. *Ad restitutionem tenetur aliquis non solum ratione rei alienæ, quam accepit, sed etiam ratione injustæ acceptionis: & ideò quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem quòd quidem contingit....,, Movendo ,, ad ipsam acceptionem, quod fit præcipiendo, consulendo &c.* Quę quidem omnia continentur famosis versiculis *jussio, consilium, consensus &c.* hic etiam à D. Thoma cit.

De mutuo, & usura.

PROPOS. DAMN.

1. *CUm numerata pecunia pretiosior sit numeranda & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Est 41. Innoc.

2. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Est 42. Alexand.

D. THO-

D. THOMAS q. 78. art. 1. in corpore. *Quædam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, & triticum consumimus eo utendo ad cibum, unde in talibus non debet seorsum computari usus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur usus rei, ex hoc ipso conceditur res.... proprius autem, & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, sivè distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundùm se est illicitum „ pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura „.* In utraque autem propositione accipitur aliquid pro mero *usu* pecuniæ mutuatæ, quod facillimè demonstratur.

Ad *primam* enim quod attinet, mutuum solet definiri à Theologis quòd sit *contractus, quo unus rem suam sic alteri tradit, ut ipsa statim fiat accipientis cum obligatione reddendi postea præfixo tempore rem eamdem specie Mutuatori*. Itaque ratio & natura mutui importat inter alia *actualem* traditionem pecuniæ, adeoque importat *numeratam* pecuniam, non *numerandam*, *præsentem*, non *futuram*, hoc enim ineptum & ridiculum est: omne igitur quod hic mutuans petit ultra sortem à mutuatario *numeratæ*, & *præsentis* pecuniæ titulo, revera totum id exigit pro mero, & *solo usu* pecuniæ.

Ad *secundam* habetur responsio ex dictis. Includitur enim in mutuo, quod mutuatarius obligetur eandem rem specie mutuanti reddere *tempore præfixo*. Itaque & mutuans vicissim se obligat ad non repetendam sortem ante *certum aliquod tempus*. V.G. ante trimestre, vel annum. Ecce itaque iterum merus *usus* pecuniæ, quem isti auri helluones seorsum ab illa vendunt.

Nec refert, quod *obligatio ad non repetendam sortem ad determinatum tempus*, videatur posse pretio æstimari: hæc enim obligatio est intrinseca mutuo, ideòque naturam ejus sequitur. Si quid igitur mutuatur exigit, totum id est pro *usu* pecuniæ mutuatæ; quod usurarium est.

PRO-

PROPOS. DAMN.

3. USura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum. Est 42. Innoc.

D. THOMAS hic a nonnullis citatur quasi tradat doctrinam illam 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3. *Si munus ab obsequio, vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex „ benevolentia „, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.* Object.

Sed ab hisce verbis vel umbra abest erroris. Non enim illic fit mentio de exigendo munere ab obsequio, vel a lingua, idque ex *benevolentia, tamquam debitum*, ob quæ verba præfata propositio confixa fuit, sed de exigentia, seu petitione, qua liberalia peti solent. Idque colligitur ex fine corporis. *Si quis accipiat aliquid hujusmodi (cujus pretium pecunia mensurari potest) non quasi exigens, nec quasi ex aliqua „ obligatione tacita, vel expressa „, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licitè poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit.* Si quod igitur lucrum mutuans accipiat ex dono, vel liberalitate mutuatarii (quod etiam antequam mutuasset, accipere poterat) requirit *D. Thomas* ut id non exigat *ex aliqua obligatione tacita, vel expressa*, seu *tamquam debitum*. Undè S. Doctor non solum non doctrinam tradit erroneam, qui omnes libros, teste oraculo Pontificio, * sine ullo prorsus errore conscripsit, sed eam quoque totaliter profligat. Convellit & illam citato articulo ad 2. *Debito amicitiæ non competit civilis obligatio, per quam inducitur quadam necessitas, ut non spontanea compensatio fiat.* Talem obligationem, & compensationem non *spontaneam* certè continet propositio damnata. Resp.

* Clem. VIII.

Nec valet titulus, seu debitum Gratitudinis. Ementitam enim, & ridiculam hæc assertio facit gratitudinem: quemadmodum ridicula foret donatio alicujus Nobilis, qui habens equum centum pataconibus æstima-

Object. narrat libro 1. *de Sermone Domini in monte* cap. 17. de muliere quadam Antiochena, quæ se, consentiente marito, alteri prostituit, ut eum morte liberaret.

Sed objectio facilè refellitur, non enim de veritate *assertionis nostræ*, sed de *veritate historiæ*, sivè facti dubitare se D. *Augustinus* indicat, dum ait. *Nihil hic in aliquam partem disputo, liceat, cuique æstimare, quod velit: non enim de Divinis authoritatibus deprompta historia est*: Cæterum quid sentiret de veritate dogmatis, disertis verbis significavit, dum antè

Resp. hujus narrationem historiæ hæc inter alia profert. *Certè non est ita existimandum, ne hoc fœmina, à viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit*. Et luculentissimè libro *de fide & operibus* capit. 7. *In civitate Dei nostri, in monte Sancto ejus, hoc est in Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, ut non liceat, uxorem suam alteri tradere; quod in Republica Romana non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter; Cato fecisse perhibetur. Neque hinc diutiùs modò disputaré opus est; cum & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque, negent esse adulterium, ne ipsi Domino sanctoque Evangelio apertè convincantur obsistere*. Atque hæc pro vindiciis *Augustini*; quem cum D. THOMA Augustino *contracto* indivulsè sequitur Schola Thomistica.

PROPOS. DAMN.

3. MOllities *jura naturæ prohibita non est, unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*. Est 49. Innoc.

D. THOMAS. q. 15. de malo articulo 1. *Omnis actus dicitur inordinatus, qui non est proportionatus debito fini; sicut comestio est inordinata, si non proportionetur corporis salubritati, ad quam ordinatur sicut ad finem. Finis autem usus genitalium membrorum est generatio prolis. Et ideò omnis usus prædictorum membrorum, qui non est proportionatus generationi prolis, est secundum se inordinatus, quicumque autem actus prædictorum*

mem-

membrorum est præter commixtionem Maris & fœminæ (ut fit in mollitie) *manifestum est, quod non sit accommodatus generationi prolis*: Proindè mollities utpote actus modo jam descripto inordinatus *jure naturæ* prohibita est.

Et sanè si illa non esset jure naturæ prohibita, rursus Gentiles lege Dei Positiva hoc crimen vetante destituti nullum se polluendo peccatum perpetrassent. Horribilis, & tamen vera sequela.

Sed hujus propositionis Authorum os obstruit vel levissimus inter ethnicos Poeta *Martialis* hoc gravissimo disticho directo ad quemdam *Ponticum* tetrum istius vitii mancipium.

Ipsam crede tibi naturam dicere rerum,
Istud, quod digitis, Pontice, *perdis, homo est*;

PROPOS. DAMN.

4. M*ollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem Speciei infimæ: ideòque sufficit in confessione dicere; se procurasse pollutionem*. Est 24. Alexand.

D. THOMAS 2. q. 144. art. 12. ad 4. *Gravitas in peccato magis attenditur ex abusu alicujus rei, quam ex omissione debiti usus. Et ideò inter vitia, quæ sunt contra naturam*, ,, *infimum locum tenet peccatum immunditiæ*,,. (seu Mollitiei) *quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum*: ,, *gravissimum* ,, *autem est peccatum*, *Bestialitatis* ,,, *quia non servatur debita species. Undè super illud Genesis* 37. accusavit fratres suos crimine pessimo: *dicit glossa, quod cum pecoribus* ¦ fratres Josephi *miscebantur*. ,, *Post hoc autem est vitium, sodomiticum*,. *cum ibi non servetur debitus sexus*.

PROPOS. DAMN.

5. F*Amulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem inservit deferendo scalam, aperiendo januam; aut quid simile cooperando; non peccat mortaliter, si id faciat metu notabili detri-*

menti, puta ne à Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. Est 51. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 62. art. 7. in argumento sed contra. *Dicitur ad Rom. 1. Digni sunt morte non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

Et in responsione ad 1. *Non solùm peccat ille, qui peccatum exequitur, sed etiam qui quocumque modo peccati est causa, „ vel cooperator „.*

Et profectò cur minus peccet ille, qui cooperatur domino in peccato luxuriæ, & quidem modo tam directo, & aperto, qualem allegat propositio, quam is, qui Hero obsequitur in committendo furto?

Theologi dum loquuntur de famoso *Naaman* Syro se simul incurvante cum Rege, qui illius manibus innixus Idolo *Remmon* corpus inflectebat, inter se laborant, ut eum ab idololatria excusent; atque ideò solum excusandus venit, quia obsequium Regi dumtaxat humanum, & civile quòd præstabat extrà templum, etiam exhibebat in templo longè remotus ab idololatria Regis: profitebatur enim se veri Dei cultorem, & nolle se deinceps idola colere. *Non faciet ultrà servus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis nisi Domino.* 4. Reg. 5. Undè circumstantiæ tales erant, quæ eum tum apud Gentiles, tum Judæos à cultu *Remmon* alienum esse indicabant. Quis verò mortalium ex circumstantiis scienter, & *studio* delatæ, & erectæ scalæ ad stuprandam virginem, apertæ januæ, aliisque id genus actibus non illicò talem servum arbitretur criminis esse Domini participem, & revera servum peccati, dignumque profligatissimo Hero ministrum?

Sanè si talis famulus conscientiæ stimulis agitatus petiisset ab Eliseo, ut quondam Naaman, an illud posset continuare obsequium, non ei, quemadmodum alteri, Propheta respondisset *vade in pace*, factum Naaman approbans; Dixisset ei, fuge, fuge protinus, teque præsentissimo eripe salutis animæ periculo. *Obedire magis oportet Deo*, ejusque mandatis, *quam homini* flagitioso nefaria præcipienti.

Scilicet *servitus*, seu famulatus, *quo homo homini subjicitur, ad corpus pertinet, non ad animam* 2. 2. quæst. 104. artic. 6 ad 2. unde *si aliud Imperator*, aut

aut Dominus, „ *aliud Deus jubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo*,„, inquit Augustinus citatus ab Angelico prædictæ quæstionis articulo 5. in corpore.

PROPOS. DAMN.

6. **E**st *probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis*. Est 40. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 154. art. 4. in corpore. *Oscula sunt* „ *peccata mortalia secundum quod libidinosa sunt* „. Oscula autem, seu osculum datum ob delectationem *carnalem*, &c. revera libidinosum est, negaturque suppositum secludi à *tali* osculo *periculum consensus ulterioris*. Undè enim delectat *carnaliter* osculum, nisi quia occultiùs mentem delectat, stimulat, rapit id, ad quod istud suapte natura quasi pondere suo fertur? quid illud est aliud, quam repræsentatio, & prægustatio ulterioris criminis?

Sanè SS. Patres jocos, nutus, blandiora verba, cæteraque hujusmodi in disparis sexus præsentia passim appellant *moritura virginitatis principia*: Quid dicendum igitur de *carnalibus* osculis?

Apage hic commentum illud, quòd intendatur sensibilitas, quæ ex osculo oritur. Certè & sensibilitas intenditur, & *carnalis* indivulsè sequitur, vel potiùs hæc *sola* intenditur delectatio. Quò enim non vergit libido in quam natura peccato originali saucia de se maximè proclivis est? nonnè hæc, dum osculum illud figitur, vel sopita resuscitatur, provocatur, irritatur?

Liquet igitur, quod osculum istud non *veniale*, sed *mortale* sit.

De sensuum voluptatibus.

PROPOS. DAMN.

1. **C**omedere *& bibere usquè ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui*. Est 8. Innoc.

D. THO-

D. THOMAS 1. 2. q. 18. art. 9. in corpore *Cùm rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus* (debitus ille finis non est *voluptas*) *ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali*: bibere igitur & comedere ad satietatem ob *solam voluptatem*, peccatum est, etiamsi non obsit valetudini.

Ne quod verò refugium supersit petitum ex eo, quod appetitus naturalis possit suis actibus, seu delectationibus frui; occurrit. D. Thomas & radicem propositionis evellit 1. 2. q. 4. art. 2. ad 2. *Secundùm appetitum sensitivum, qui est in animalibus, operationes quaeruntur propter delectationem*: sed *institutor naturæ* homini „ *delectationes apposuit propter operationes* „: scillicet inter alias, ob sustentationem corporis: & tunc aliquis *ordinatè* cibo, & potu utitur; Non debet igitur comestio, & bibitio sistere in voluptate, seu delectatione, ne homo in *animalium* conditionem degeneret, & cum monstro voluptatis *Epicuro* consentiat.

PROPOS. DAMN.

2. *Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.* Est 9. Innoc.

D. THOMAS in suppl. q. 4. art. 5. in corpore. „ *Duobus solis modis* „ *conjuges absque omni peccato conveniunt; scilicet causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi* : „ *alias autem ibi est peccatum* „ *ad minùs veniale*.

De furto, & restitutione.

PROPOS. DAMN.

1. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*. Est 36. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 66. art. 7. ad 2. *Uti re aliena occultè accepta in casu necessitatis extremæ non habet rationem furti propriè loquendo*, „ *quia per talem*, „ *necessitatem* (ecce *extremam*, non *gravem*) *efficitur suum id, quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.*

Obji-

Objicies tamen, D. Thomas agens 2. 2. quæst. 32. artic. 5. de obligatione dandæ eleemosynæ, necessitatem *gravem* (quam illic *urgentem* vocat) sub *extrema* comprehendit, articulo verò ejusdem quæstionis septimo ad 3. docet ei; *qui necessitatem extremam patitur, licere accipere de alieno ad sui sustentationem*: sequitur itaque etiam in *Gravi* necessitate id licere; quod tamen damnat Pontifex. *Object.*

Respondetur, quod necessitas *extrema* alia est latè sumpta; quæ sub se etiam comprehendit *gravem*, seu *urgentem*, de hac intelligitur D. THOMAS, dum dicit dandam esse Eleemosynam ex superfluo naturæ *Gravi* etiam necessitate laborantibus: alia est extrema *strictè* sumpta; & hanc *solam* dicit requiri, nullo modo *Gravem*, ut quis possit *accipere de alieno ad sui sustentationem*. Idque patet ex articulo illo septimo citato ad 3. ubi Angelicus necessitatem illam respectu miseriam patientis continuò nuncupat *extremam*. *In casu*, inquit, *necessitatis extremæ omnia sunt communia*. Non ait, in casu necessitatis *gravis*: *in extrema* autem *accipere licet de alieno*; *si non inveniat, qui sibi dare velit*. Vide etiam *Steyaertium* in Aphorismis tomo 1. parte 2. disput. 34. numero 6. *Resp.*

PROPOS. DAMN.

2. F*Amuli, ac famulæ Domesticæ possunt occultè Heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Est 37. Innoc.

D. THOMAS 22. quæst. 66. artic. 5. ad 3. *qui accipit rem suam apud alios injustè detentam*, vel suo sibi judicio liquidè debitam, *peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium juris ordine prætermisso*. In hoc igitur peccat compensatio *occulta*, quod quilibet in propria causa judicem agat; omni ordine, & subordinatione, perniciosa metamorphosi subversis. Unicuique famulantium videbitur debitum omninò liquidum, & non dubium; non enim homines procedunt secundùm hoc, quòd res sunt, sed secundùm quòd sibi videntur, proindeque illorum

quili-

quilibet operam suam suo judicio, majorem salario existimans tutò, securè Dominos expilare poterit. Ardebit Troja, & ignorabitur author incendii.

Certè furta Domestica præ aliis gravius puniri possent, eò quòd specialiter perturbent pacem, & securitatem domesticam: jam verò quæ pax, securitas, & tranquilitas erit in ædibus, si passim compensationum occultarum permittatur colluvies?

Nec in illis sistit familiarum ruina. Ut nihil dicam de molitoribus, sartoribus, aliisque id genus hominibus, quibus facilior est clanculùm surripiendi occasio; quilibet operarius conductitius, qui minori fortè quam vellet, pretio operam suam addixit Domino, reliquum compensatione occulta sibi comparabit. Idem sibi jus vendicabunt, qui res suas alteri vendiderunt. Etenim plures ex illis (si in sua quisque causa judex sedeat) hac in re ipso *Tullio pro domo sua* loquente facundiores allegare poterunt, se fuisse infra justum pretium merces suas adactos vendere; à divitibus passim stringi mucrones in suum suorumque jugulum, ab illorum peccatis divinam provocari vindictam; se fame enecari, atque hinc se compulsos fuisse merces suas non tam vendere, quam imminentem famem redimere. Ita grassabuntur undique fures, &, famosarum instar ranarum tempore *Pharaonis*, in omnes ædium sinus, penetralia, angulos, cistas sese inferent eò illis periculosiores, quòd videri non poterunt. Qualis ista rerum facies, familiarumque calamitas?

PROPOS. DAMN.

3. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.* Est 38. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 62. art. in corpore. *Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit. Et ideò restituere importat redditionem illius rei, quæ injustè ablata est. Sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur.*

Object. Sic est, inquis, sed restitutio non obligat sub *mortali*

tali in paucis, seu parvis furtis. Plura enim peccata venialia nequeunt conflare unum peccatum mortale, adeòque nec parva furta id possunt, ac proindè non tenetur quis sub *mortali* restituere quod per talia ablatum est.

Sed hæc responsio nulla est: licet enim furta illa parva secundùm se considerata non sint peccatum mortale, ultimum tamen furtum, quo pervenitur ad magnam materiæ quantitatem, est peccatum mortale; ex connotatione enim furtorum præcedentium, cum quibus illud mortale conjungitur, redditur furtum rei *gravis*, adeòque tenetur quis sub pœna *peccati mortalis* restituere quod ablatum est per parva furta, dum ad summam notabilem perventum est. *Resp.*

PROPOS. DAMN.

4. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illud damni illati*. Est 39. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 62. art. 7. in corpore. *Ad restitutionem tenetur aliquis non solum ratione rei alienæ, quam accepit, sed etiam ratione injustæ acceptionis: & ideò quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem quod quidem contingit....,, Movendo ,, ad ipsam acceptionem, quod fit præcipiendo, consulendo &c.* Quę quidem omnia continentur famosis versiculis *jussio, consilium, consensus &c.* hic etiam à D. Thoma cit.

De mutuo, & usura.

PROPOS. DAMN.

1. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram, potest credior aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari*. Est 41. Innoc.

2. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*. Est 42. Alexand.

D. THO-

D. THOMAS q. 78. art. 1. in corpore. *Quædam res sunt, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, sicut vinum consumimus eo utendo ad potum, & triticum consumimus eo utendo ad cibum, unde in talibus non debet seorsum computari usus rei à re ipsa, sed cuicumque conceditur usus rei, ex hoc ipso conceditur res .... proprius autem, & principalis pecuniæ usus est ipsius consumptio, sivè distractio, secundum quod in commutationes expenditur. Et propter hoc secundùm se est illicitum „ pro usu pecuniæ mutuatæ accipere pretium, quod dicitur usura „.* In utraque autem propositione accipitur aliquid pro mero usu pecuniæ mutuatæ, quod facillimè demonstratur.

Ad *primam* enim quod attinet, mutuum solet definiri à Theologis quòd sit *contractus, quo unus rem suam sic alteri tradit, ut ipsa statim fiat accipientis cum obligatione reddendi postea præfixo tempore rem eamdem specie Mutuatori.* Itaque ratio & natura mutui importat inter alia *actualem* traditionem pecuniæ, adeoque importat *numeratam* pecuniam, non *numerandam*, *præsentem*, non *futuram*, hoc enim ineptum & ridiculum est: omne igitur quod hic mutuans petit ultra sortem à mutuatario *numeratæ*, & *præsentis* pecuniæ titulo, revera totum id exigit pro mero, & *solo usu* pecuniæ.

Ad *secundam* habetur responsio ex dictis. Includitur enim in mutuo, quod mutuatarius obligetur eandem rem specie mutuanti reddere *tempore præfixo.* Itaque & mutuans vicissim se obligat ad non repetendam sortem ante *certum aliquod tempus.* V. G. ante trimestre, vel annum. Ecce itaque iterum merus *usus* pecuniæ, quem isti auri helluones seorsum ab illa vendunt.

Nec refert, quod *obligatio ad non repetendam sortem ad determinatum tempus*, videatur posse pretio æstimari: hæc enim obligatio est intrinseca mutuo, ideòque naturam ejus sequitur. Si quid igitur mutuatur exigit, totum id est pro *usu* pecuniæ mutuatæ; quod usurarium est.

PRO-

PROPOS. DAMN.

3. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum: sed solùm si exigatur tamquam ex justitia debitum.* Est 42. Innoc.

D. THOMAS hic a nonnullis citatur quasi tradat doctrinam illam 2. 2. q. 78. art. 2. ad 3. *Si munus ab obsequio, vel à lingua non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex „ benevolentia „, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.* Object.

Sed ab hisce verbis vel umbra abest erroris. Non enim illic fit mentio de exigendo munere ab obsequio, vel a lingua, idque ex *benevolentia, tamquam debitum*, ob quæ verba præfata propositio confixa fuit, sed de exigentia, seu petitione, qua liberalia peti solent. Idque colligitur ex fine corporis. *Si quis accipiat aliquid hujusmodi (cujus pretium pecunia mensurari potest) non quasi exigens, nec quasi ex aliqua „ obligatione tacita, vel expressa „, sed sicut gratuitum donum, non peccat: quia etiam antequam pecuniam mutuasset, licitè poterat aliquod donum gratis accipere: nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit.* Si quod igitur lucrum mutuans accipiat ex dono, vel liberalitate mutuatarii (quod etiam antequam mutuasset, accipere poterat) requirit *D. Thomas* ut id non exigat *ex aliqua obligatione tacita, vel expressa*, seu *tamquam debitum*. Undè S. Doctor non solum non doctrinam tradit erroneam, qui omnes libros, teste oraculo Pontificio, * sine ullo prorsus errore conscripsit, sed eam quoque totaliter profligat. Convellit & illam citato articulo ad 2. *Debito amicitiæ non competit civilis obligatio, per quam inducitur quædam necessitas, ut non spontanea compensatio fiat.* Talem obligationem, & compensationem non *spontaneam* certè continet propositio damnata. Resp. * Clem. VIII.

Nec valet titulus, seu debitum Gratitudinis. Ementitam enim, & ridiculam hæc assertio facit gratitudinem: quemadmodum ridicula foret donatio alicujus Nobilis, qui habens equum centum pataconibus æstima-

æstimatum alteri Nobili eum volenti emere reponeret, non decere Nobilem mercari, proindè nec illum velle se vendere; sed liberaliter se ipsi equum donare, cum obligatione tamen, ut sibi vicissim centum patacones ex mera liberalitate donaret.

PROPOS. DAMN.

4. *Contractus* Mohatra *licitus est etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviè inito, cum intentione lucri*. Est 40. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 78, art. 2. præcitato in corpore. *Si aliquis pro „ pecunia mutuata pecuniam accipiat, ex pacto tacito, vel expresso, peccat contra justitiam*. Hoc autem fit in contractu *Mohatra*. Exercetur ille, dum V. G. is, qui 30. aureis opus habet, equum emit pretio 40. aureorum post annum solvendorum, quem mox venditori 30. aureis revendit, sed sibi de præsenti a venditore numeratis. Allegatur hic quidem emptio, & venditio: sed cum contractus revenditionis præviè ineatur cum intentione lucri, reverà *pro pecunia mutuata pecunia accipitur*, seu contractus ille degenerat in merum purum mutuum cum usura specioso dumtaxat binorum contractuum emptionis, & venditionis induta pallio. Quid enim interest, itanè fiat, an verò emptori simpliciter dentur 30. aurei, pro quibus ille post annum 40. rependat?

De Simonia, & Beneficiis.

PROPOS. DAMN.

1. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quandò temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quandò per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut è contra*. Est 45. Innoc.

2. *Et id quoquè locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum danai spirituale; imò etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis*. Est 46. Innoc.

D. THO-

D. THOMAS 2. 2. q. 100. art. 1. in corpore. *Actus aliquis est malus ex genere, eò quòd cadit super materiam indebitam. Emptionis autem & venditionis est materia indebita res spiritualis.* Idque potissimum, *quia res spiritualis non potest aliquo „ terreno pretio „ compensari: ideò etiam Petrus in ipsa sui radice Simonis pravitatem condemnans dixit: pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti, pecunia „ possideri.*

At, inquis, temporale hic non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam *motivum* conferendi spirituale. Ego verò assero temporale illud revera dari tamquam *pretium*; solet enim a talibus exactissimè ratio valoris iniri, & quasi in statera ponderari, quantùm emolumenti illud spirituale, V. G. tale beneficium annuè profundat, ità ut isti nullus illorum inhiet, nisi anteà omnes beneficii proventus, sinus, & penetralia exploraverit. Quid tandem est equum competenti, & librato ad ejus qualitates pretio in foro emere, si hoc non sit emere beneficia? *Object.* *Resp.*

Sed demus temporale dumtaxat dari tumquam *motivum* conferendi spirituale: an ideò temporale sic datum pro spirituali abstergit simoniæ maculam? numquid & ipse *Simon Magus* simoniacorum Parens (si hoc simonia non sit) dicere potuisset, se obtulisse Apostolis pecuniam non sub formali ratione pretii, sed solùm tamquam *motivum*, quo eorum voluntatem incitaret ad conferendam sibi potestatem impertiendi Spiritum S. per manuum impositionem? nec enim ille curabat modum, dummodò spiritualem illam potestatem adipisceretur. Nec S. Petrus eum reprehendit, quod voluerit pecuniam pro re æquali commutare: sed *pecunia tua* (inquit) *tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti „ pecunia „ possideri*, Act. 8. Et rectè. Quod enim collatione *pecuniæ* per modum *illicebræ promoventis* sinè expressa rei spiritualis cum temporali comparatione obtinetur, hoc nihilo minus *pecunia* possidetur. *Object.* *Resp.*

Neque hic sistit istius vitii lues. Incurritur etiam simonia, *quandò per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali*. Alioquin profanus *Giezi* (a quo *venditores spiritualium* etiam *possunt dici Giezitæ* ad 4.)

I cum

cum magna potuisset confidentia objicere, se immeritò fuisse lepra percussum: cum non alio, quam *gratuitæ compensationis* titulo munus à *Naaman* petierit, & impetrarit. Undè nec *Eliseus* ipsum increpans ait: *Accepisti argentum, accepisti vestes, pretium* miraculi: sed simpliciter: *accepisti argentum. & accepisti vestes* (ea utique a viro munifico titulo *gratuitæ compensationis* exigens) accepisti hæc, *ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas*. 4. Reg. 5. Sic & *Simon* potest dici pecunias obtulisse Apostolis pro compensatione *gratuita*, dum ei tribuissent id, quod petebat: pro compensatione, inquam, *falsò* gratuita, similique assertioni damnatæ tertiæ *de usura*.

Ex dictis spontè sua ruit propositio *secunda*.

PROPOS. DAMN.

3. *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*. Est 22. Alexand.

Contendit propositio omnem hic abesse simoniam; non enim collator pecuniam exigit pro collatione beneficii: illam solùm exigit *pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur*.

Object. Sed & hoc vere, & aperte simonia est. Nec obest frivolum illud effugium, *quod tibi conferre non tenebatur*, quamvis enim absolutè non teneretur (poterat enim beneficium non conferre) si tamen conferat beneficium, non licet ei *temporale* subtrahere, adeoque nec istud vendere, sed debet dare *gratis*, sicut ipsum beneficium, cui temporale annexum est. Atque hoc colligitur ex D. Thoma q. 100. art. 4. in corpore: *Beneficia Ecclesiastica*, (quoad temporalia) *nullo modo vendere licet, quia eis* (temporalibus)„ *venditis, intelliguntur etiam spiritualia*„ (*qualia* certè sunt beneficia Ecclesiastica)„ *venditioni subjici*„.

Resp.

Porrò pro hac materia de Simonia, & beneficiis, accuratissimè observandum est, excludi oportere illam praxim, qua nonnulli ex eo, qui beneficium acceptu-

tus

rus est, explorare solent, an non sit *honestus* vel etiam ab illo petere, an non sit futurus *honestus*. Notate verba, signate *mysteria*, Profecto talia factitantes *Simoni* in gradu satis propinquo sunt consanguinei.

PROPOS. DAMN.

4. C*Um dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, quam dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus*. Est 47. Innoc.

D. THOMAS non interfuit quidem Tridentinis personaliter decretis, interfuit eis tamen divinissimis suis scriptis, præsertim *summa, ad quam*, ait Orator Concilii, *ut ad Lydium lapidem sententias suas referendas esse Gravissimi Patres existimarunt*. Itaque Angelicus mentem Tridentini explicat, & propositionem damnatam brevissimè prædamnat 2. 2. quæst.] 63. art. 2. ad 3. *Necesse est eligere* ad beneficia Ecclesiastica, ut ex toto liquet articulo, „ *meliorem*, “ *vel simpliciter, vel in ordine ad bonum commune*. Conformiter loquitur & quæst. 185. art. 3. in corp. & quodlibeto 8.

Ut verò pateat, quàm longe aberrent à mente Tridentina, qui has ipsi citatas in Propositione explicationes affricare non sunt veriti, en ipsa celeberrimi, sanctissimique verba Concilii sessione 24. cap. 1. de reformatione. *Concilium omnes hortatur, & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei Gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quàm si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant: „ eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicaverint „, non quidem precibus, vel humano affectu aut ambientium suggestionibus; sed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curaverint*. An verba

tam clara, tam perspicua sinistram pati potuere interpretationem?

De officio Canonico.

PROPOS. DAMN.

1. IN *die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto*, Est 34. Alex.

2. *Uno officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino*. Est 35. Alex.

D. THOMAS quodlibeto 3. quæst. 13. art. 2. *In omni divino officio hoc est commune, quod pertinet ad Laudem Dei, & ad suffragium fidelium, sed distinguitur unum officium ab alio secundùm diversitatem temporum, & locorum. Rationabiliter enim institutum est, ut diversimodè Deus laudetur secundùm congruentiam temporum, & locorum: & ideò sicut in officiis divinis exsolvendis observanda est congruitas Loci, ità etiam congruitas,, temporis,,*. Adeòque non satisfacit officio qui recitat tempore quadragesimæ, atque in ipsa quidem *die Palmarum* officium *paschatis*, seu Paschalis temporis.

Obiect. Hinc ruit propositionis Damnatæ fundamentum, scilicet quod Ecclesiæ consuetudo præcipiat quidem officium, sed non *hoc* præcise determinatum.

Resp. Ecclesia enim clarè, & disertè præcipit, & exprimit, quale officium tali V. G. die, vel tempore sit persolvendum. Quamvis fatendum sit mutationem officii cum officio, nisi vergat in fraudem, & considerabilis sit inæqualitas, vel à die discrepantia, non esse *gravem*: in casu autem Propositionis inæqualitas illa, & simul discrepantia maxima est, & ante exortum Probabilismum prorsus inaudita.

Ex dictis etiam convellitur Propositio *altera*, nimirum quod uno officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino: præcipit enim Ecclesia, ut tale officium *hoc* V. G. die recitetur, ita ut quilibet dies distinctum exigat officii pensum.

Obiect. Nec obstat, quod unius sacri auditione in Dominica, in quam etiam festum incidit, adeòque uno actu

ctu possit quis pluribus obligationibus facere satis: *per accidens* enim est, quod festa dies in Dominicam incidat, *per se* verò suum *cuilibet diei* correspondet officium. *Resp.*

PROPOS. DAMN.

3. *Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas: ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* Est 54. Innoc.

D. THOMAS 2.2. q. 62. art. 8. ad 2. *aliquis totaliter à restitutione absolvitur, si omninò sit impotens*: Si igitur quodammodò sit potens, ad proportionatam solutionem tenetur. Cur igitur si totum nequeas, possis verò partem recitare officii, ad illam non tenearis? an minori tibi loco Deus sit, quam tu ipse tibi, qui à tali debitore, qui totum non posset, tamen aliquid, id, quod dare posset, exigeres?

PROPOS. DAMN.

4. *Habens Capellaniam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitat.* Est 21. Alexand.

D. THOMAS quodlibeto 1. q. 7. art. 1. *Prabendatus debitum quod debet Deo,,, per seipsum debet exsolvere,,.* Non itaque satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

Nec valet malæ causæ pejus patrocinium, scilicet Clericos per sui solutionem pensi detrimentum pati in studiis. Nulla est enim jactura temporis, quod tam religiosè, & piè Deo impenditur.

PROPOS. DAMN.

5. *Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia antè sententiam declaratoriam judicis, eò quod sit pana.* Est 20. Alex.

6. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit.* Est 33. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 62. art. 7. in corp. *Ad restitutionem* (ex natura rei) *tenetur aliquis ratione rei alienæ, quam accepit*. Beneficiatus autem non recitans, & fructus recipiens (cum talis juxta sancti illius Pontificis decretum *fructus non faciat suos*) percipit *rem alienam*, seu rem non suam, adeoque *de se*, sivè *ex natura rei* ad restitutionem tenetur, proindè opus non est *sententia declaratoria judicis*.

Nec à restitutione (ut *altera* innuit Propositio) excusant datæ interdum pauperi eleemosynæ. An enim à restitutione facienda pauperi excusaretur is, qui jam aliquid pauperi surripit, & eidem, tanti antea tribuisset valoris eleemosynam? non crediderim.

De præceptis Ecclesiæ quoad observantiam festorum, auditionem Sacri, & Jejunium.

PROPOS. DAMN.

1. P*Raceptum servandi festa non obligat sub mortali seposito scandalo, si absit contemptus*. Est 52. Innoc.

2. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit*. Est 53. Innoc.

3. *Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta, quia non vult se subiicere præcepto*. Est 23. Alexand.

D. THOMAS 1. 2. q, 69. art. 4. in corp. *Leges* vel civiles *habent vim obligandi in foro conscientiæ*, & quidem graviter in materia gravi, secluso quoque *contemptu*, cur igitur parem obligandi vim in materia gravi, qualis certè est *dierum festorum observantia*, remoto etiam *contemptu*, sibi lex non vendicet *Ecclesiastica?*

Sed quam amplum hic video *forum conscientiæ* quoad auditionem Missæ *diebus Dominicis, & festis* ab Ecclesia *præceptam*? certè ex *duabus*, vel *quatuor diversarum Missarum partibus* nullatenus *unum* constatur Sacrificium: sicut caput Petri, pectus Pauli, & pedes Joannis (angustæ, veræ tamen in Augusta materia

teriæ

teria parte similitudini) non sunt simul *unus* homo. Proindè *taliter* non impletur præceptum *de audiendo sacro*.

Ex præfata D. Thomæ ratione de se currit propositio *tertia*. Apage illud: *frangens jejunium non peccat mortaliter, nisi ex contemptu hoc faciat*.

Profectò hæc lata porta, si non fuisset opportunè per Pontificem obstructa, timendum fuisset, ne in intima ipsarum Divinarum Legum sacraria patuisset aditus, & ne prætextus ille, quod *contemptus* abesset (ut abest in eo, qui ex gravissima tentatione fornicatur) timendum, inquam, fuisset, ne prætextus iste *illarum* etiam transgressioni peccatum mortale abstersisset.

PROPOS. DAMN.

4. IN *die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium*. Est 29. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 147. art. 3. ad 2. *Si aliquis statum Legislatoris transgrediatur, ut impediatur finis, quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor: finis autem jejunii* (art. 8. in corpore) *ab Ecclesia instituti est reprimere concupiscentias carnis*. Qui autem sæpius modicum quid per diem comedit; vel ter, aut quater sumit, ut vocant, collationem, nonnè is carnem egregiè affligit?

Sed & supra ad propos. de *restitutione* ostensum est, peccare eum mortaliter, qui sæpius exiguam summam furatus tandem complet notabilem quantitatem: quidni hic à simili?

PROPOS. DAMN.

5. E*Xcusantur absolutè à Præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit; & etiamsi iter unius diei conficiant*. Est 31. Alexand.

6. *Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio*. Est 30. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 147. art. 4. ad 3. *si peregrinatio commodè differri possit, non sunt propter hoc Ecclesiæ jejunia prætermittenda. Si autem*, inquit, *immineat* ,, *necessitas statim peregrinandi*, *& magnas dietas* ,, (utique pedestres, seu onerosas) ,, *faciendi, vel etiam multum laborandi* ,, *vel propter conservationem vitæ corporalis, vel propter aliquid necessarium ad vitam spiritualem, & simul cum hoc non* ,, *possint Ecclesiæ jejunia observari* ,, , *non obligatur homo ad jejunandum*. E converso igitur dum currunt tantùm *illa*, de quibus utraque agit propositio, tenetur *ad jejunium*.

PROPOS. DAMN.

7. N*On est evidens, quod consuetudo non comedendi Ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*. Est 32. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 147. art. 8. ad 3. *in quolibet jejunio interdicitur esus carnium, in jejunio autem Quadragesimali* (cum illud sit solemnius) *interdicuntur etiam* ,, *Ova, & Lacticinia* ,, .

D. THOMÆ temporibus consuetudo quoad *Lacticinia* tempore Quadragesimali ubique vigebat ; quoad *Ova*, illa etiam viget in Belgio, cum ista citra dispensationem tunc comedi non possint. Nunc potissimum consuetudo carendi *Lacticiniis* obtinet in Italia; undè Propositio, ejusque condemnatio illi principaliter *Regioni* applicanda est : quamvis & in *hoc Belgio* vestigium pristinæ abstinentiæ à *Lacticiniis* in Quadragesima residuum sit : cum in plerisque Diœcesibus assis soleat pro redemptione Lacticiniorum solvi à singulis. *Quisque debet observare consuetudines secundùm morem eorum, inter quos conversatur*. Hic rursùs ad 3. sub finem.

PRO-

PROPOSITIONES DAMNATÆ

Circa materiam, quæ traditur in tertia parte, & supplemento,

De Celebratione Missæ, ejusque stipendio.

PROPOS. DAMN.

1. MAndatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum; *est consilium non præceptum*. Est 38. Alexand.

2. *Illa particula* quam primum, *intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. Est 39. Alexand.

D. THOMAS Tridentinis (ut supra ad propositionem 4. damnatam in materia de *simonia* notatum est) personaliter non interfuit decretis, eis tamen interfuit scriptis suis omnium erronearum Propositionum profligativis, quod in his quoque assertionibus liquet.

Itaque sic loquitur in suppl. q. 6. art. 5. in corpore. *Cum tenetur Sacerdos ad celebrandum, si non desit copia Sacerdotis, confiteri* (supposito peccato mortali) *tenetur: aut si desit, saltem conteri tenetur, & habere propositum confitendi*, propositum illud redigendo ad actum *sub præcepto* (sic & non aliter hic sonat ly *tenetur*) „ *copia Sacerdotis oblata* „: seu quam primum Confessarum nancisci poterit. Non igitur dum *suo temporo* confitebitur.

PROPOS. DAMN.

3. NOn *est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam promissionem etiam juramento firmata; quod pro nullo alio offeram*. Est 10. Alexand.

4. *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specia-*

specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; *idque post decretum Urbani VIII.* Est 8. Alexand.

Prior assertio fundabitur in eo, quod Missæ Sacrificium infiniti sit valoris, ideòque non minus inde participare videantur *plures*, pro quibus illud offertur, quam V. G. unus vel pauciores, ex quo quidam deducebant: licere *pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre.*

Aliqui Thomistæ negant 2. partem *antecedentis* ob ea, quæ docet *D. Thomas* in suppl. q. 71. art. 14. ad 2. *Quamvis virtus Christi, qui continetur sub hoc Sacramento*, & Sacrificio *sit infinita, tamen determinatus est effectus, ad quem illud ordinatur*; Unde ejusdem quæstionis art. 13. *Suffragium* Missæ, inquit, *distributum in multos,, minus prodest singulis ,, , quam prodesset, si fieret ,, pro uno tantum ,,*.

Alii Thomistæ, iique plures admittunt *dictam partem*. Non valet tamen sequela inde deducta. Stipendia enim non dantur Celebranti tanquam pretium fructus Sacrificii, sed tanquam aliquid a lege, vel consuetudine statutum ad vitam sustentandam, lex vero, vel consuetudo numquam *plura* pro *uno* Sacro statuit, aut taxavit stipendia, sed illa semper prohibuit, & damnavit.

Quantarum fraudum hæc damnata propositio suo tempore (ut advertit quoque *Steyaertius*) causa fuit! Quot Sacrificiis pii fuere fraudati fideles, quibus Sacerdotes etiam *sub juramento* promiserant, se pro iis *solis* Celebraturos!

Sanè juxta commune Theologorum proloquium, *promissio data & acceptata obligat*, cur non igitur à fortiori promissio *juramento* firmata?

Horrendus olim abusus in Celebratione Missarum.

Cæterum horrendus in Missarum celebratione abusus, & quodammodò hujus propositionis damnatæ prodromus jam olim in ordinem Sacerdotalem irrepserat, quem *Petrus Cantor* author celebris in *verbo abbreviato* acerrimè perstringit cap. 29. Solebant ejus temporibus nonnulli Sacerdotes plures Missas in unum congerere, celebrantes Missam Dei, vel aliam præcipuam suo ordine usque ad Offertorium, tum aliam incipientes usque ad eundem locum, deinde tertiam, & quartam eodem modo. Postea tot Secretas Orationes di-

nes dicebant, quot Missas inceperant: tandem sub uno Canone Sacrum perficiebant totidem additis in fine Collectis, quot initio recitarant. Hujus abusus originem adscribit *Petrus Cantor* sordidæ quorumdam Sacerdotum avaritiæ, qui, cum scirent illicitum esse pluries in die celebrare, has plurium Missarum insitiones invenerant, ut multorum devotioni petentium pro se offerri Sacrificium unica celebratione (ut existimabant) satisfacientes, *plura uno Sacrificio* (en casus noster) *stipendia* corraderent. Has autem Missas barbaro vocabulo *bifaciatas*, & *trifaciatas* nuncupat, quia duplicem, vel triplicem faciem repræsentabant. Cæterum eas veluti monstra, ac institutioni, & consuetudini universali contrarias Ecclesia ea tempestate (sicut & *hanc* modò propositionem feriit) improbavit, & detestata est.

In propositione *secunda* regnat etiam auri sacra fames. Porrò ut hæc accuratè percipiatur, observandum est, triplicem solere distingui portionem effectus Sacrificii Missæ. Una est *generalissima*, quæ ex intentione Ecclesiæ applicatur Papæ, Antistiti, Regi, imo quoad affectum impetratorium omnibus circumstantibus, qui certo aliquo sensu totidem offerentes sunt. Portio *specialissima est*, quæ reservatur ipsi Sacerdoti, etiam dum honorario accepto, pro alio celebrat. Alia portio appellatur *specialis*, & est ista, quam applicat Sacerdos specialiter *illi*, pro *quo* Sacrificium offert.

Eam statim demonstratum est non posse per *unum dumtaxat* Sacrificium applicari *pluribus*, qui Missam petierant, & distinctum tribuerant stipendium. Itaque hæc modo propositio versatur circa portionem, ut vocant, *specialissimam*, quam nonnulli a se abdicabant, ut *pro illa* stipendium acciperent.

Sed hoc abundè refellitur ex *consuetudine Ecclesiæ, qua errare non potest*, ut continuo, & indefesse infinitis in locis repetit Angelicus. Ecclesia autem non patitur, ut sit in Sacerdotis potestate de portione illa *specialissima* disponere, aut eam a se pro nummis abdicare: cum ex Ecclesiæ præscripto sic Missam, se * offerre profiteatur: *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentiis meis*. Præiverat Aposto-lus

* in Offertorio.

lus ad Hebræos 7. *Sacerdotes prius pro suis delictis hostias offerre debent, deinde pro populi.*

Certè, ut nihil dicam de Esau; *qui propter unam escam vendidit primitiva sua* ad Hebr. 12. dolendum est quosdam Presbyteros tam profligatæ fuisse avaritiæ, ut propter *stipendiolum*, augmento gratiæ, remissioni pœnæ, novis auxiliis, quæ per Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi obtinere poterant, stultè, & sordidè renunciaverint: imo se gravissimo sic celebrantes sacrilegio inquinarint.

PROPOS. DAMN.

5. P*Ost decretum Urbani, potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.* Est 9. Alexand.

D. THOMAS 2. 2. q. 77. art. 4. ad 3. *Clerici non solùm debent abstinere ab his, quæ sunt secundùm se mala, sed etiam ab his, quæ habent speciem mali. Quod quidem in negotiatione contingit, propter hoc, quòd est ordinata ad lucrum terrenum, cujus „ Clerici debent esse contemptores „.* Enim verò quid est negotiatio, si negotiatio non sit illud, de quo tractat propositio? Certè negotiatio est, sed sacra, utpote de rebus sacris, profana Clericis interdicta sordidior.

Sed nonne hic etiam in justitiam impingitur? quo titulo talis Sacerdos, collato alteri minori stipendio, *alteram partem stipendii* sibi retinet?

PROPOS. DAMN.

6. A*Nnuam legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos.* Est 43. Alex.

D. THOMAS 2. 2. q. 69. art. 3. in corpore. *Non licet aliquam fraudem adhibere:* quàm immanem verò fraudem adhibet, & quam horribiliter fundatorem legati, ut crediderat, & stipulaverat, *perpetui*, decipit is, qui illud ad *decem* annos coarctat!

Inter avaritiæ (ex qua hæc orta sunt) species computatur etiam ab Angelico *mortuorum spoliatio* 2. 2. q. 118. art. 8. ad 4. Hactenus tamen avaritia steterat in spolia-

ſpoliatione corporum: ſed ecce natam poſthumam quandam avaritiæ filiam, dum vel in *animas* ſævitur illas annuis & promiſſis, & ſtipendiatis, proindeque ex *ſtricta juſtitia* debitis ſpoliando, poſt decennii decurſum, Sacrificiis.

De Contritione, & Confeſſione.

PROPOS. DAMN.

1. PRobabile eſt ſufficere Attritionem naturalem, modo honeſtam. Eſt 57. Innoc.

D. THOMAS in ſupplemento q. 2. art. 3. *Ad juſtificationem* (cum Sacramento) *requiritur Contritio*, imperfecta ſcilicet, ſive Attritio tanquam diſpoſitio ad formam, juſtificatio autem eſt ſupernaturalis, itaque & Attritio ſupernaturalis ſit, oportet, cum diſpoſitio debeat eſſe propotionata formæ.

PROPOS. DAMN.

2. QUi facit Confeſſionem voluntarie nullam, ſatisfacit præcepto Eccleſiæ. Eſt 14. Alex.

D. THOMAS in ſuppl. q. 8. art. 2. ad 1. in corp. *In Sacramento pænitentiæ .... eſt aliquid ex parte ipſius, qui ſuſcipit Sacramentum, quod eſt de eſſentia Sacramenti, ſicut Contritio* (imperfecta ſcilicet) *& confeſſio*: Contritio autem debet eſſe vera, recta, non ſacrilega, igitur Confeſſio etiam recta ſit, & non ſacrilega, neceſſe eſt, adeoque per Confeſſionem voluntarie *nullam* ſeu ſacrilegam, non fit ſatis præcepto Eccleſiæ, cum illa velit Confeſſionem, quæ ſit de *eſſentia Sacramenti*. Accedit, quod præceptum Eccleſiæ ſupponat Præceptum Divinum, & tantum determinet tempus, in quo illud impleri debet: præceptum autem Divinum exigit Confeſſionem rectam, ſeu ſpectantem ad eſſentiam Sacramenti, proinde & *talem* exigit Præceptum *Eccleſiaſticum*.

PROPOS. DAMN.

3. LIcet Sacramentaliter abſolvere dimidiate tantum Confeſſos, ratione magni concurſus pænitentium, qualis V. G poteſt contingere in die magna alicujus Feſtivitatis, aut indulgentiæ. Eſt 19. Innoc.

D. THO-

corpore: *De necessitate Confessionis, est quod homo, omnia peccata confiteatur,,, quæ in memoria habet, quod si non faciat, non est Confessio, sed Confessionis simulatio*: nequit autem absolutio super simulatam cadere Confessionem, non licet igitur Sacramentaliter absolvere *dimidiatè* tantùm confessos.

Object. Verùm hic obstat, inquis, magnus in casibus allegatis pœnitentium concursus, qui; si *omnia* sua peccata confiteantur, Sacramentis, & Indulgentiis privabuntur. Sufficiet itaque *dimidiata* Confessio, seu integritas *formalis*.

Resp. Sed hæc ratio nulla est, & ab omni prorsùs Theologia alienum est, in dimidiata illa Confessione salvari integritatem *formalem*. Illa fuit semper apud omnem retrò Antiquitatem integritas *formalis, dum quis confitetur ea, quæ potest, & tenetur confiteri*: tenetur verò omnia confiteri, nisi hæc simul, vel disjunctim adsint: 1. Impotentia physica, ut si pænitens, inchoata Confessione, subito destituatur sensibus, vel si vulnere, aut morbo ita urgeatur, ut periculum sit, ne antè absolutam confessionem expiret. 2. Impotentia moralis, qualis est periculum alicujus gravis damni sibi, vel proximo imminentis, ut est revelatio sigilli cum infamatione sui aut complicis, vel sollicitatio ad illicita. 3. Si quis alicujus peccati, postquam *diligentius se excusserit, & conscientiæ suæ sinus, & latebras omnes exploraverit*, non recordetur: *reliqua enim peccata, quæ diligenter cogitant non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur*. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. circa quæ tamen observandum est, pœnitentem à quibusdam peccatis vel ex defectu memoriæ, vel ex justis aliis causis præcitatis absolutum, cessante causa, ob quam illa sunt omissa, teneri ad eadem clavibus Ecclesiæ subjicienda, ut in *sequenti* propositione videbimus. Hi sunt casus, in quibus datur integritas *formalis*; ita ut tunc non sit necessaria integritas *materialis*, ut loquuntur, seu omnium omnino peccatorum explanatio. Cæterum integritatem *formalem* ad circumstantias *magni concursus populi* antè quosdam Recentiores nullus umquam extendit Theologus.

PRO-

PROPOS. DAMN.

4. *PEccata in Confessione omissa ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere*. Est 11. Alex.

D. THOMAS in supplemento quæst. 10. art. 5. ad 3. *Aliquis tenetur* „ *iterum confiteri* „. *cum ad memoriam peccatum venerit*, *Sicut pauper* (q. 2. art. 3. ad 2.) *qui non potest solvere quod debet* „ „ *tenetur*, *cum primo poterit* „. Quid efficacius ad hujus errorem propositionis perimendum dici queat? per impotentiam debitoris sopitur tantisper, non extinguitur debitum, ita ut, illa desinente, creditori solvere teneatur: sic igitur, dum peccata sunt omissa, vel oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non currit obligatio, stante illa oblivione, & premente evidenti vitæ discrimine, omnia pandendi peccata, sed causis illis cessantibus, emergit iterum, & stringit (ubi tantisper non ligabat) peccata in sequenti Confessione exprimendi obligatio.

PROPOS. DAMN.

5. *NOn tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*. Est 58. Innoc.

6. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem, non explicando copulam*. Est 25. Alexand.

D. THOMAS in 4. distinct. 10. *Sacerdos*, inquit Angelicus, *debet perscrutari conscientiam peccatoris in Confessione, quasi Medicus vulnus, & Judex causam:* ad hoc verò maximè necessarium est interrogare peccati consuetudinem. *Unum* enim *peccatum* (in supplemento q. 9. art. 2. ad 1.) *per se consideratum non ita demonstrat malam dispositionem peccantis*. „. *quia in unum peccatum aliquis quandoque labitur ex ignorantia, vel infirmitate: sed multitudo peccatorum*, seu illorum consuetudo (quod in præsenti in

idem

idem redit) *demonstrat malitiam peccantis, vel magnam corruptionem ejusdem*. Diversum igitur judicium fert Confessarius de eo, qui in peccata *sæpe* reincidit; hoc enim indicat ejus animum esse in malo obfirmatum, quod de *simplici* lapsu dici nequit & *distinctum* debet ei præscribere *remedium*. Age, id exemplo demonstremus. Possetne v. g. *diuturna* luxuriæ occasio tam efficax, & potens ad peccandum irritamentum præcidi, evelli, eradicari, si peccator lapsum carnis simpliciter confiteretur, & non aperiret inveteratum animæ vulnus, gravem ad peccandum propensionem, frequentes relapsus, natam ex illis consuetudinem, *factamque, dum consuetudini non resistitur*, ut cum Augustino loquar, *peccandi necessitatem*? nonne corporalis Medicus aliter curat morbum *recentem*; aliter *pristinum*, continuum, &, si quandoque cesset, acriùs deinceps ingravescentem; carnes, & ossa exedentem? an *spiritualis* Medicus minorem *pro anima*, quam alius pro corpore curam gerat?

Ex dictis etiam corruit propositio *altera*. Multum enim hæc differunt: *commisi cum soluta grave peccatum contra Castitatem*: & illud: *habui cum solutâ copulam*. Primum ingerit Confessario Ideam de tactibus, vel aspectibus inhonestis, quod lethale peccatum est adversùs Castitatem: secundum varia necessariò à pœnitente quærendi Confessariis satis nota materiam suppeditat, diversumque curationis modum exigit. *Libido* enim, inquit Angelicus 2. 2. q. 154. art. 3. ad 1., *in fornicatione*, *est maxima*, *& indè est*, *quod Isidorus dicit in libro* * *de summo bono*, *quod magis per carnis luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per aliquid aliud*: *quia scilicet difficilius est vincere vehementiam hujusmodi passionis*. Quam forti igitur repagulo opus est, ut stimulus carnis post *peccatum* fornicationis, seu copulam habitam acriùs deinceps hominem exagitans, ut effrænis ille, & omnes quodammodo obices evertens impetus sistatur, coerceatur, dometur? hoc verò repagulum quomodo applicabitur, nisi teneatur ille confiteri *copulam*?

* Lib. 2. cap. 39. circa finem.

De Absolutione, & occasione proxima peccandi.

PROPOS. DAMN.

1. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis D. N. J. C.* Est 64. Innoc.

D. THOMAS 2. 2. q. 2. art. 3, *Dicitur Hebr.* 10. *sine fide* (scilicet necessariorum necessitate medii) *impossibile est placere Deo*. Inter illa autem necessaria principem sibi locum vendicant mysteria Trinitatis & Incarnationis, *Post tempus gratiæ revelatæ* (inquit S. Doctor. art. 7. in corp.) *tam majores, quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipuè quantum ad ea quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publicè proponuntur, sicut sunt articuli Incarnationis*. Quantum verò ad arcanum Trinitatis; *Mysterium Incarnationis Christi* (art. 8. in corp.) *explicitè credi non potest sinè fide Trinitatis: Quia in mysterio Incarnationis Christi hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit, quod per gratiam Spiritus Sancti mundum renovaverit, & iterum quod de Spiritu Sancto conceptus fuerit... & ideò post tempus gratiæ divulgatæ, tenentur omnes ad explicitè credendum mysterium Trinitatis*. Si ad hoc omnes teneantur, quo pacto igitur absolvi potest talia *etiam per ignorantiam culpabilem* ignorans mysteria? nonne providendum est Confessario, ne absolvat indignum? imo pœnitens an dicta ignoret mysteria, ex professo interrogandus est, si suspicionem fundatam seu ex modo confitendi, seu aliter ejusmodi *ignorantia* subministret.

PROPOS. DAMN.

2. *Pœnitenti habendi consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem*. Est 60. Innoc.

3. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*. Est 61. Innoc.

4. *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit*. Est 62. Innoc.

5. *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi*. Est 63. Innoc.

6. *Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii vulgò* Regalo, *dum deficiente illa, nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur*. Est 41. Alexand.

D. THOMAS 3. p. q. 86. art. 2. in corp. *Requiritur ad Remissionem*, seu absolutionem *offensæ, quod voluntas hominis convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ* ad creaturas, „ *& proposito emendæ* „. Poteritne igitur ille absolvi, qui in inveterata peccandi consuetudine immersus est, qui præscripta adversus pravos habitus non adhibet remedia, in quo nulla *emendationis*, & efficacis propositi apparent argumenta?

Sanè nequit Confessarius quemquam absolvere, nisi prudenter judicet eum esse dispositum, seu verè dolere de peccatis: de *tali* verò hoc non potest judicare Confessarius.

Object. Nec sufficit, quod consuetudinarii affirment se dolere de peccatis, quodque emendationem proponant.

Resp. Convincuntur enim carere efficaci *emendationis* proposito hoc ipso, quod non utantur opportunis adversus relapsum remediis: cum nequeat consistere efficax intentio finis sine mediorum, quæ in nostra potestate sunt, applicatione. Si enim V. G. Petrus infirmus corpore crebro affirmasset, velle se medicinam corporalem pro recuperanda sanitate adhibere, nec tamen, cum posset, eam unquam adhibuisset, quis prudenter crederet, & existimaret illius fuisse efficax de sumenda medicina propositum? idem pariformiter de medicina *spirituali* dicendum est.

Refle-

Reflectant ad id Confessarii, qui omnibus indiscriminatim absolutionem impertiuntur, in *hoc* utique gloriantes; seque tanto illustriores existimantes quanto eos in sacro, & tremendo vel Angelis Pœnitentiæ tribunali collocatos major ægratum animarum turba circumdat. Quasi vero laus foret Medici innumerabilem videre circa se agglomeratum infirmorum exercitum, quorum ne unum quidem sanare posset. Quasi laus esset Pastoris, quod numerosum scabiosarum ovium gregem possideret; quasi laus foret Magistri, quod plurimis præesset discipulis, quorum vix ulli ex ipsius schola docti evaderent. *Reflexio ad Confessarios laxiores.*

Ex dictis convelluntur facillime propositiones quatuor de *occasione proxima*, præsertim *prima*, quæ est hæc. *Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imo directe, & ex proposito quærit, & ei se ingerit.* Quale enim judicium Director animarum de istius dispositione ferre potest? audiatur D. THOMAS 3. p. q. 86. art. 3. in corpore diserte, & absolute asserens. *Peccatum mortale non potest sine vera pœnitentia remitti; ad quam pertinet „ deserere peccatum „:* ergo juxta hanc veram, & inconcussam D. THOMÆ doctrinam non solum non licet *proximam* peccandi occasionem directe & ex proposito quærere, aut ei se ingerere, ut *prima* volebat Propositio, sed etiam illa est fugienda, etiamsi causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrat, ergo illicitum est illam quærere pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi: ergo est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, etiamsi hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii &c. ad veram enim pœnitentiam pertinet deserere peccatum. Nihil hic omnino excipitur, non causa *utilis*, aut *honesta*, non *bonum spirituale proximi*; nam *quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima vero suæ detrimentum patiatur?* non *tædium*, aut afflictio animi in absentia *concubinæ*. Omnia hæc refelluntur, rejiciuntur per illud. *Ad veram pœnitentiam pertinet deserere peccatum.*

De Satisfactione, & Indulgentiis.

PROPOS. DAMN.

1. POEnitens *propria authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius Pœnitentiam adimpleat*. Est 15. Alexand.

Fundamentum hujus assertionis fuisse videtur, quod nonnulli existimarent satisfactionem Sacramentalem ad hoc tantum esse, ut divinæ justitiæ pro pœnis restantibus fiat satis, quod fieri potest opera, & merito aliorum. Sed nonne alii, iique potiores, sunt fines *satisfactionis?* scilicet *magnopere à peccato revocant*, ait Tridentinum sess. 14. cap. 8. *& quasi freno quodam pœnitentes coercent hæ satisfactoriæ Pœnæ .... medentur peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos, contrariis Virtutum actibus tollunt*. Hæc autem minime haberentur, ubi alter pro altero Pœnitentiam adimpleret. Quam latam proinde hæc Propositio pandebat portam *laxitati?* nonne tollebatur spiritualis infirmitatis medicamentum; sed & jam dudum docuerat D. THOMAS 3. p. q. 90. art. 2. in corpore. *Requiritur ex parte pœnitentis, quod recompenset secundum „ Arbitrium Ministri „, quod fit in satisfactione*.

PROPOS. DAMN.

2. I*Ndulgentiæ concessæ Regularibus; & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ*. Est 37. Alexand. D. THOMAS in suppl. quæst. 25. art. 2. in corpore: *Indulgentiæ simpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis* (qui ordinarie est Pontifex) *sit Authoritas*: dum igitur *pari* pollens *Authoritate* illas revocat vel revocavit, ut præstitit hanc damnando propositionem *Alexander* VII. confirmans revocationem *Pauli* V. non valent amplius tales *Indulgentiæ*,

De

De casuum reservatione, approbatione Confessariorum, & Censuris.

PROPOS. DAMN.

1. *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Est 12. Alexand.

2. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quosdam sæculares ab Hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Est 4. Alexand.

3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est; Anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.* Est 3. Alexand.

4. *Qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.* Est 16. Alexand.

5. *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.* Est 13. Alexand.

6. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti Privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.* Est 36. Alex.

7. *Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant Censuræ.* Est 44. Alex.

D. THOMAS in suppl. q. 20. art. 2. in corpore. *Potestas Ordinis quantum est de se extendit se ad omnia peccata remittenda: sed quia ad usum hujusmodi potestatis requiritur Jurisdictio, quæ à Majoribus in inferiores descendit, ideò potest „ superior aliqua sibi reservare, in quibus judicium inferiori non committat „, aliàs de quolibet potest simplex Sacerdos habens Jurisdictionem absolvere.* Quandoque autem *est consuetudo in aliquo Episcopatu, quod „ enormia crimina ad terrorem reserventur Episcopo „*, nequeunt igitur *Mendicantes* à casibus Episcopo reservatis, si ad id obtenta non sit facultas, utpote *Jurisdictione* destituti absolvere.

Eadem ratio de *Jurisdictione* militat quoad *quatuor* sequentes Propositiones, & etiam *sextam*, cujus condemnatione confirmatur quarumdam abrogatio Jurisdictionum per aliquot olim Privilegia Regularibus concessarum, sed quæ Privilegia sunt revocata per Tridentinum.

Porro circa Propositionem *quintam* restat hoc observandum, quod illa constituat Regularem Judicem capacitatis suæ, proindeque Judicem in *propria causa*, quod merito damnatum est utpote omnem tum Jurisdictionem, tum Subordinationem evertens.

Hinc etiam ruit Propositio *ultima*, quæ Censuras concernit. Hæc eò tendit, ut si quis V. G. excommunicatus satis se existimet esse correctum, is jam se gerat in foro conscientiæ pro soluto à tali vinculo, adeoque ut sit Judex in *propria causa*, quod quantum Ecclesiasticam & potestatem, & disciplinam enervet, quis est, qui non videat? Debet se inferior *committere judicio aliorum* 2. 2. q. 64. art. 5. ad 2. ita ut *ad Superiorem*, qui Censuram tulit, spectet judicare, an emendatio *rei* talis sit, ut ille absolutionem mereatur.

De denuntiatione sollicitantium in Confessione, & Hæreticorum.

PROPOS. DAMN.

1. *Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.* Est 6. Alexand.

2. *Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.* Est 7. Alex.

3. *Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæresicum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Est 5. Alex.

D. THOMAS Quodlibeto XI. q. 10. art. 1. *Si esset aliquod peccatum carnale* (en casus sollicitantis) *seu spirituale, quod vergeret in detrimentum multitudinis, statim est revelandum* ,, *cum præponderet bonum commune*, animarum scilicet, *bono famæ talis* Confessa-

fessarii horribilem animabus stragem inferentis, & ulterius, nisi denuntietur, illaturi. Quid vero refert, sollicitetne talis sacrilegus in ipso Tribunali sacro, an vero miseræ pœnitenti chartam insinuet sollicitatricem, quam illa postea volvat?

Secunda Propositio sanam mentem ferit. Quid enim ad negotium, quod sollicitatus confiteatur cum sollicitante; seu potius sollicitanti? hic enim potest quidem illum à peccatis absolvere, sed non ab onere cujusdam mandati Ecclesiæ, scilicet ab onere *denuntiandi sollicitantem*.

Tertia de *denuntiando hæretico*, ex præfatis etiam *Divi Thomæ* verbis refellitur. Hæresis enim *peccatum spirituale est*, *quod* maxime *vergit in detrimentum multitudinis*.

Sed ecce & alium locum, quo ista directe, & radicitus convellitur, depromptum ex 2. 2. q. 33. art. 7. in corp. *Quædam peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occulte tradet, quomodo civitas tradatur hostibus, vel si „ hæreticus „ privatim homines à fide avertat*, ut notum est fieri ab hujusmodi hominum genere, *cum sermo eorum ut cancer serpat* 2. *ad Timotheum* 2. *Et quia ille, qui sic occulte peccat, non solum in te peccat, sed etiam in alios, oportet „ statim procedere ad denuntiationem „, ut hujusmodi nocumentum impediatur*.

At, inquis, Petrum esse hæreticum probare nequeo. *Object.*
Sed nec id exigitur; quibus enim fit denuntiatio, *Resp.*
illi non solent obligare ad probandum, sed solum ad declaranda criminis istius indicia.

De Paschali, & frequenti Communione.

PROPOS. DAMN.

1. *PRæcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam* (Corporis) *Domini manducationem*. Est 55. Innoc.

D. THOMAS 3. p. qu. 90. art. 4. ad 5. *Apostolus dicit prima ad Corinth.* 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de Pane illo edat, & de Calice bibat*, præceptum autem Ecclesiæ est explicatio quædam, & determinatio Præcepti Divini; cum ergo per sacrile-

legium Præceptum Divinum non adimpleatur, sed oporteat, ut homo se per puram probet conscientiam, consequens est, nec *Ecclesiastico* de Communione annua fieri satis per *sacrilegam* Corporis Domini manducationem.

Deinde; licet Ecclesia non possit præcipere *actus pure internos* (ut est communior Theologorum doctrina) potest tamen præcipere, & præcipit illos internos, qui per se cum exterioribus conjuncti sunt. Sic præceptum ecclesiasticum de Horis Canonicis recitandis non solum ad attentionem, & devotionem exteriorem; sed etiam ad interiorem obligat: sic & Præcepto de audienda Missa non satisfacit is, qui indevote, & ad alia voluntarie distractus illi interest: itaque nec Præceptum Communionis Paschalis impletur per indignam Domini sumptionem externam, sed per Dignam, Piam, Religiosam, ex interna animi dispositione dimanentem. Atque hoc abunde constat ex verbis, quibus præceptum Ecclesiæ expressum est: *Omnis utriusque sexus suscipiat „ reverenter „* (cum præparatione scilicet interiori requisita) *ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum*.

PROPOS. DAMN.

2. F*Requens Confessio, & Communio etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota Prædestinationis*. Est 56. Innoc.

D. THOMAS articulo præcitato in argumento sed contra. *Apostolus dicit* 1. *ad Corinth.* 11. *Qui manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, idest, „ condemnationem „. Dicit autem Glossa ibidem, quod indigne manducat, & bibit, qui in crimine est, ergo qui est in peccato mortali* (ut profecto est, qui *Gentiliter* vivit, idest, instar Ethnici cupiditatibus suis immersi) *si hoc Sacramentum accipiat, „ damnationem acquirit „*. Non igitur *frequens Communio* (idem de crebra *Confessione* dicendum est) in *Gentiliter* viventibus est *nota* Prædestinationis,

Huc facit id, quod Angelicus docet 3. p. q. 80. art. 10. in corpore. *Usus*, inquit, *hujus Sacramenti potest*

cum magna devotione, & reverentiâ ad hoc Sacramentum accedat. Et ideo si aliquis se quotidie (seu sæpe) *ad hoc paratum inveniat, laudabile est, quod illud quotidie* (seu crebro] *sumat .... sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ: non est utile omnibus hominibus quotidie* (sive frequenter) *ad hoc Sacramentum accedere, „ sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum „.* An vero *Gentiliter* vivens ad illud præparatus est? nonne ad tam Sanctum, tam Augustum, tam Tremendum Mysterium est omnino indispositus? Cur in talem, Divinam toties irritantem Patientiam, in aliorum terrorem justissimam Deus vindictam non effundit?

Sane mirabuntur Posteri hanc, aliasque numero centum, & decem hic expensas Christianæ moralitatis corruptivas hoc ingeniis Florentissimo Sæculo potuisse à Catholicis cudi Propositiones. Cusæ tamen fuerunt, sed à viris luxuriantium ingeniorum æstu abreptis. Utinam illi omnes nervos, vires, operam *Theologiæ veræ, sanæ, solidæ, limatæ*, pandenti viam *salutis* impendissent, non tanta ex eorum doctrina in animas Pretiosissimo Jesu Christi Sanguine redemptas inundasset pernicies. *Reflexio circa has Propositiones 110. Laxiores.*

Quis existimasset post tam insignem de *corrupta* moralitate à Summis Ecclesiæ Moderatoribus *Alexandro VII.* & *Innocentio XI.* relatum triumphum, potuisse profligatam instaurari aciem, novasque prodire Propositiones? *Prostrata Laxitas denuo recrudescit.*

En paucas quidem, sed laxitate sua memorabiles.

DECRETUM

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio divina providentia Papa XI. & Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generaª

neralibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum supradictis Eminentissimis & Reverendissimis DD. delatæ fuerint hæ duæ propositiones; *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat altari villam, vel librum*: Et: *Deus subjicit nobis omnipotentiam suam*: istis eorundem jussu per Theologos ad id specialiter deputatos relatis, & coram Sanctitate Sua propositis; una cum votis Eminentissimorum DD. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas Sua decrevit, & mandavit, ut ambæ propositiones omnino prohiberentur, sicut eas præsenti Decreto damnat, & prohibet, uti temerarias ad minimum, & novas, mandatque ne quisque deinceps cujuscumque sit Gradus, Ordinis, aut Conditionis illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, aut etiam oretenus docere, vel asserere sub pœnis & Censuris in Indice librorum contentis, aliisque Sanctitati Suæ bene visis.

Loco ✠ Sigilli.

FRANCISCUS RICCARDUS Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Universalis Inquisitionis Not.

Die 2. Decembris supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in Acie Campi Floræ ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum *SS. D. Nostri Papæ, & Sanctiss. Inquisitionis Cursorem.*

EN binas Propositiones ob connexionem materiæ simul junctas.

1. *Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, vel librum.*

2. *Deus subjicit nobis Omnipotentiam suam.*

Qui donat alicui villam, vel librum, is constituit illum villæ, vel libri dominum; donatio enim transfert dominium in donatarium: proinde hæc verba: *Deus donat nobis Omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut*

ſicut aliqui donat alteri villam, vel librum, ſignificant quod Deus nobis impertiatur dominium Omnipotentiæ ſuæ, ſeu nobis ſubſternat Omnipotentiam ſuam; id, quod aperte conſtat ex propoſitione ſequenti. *Deus ſubjicit nobis Omnipotentiam ſuam*.

Sed id refellitur hoc diſcurſu ex D. Thoma depromto. Cauſa prima, à qua indiget moveri cauſa ſecunda ad agendum, & cui cauſa ſecunda in operando ſubordinatur, non donat nobis, & ſubjicit Omnipotentiam ſuam; ſed Deus eſt cauſa prima, Creatura eſt cauſa ſecunda, & à Deo indiget creatura, ſeu cauſa ſecunda moveri ad agendum, eique in operando ſubordinatur; ergo Deus non donat nobis, & ſubjicit Omnipotentiam ſuam: ſed e contra in agendo nos Deus ſubjicit omnipotentiæ ſuæ; ſeu exercet in nos in agendo dominium Omnipotentiæ ſuæ. Minor probatur primo ex Angelico qu. 24. de veritate art. 14. ubi ſic loquitur: *Nulla res poteſt in operationem exire, niſi virtute Divina; quia cauſa ſecunda non agit niſi per virtutem cauſæ primæ*". Ex quo etiam liquet, quod cauſa ſecunda in agendo cauſæ primæ ſubordinetur. *Cauſa*, inquit, *ſecunda non agit niſi per virtutem cauſæ primæ*. Probatur ſecundo eadem minor. 1. 2. qu. 109. art. 1. in corp. *omnes motus tam corporales, quam ſpirituales reducuntur in primum movens ſimpliciter, quod eſt* Deus; *& ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moveatur à Deo*.

Non ſalvatur autem iſta ſubordinatio, vel dependentia cauſæ ſecundæ à prima in agendo per concurſum Dei ſimultaneum diſtinctum à concurſu, ſeu influxu prævio, ſeu motione prævia. Ratio eſt, quia ille, ſive illa ſolum influit in effectum, & non in ipſam cauſam ſecundam. Idque demonſtratur ipſomet exemplo, quo talis concurſus ſimultanei propugnatores ordinarie utuntur hac in materia; dicunt enim, ita ſe habere ad invicem cauſam primam & cauſam ſecundam, ſicut ſunt duo ferentes lapidem, cui unus ferendo non eſt. Certum vero eſt, quod licet portatio lapidis in tali caſu ab utroque ſimul dependeat, vel utrique ſubordinetur quoad effectum; tamen una illius portationis cauſa ab alia in ſeipſa ac in ſua virtute non de-

dependeat, nec ei subordinetur in vi operativa. Hoc igitur modo si causa prima, & secunda ita se se habeant, ut prima nihil influat in secundam, jam hæc in seipsa, & in sua virtute, seu in agendo à prima non dependebit, nec ei subordinabitur: sed tantum effectus ab utraque illa causa dependebit, id quod sane refragatur D. *Thomæ* locis citatis, *causa secunda non agit, nisi per virtutem causæ prima. Nulla creatura potest in suum actum procedere nisi moveatur à Deo.* Ecce, non solum effectus ab utraque causa dependet, sed *& in agendo* causa secunda dependet à causa prima, eique subordinatur.

Idem confirmatur 1. p. qu. 105. art 5. ubi dicitur *primum agens movet secundum ad agendum, & secundum hoc omnia agunt in virtute ipsius Dei:,, & ita ipse est causa omnium actionum agentium,,*.

Infinitus sim si omnia Aquinatis loca adducam. Suffragatur Doctori Angelico Magnus Augustinus duabus authoritatibus celeberrimis: *Deus*, inquit libro de Gratia, & libero arbitrio cap. 16. *facit, ut faciamus, prabendo vires efficacissimas voluntati? & Deus habet cordium quo voluerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem*. lib. de correptione, & Gratia c. 14.

Dum duo ferunt lapidem, cui unus ferendo impar est, non facit unus, ut alter eum ferat, sed ille alteri virtutem suam in sua linea accommodat. Deus autem facit, ut faciamus, ut in actum prorumpamus præbendo vires efficacissimas voluntati: illam movendo in actum infallibiliter, invincibiliter, insuperabiliter. *Deus movet voluntatem immutabiliter propter efficaciam*, seu omnipotentiam *virtutis moventis, qua deficere non potest*. D. T. q. 6. de malo.

Ex his omnibus exploratissimum est quod Deus in agendo nos subjiciat omnipotentię suę, seu exerceat in nos in agendo omnipotentiæ suæ dominium. Sed nonne, inquies, habet homo dominium voluntatis suæ? cur igitur indiget moveri à Deo? Objectioni sic respondet S. Doctor 1. 2. q. 109. art. 2. ad 1. *homo est dominus*, inquit, *suorum actuum, & volendi & non volendi propter deliberationem rationis, qua potest flecti ad unam partem, vel ad aliam: sed quod deliberet, vel non deliberet si hujus etiam sit dominus, oportet, quod hoc sit*

per

per deliberationem præcedentem, & cum hoc non procedat in infinitum, oportet quod finaliter deveniatur ad hoc, quod liberum arbitrium hominis moveatur ab aliquo exteriori principio, quod est supra mentem humanam, scilicet à Deo: unde mens hominis,, non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moveri à Deo,,.

Favet etiam supremo Dei in voluntatem hominis dominio Scriptura Sacra variis in locis. Isaiæ 26. dicitur. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*; deinde Ezechielis 26. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini*, item ad Philippenses 2.,, *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*,,. Dicitur etiam tum Esther 13. *non est qui possit tuæ resistere voluntati*, tum Proverbiorum 21. *sicut divisiones aquarum, ita & cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.*

Dei quoque in voluntates hominum dominio adstipulatur disertissime, & evidentissime Catechismus Romanus Concilii Tridentini jussu compositus, & à Summis Ecclesiæ Moderatoribus S. Pio V. & Gregorio XIII. approbatus, & specialiter ad Pastores totius Ecclesiæ Catholicæ pro instructione populi directus. In eo 1. p. n. 24. circa primum symboli Fidei articulum, *de Omnipotentia* Dei sic docetur. *Non solum autem Deus universa, quæ sunt, providentia sua tuetur, atque administrat, verum etiam, quæ moventur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum, atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen, cum ejus occultissima vis ad singula pertineat, & quemadmodum sapiens testatur Sap. 8. attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter.*

Porrò influxus ille Dei prævius in Creaturas, seu motivo Dei in illis in ordine ad agendum, cum omne movens sit prius mobili saltem natura, à Thomistis rectè nuncupatur *Præmotio*, seu *Prædeterminatio physica*: quæ etiam exprimitur per τὸ,, *præveniat*,,.

Sed & D. Angelicus dudum ante 1. ad *Annibaldum* dist. 47. q. unica art. 4. in corp. docuerat: *voluntate Dei non solum res in esse producuntur, sed etiam rebus producen-*

cendis „ modum „ , quo producantur, prædetermina-vit „.

Ex omnibus dictis perspicue sequitur per hasce binas propositiones damnatas plurimum illustrari, foveri, roborari, fulciri, commendari famosam *Præmotionem Physicam Thomisticam*, utpote potissimum innitentem supremo Dei in voluntates nostras dominio.

PROPOSITIONES DUÆ LAXIORES DAMNATÆ AB ALEXANDRO VIII.

DECRETUM.

Feria 5. die 24. Augusti 1690.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. ALEXANDRO Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Propositiones duæ laxiores Damn.

SAnctissimus D. N. ALEXANDER Papa VIII. non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere? & cum sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas à noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum Thesium, sive Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui pluries & mature discussis infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

1. Bo-

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. „ *Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis* „.

2. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi. Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ legis. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus omnibus plene, & mature consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in Jure expressis. Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicut damnat & prohibet, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini judicii prohibet omnibus Christi Fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim, seu Propositionem ad praxim deducant.

Loco ✠ Sigilli.

Alexander Speronus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Die

Die 24. Augusti 1690. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum *SS. D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.*

PROPOS. DAMN. DE AMORE DEI.

BOnitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

D. THOMAS 1. 2. q. 89. art. 6. ad 3. *Cum homo usum rationis habere inceperit ...., hoc est tempus ,, pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo, quo Dominus dicit convertimini ad me*, ut ad finem ultimum appetitionis vestræ, *& ego convertar ad vos, Zachariæ primo.*

Et certe rationi maxime consentaneum est, ut Deus pro beneficio Creationis, in qua summus erga genus humanum ad imaginem suam conditum amor relucet, rationi, inquam, consentaneum, & justissimum est, ut Deus ab homine *in diluculo rationis* pensionem suæ dilectionis exigat, & primitias Libertatis à se creatæ, quæque est in bonum, & malum versatilis, per actionem bonam sibi consecrari postulet, sicut olim in lege Mosayca præcipiebat sibi offerri omnia primogenita animalium, & frugum terræ.

Nec vitæ moralis *decursus* ab obligatione Divini Amoris actus eliciendi exemptus est, ut supra demonstravimus *ad propositiones Damnatas de charitate erga Deum.*

De

De peccato Philoſophico.

PROPOS. DAMN.

PEccatum Philoſophicum, ſeu morale, eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. Famoſum peccatum Philoſophicum.

D. THOMAS 1. 2. q. 71. art. 2. ad 4. *Quidquid eſt contra rationem artificiati, eſt etiam contra naturam artis, qua artificatum producitur. Lex autem æterna comparatur ad ordinem rationis humanæ, ſicut ars ad artificiatum: unde ejuſdem rationis eſt, quod peccatum ſit contra Ordinem rationis humanæ, &„ quod ſit contra legem æternam „*: adeoque dari nequit peccatum, quod rationi adverſetur, id eſt, *Philoſophicum*, quin hoc ipſo legi æternæ refragetur, & conſequenter quin ſit *Theologicum*.

Porro hac in Propoſitione duo expendenda ſunt; Primo ſupponit illa, dari poſſe ignorantiam Dei *invincibilem*, proindeque à peccato excuſantem. Secundo requirit ad *Theologice* peccandum *actualem* de Deo cogitationem. Primum liquet ex verbis iſtis, *Philoſophicum, quantumvis grave in illo, qui Deum ignorat*: alterum in ſequentibus, *vel de Deo: actu non cogitat*.

Dari *non poſſe* ignorantiam invincibilem Dei, aſſerit hæc ſtupenda moles univerſi certatim prædicans Dei notitiam homini eſſe inſitam, ingenitam, implantatam, inſeminatam. *Hæc eſt vis vera Divinitatis*, inquit Doctorum Aquila tr. 106. in Joan. *Ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò, ac pœnitus poſſit abſcondi*. Adeoque nequit dari ignorantia Dei invincibilis, & conſequenter inculpabilis. Hinc dicitur Pſal. 78. *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt*; & tamen cognoſcere potuerunt. Ruit igitur

peccatum *Philosophicum*, quod in præfata potissimum ignorantia fundabatur.

Cæterum fuerunt nonnulli, qui ipsum Doctorem Angelicum, hujus erroris (ut vidimus) Prædebellatorem in illius patronum vocare non sunt veriti ob illa, quæ habet 2. 2. qu. 20. art. 3. in corp. *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo: quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.*

Object.

Resp. Sed quis hic non videat, D. Thomam (ut alia ad textum loci oportuna prætercam) loqui hypothetice? in hypothesi scilicet, quod detur ignorantia Dei invincibilis? In tali enim suppositione peccatum non esset *Theologicum* (cum ignorantia invincibilis à peccato excuset) sed mere *Philosophicum*.

Object. Bene est, inquiebant peccati Philosophici defensores: *Theologi nostri defendunt hanc Propositionem dumtaxat de peccato Philosophico, si, vel quando existentia Dei invincibiliter ignoraretur*, adeoque in hypothesi jam allegata; proinde nos Alexandrina non involvit condemnatio.

Resp. Sed quantus hic error, & cæcitas! Certe Alexander VIII. non feriit Propositionem *conditionatam*, sed *absolutam*, non feriit phantasma, sed rem ipsam. Sic & fulmen Apostolicum non fuit vibratum in phantasma Jansenii (ut filii iniquitatis volebant) sed in hæresim Jansenianam revera talem. En verba Alexandri VIII. *Peccatum Philosophicum quantumvis grave in illo qui Deum vel ignorat* (ecce ignorantia absoluta, non *conditionata*) *vel de eo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei &c.*

Superest consideranda *actualis* de Deo cogitatio, quam famosi istius peccati *Philosophici* assertores ad *Theologice* peccandum requiri sustinebant.

Sane illam non requiri, sed vere, formaliter, & Theologice peccare eum, qui de Deo actu non cogitat, luce meridiana clarius ex sacris patet Oraculis. *Exacerbavit Dominum peccator*. Psal. 9. Sed cur exacerbavit? Fuitne semper in illo actualis de Deo cogitatio? Semperne fuit Deus in conspectu ejus alioquin non peccaturi? Minime vero: Imo hoc ipsum ei jure merito exprobatur, & peccato vertitur, quod de Deo non

cogi-

cogitarit, seu Deum oculis suis non præfixerit. *Non est Deus in conspectu ejus*. Eodem Psal. v. 26.

Deinde: si ad *Theologice* peccandum semper *actualis* de Deo, aut de peccati, quod Deum infinite offendit, malitia cogitatio requireretur; nonne innumeri Athei, Machiavellopolitici; & consuetudinarii in criminum voraginem sine ulla Dei, vel malitiæ consideratione se præcipitantes à peccatis eximerentur?

Solida docet Theologia ad peccatum requiri, & sufficere; quod quis potuerit, & debuerit de Deo cogitare, vel reflectere ad Deum, aut ad gravitatem peccati infinitam involventis malitiam: quodque ad illa omnia non reflexerit.

Sed ecce errorem quasi suis exortum temporibus; formalissime damnatum ab Angelico 1. 2. q. 74. art. 7. ad 2. *Ratio superior*, inquit, seu mens *dicitur consentire in peccatum*, „ *sive cogitet de lege æterna* „ (quæ Deus est) „ *sive non* „. *Nimius Rigor, extremum Laxitati oppositum:*

Lustrata laxitate; perpendamus modo extremum aliud, Propositiones scilicet Rigorosiores. Illæ sunt 31. ab eodem *Alexandro VIII.* damnatæ.

PROPOSITIONES 31. DAMNATÆ

AB ALEXANDRO VIII.

DECRETUM.

Feria 5. die 7. Decembris 1690.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis, coram Sanctissimo D. N. D. Alexandro Divina Providentia Papa VIII. ac Eminentissimis; & RR.DD.S.R.E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis:

SAnctissimus D. N. Alexander Divina Providentia Papa VIII. prædictus pro pastorali cura Ovium à Christo Domino sibi commissa de earum salute sollicitus, *Propo. sit. 31. rigorosiores.*

citus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimium perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ sigillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ videlicet.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum (*Christus*) pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5. Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, à gratia sufficienti *libera nos Domine*.

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Om-

11. Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pænitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet Authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

22 Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt à Sacra Communione, quibus nondum inest Amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccati, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, &

quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis.

25. Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

26 Laus quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus, *In nomine Patris &c*, prætermissis illis, *Ego te baptizo*.

28. Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, *non intendo, quod facit Ecclesia*.

29. Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum Authoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31. Bulla Urbani VIII. *in eminenti*, est subreptitia.

Quibus mature consideratis, idem Sanctissimus statuit, & decrevit 31. supradictas Propositiones tamquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, Hæresi proximas, Heresim sapientes, erroneas, Schismaticas, & Hæreticas respective, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, & prohibet, ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, à qua non possit (præter quam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divinii Judicii, prohibet omnibus Christi fidelibus, cujuscumque Conditionis, Dignitatis, & Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas Opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propositiones in majori numero ultra supradi-

prædictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expressas approbare.

Loco ✠ Sigilli.

Alexander Speronus S. R. & Universalis Inquisitionis Not.

Anno à Nativitate D. N. Jesu Christi MDCXC. Indict. 12. die 20. Decemb. Pontificatus autem SS. D. N. D. ALEXANDRI *Divina Providentia Papæ VIII. Anno secundo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostol.* Palatii S. *Officii, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me* Franc. Perinum *Sanctissimi D. N. Papæ & SS. Inquisitionis Curs.*

J. Bapt. de Comitibus Mag. Curs.

De Imagine Dei.

PROPOS. DAMN. UNICA.

D*Ei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare*, Est 25.

D. THOMAS 2.2.q. 10, art. 12. in corp. *Maximam habet Authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda.* Cum igitur & sit, & ab aliquot retro Sæculis Ecclesiæ consuetudo fuerit Dei Patris simulacrum Christiano in Templo collocare, consuetudo illa æmulanda, & retinenda est, proindeque illud nefas esse quidam perperam contendunt.

Object. At Augustinus, inquiunt, Libro de Fide, & Symbolo cap. 7. ait. *Simulacrum Deo nefas est Chistiano in Templo collocare:* an igitur per hanc *Alexandrinam* damnatus est *Augustinus*? Minime vero; sic locutus est pro illius temporis * *disciplina* Augustinus, & *recte*: sed non recte pro *hisce temporibus* nonnulli loquuntur, dum id modo nefas esse asserunt; cum illud diversa Ecclesiæ disciplina, & consuetudo tot jam sæculorum usu, ac praxi & apud doctos, & indoctos, bonos, & malos, Pastores, & Populum, in universo terrarum orbe recepta approba-

Resp.

* *Eo tempore vigebat hæresis Anthropomor.*

 verit,

phitarũ humanam Deo figuram atribuentium. verit. Unde istis oppono celeberrimum istud ipsinsmet D. Aug. effatum. *Dementissima insania est, vel in dubium revocare, quod universa per orbem frequentat Ecclesia.*

Hinc solvitur & illud, quod ex antiquissimæ cujusdam Synodi Eliberatanæ Sæculo 3. in Hispaniis celebratæ Canone 36. objicitur. *Placuit picturas in Ecclesia esse non debere, ne quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur.* Fuit enim alia ea tempestate Ecclesiæ disciplina angustissimis profecto accommodata temporibus, quibus periculum erat, ne Gentiles Christianis ob Dei, & Sanctorum Imaginum cultum idololatriam affricassent.

Object.

Resp. Unde hæc objectio non solum adversus Dei (quod tantum aliqui voluere) sed etiam Sanctorum passim simulacra militat.

De Ignorantia, & Libertate.

PROPOS. DAMN.

1. *TAmetsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa, non excusat à peccato formali.* Est 2.

2. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum mortale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa, peccato originali, & voluntate Adami peccantis.* Est 1.

D. THOMAS 1. 2. q. 76. art. 2. in corpore. *Si homo nesciat ea, quæ scire non potest, horum ignorantia invincibilis dicitur: quia studio superari non potest, & propter hoc talis ignorantia, cum „ non sit voluntaria „, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum. Ex quo patet, quod „ nulla ignorantia invincibilis est peccatum „.*

Responderunt nonnulli (& in illorum responsione fundata est *altera* Propositio) ignorantiam invincibilem juris naturæ, quæ juxta illos mala est, & quodlibet aliud, esse voluntarium *voluntate Adami peccantis, illamque* sufficere ad culpam.

Sed hæc responsio facillime refellitur ex 2. dist. 30. q. 1. art. 2. *Ad culpam personæ* (qualis foret ignorantia illa invincibilis &c.) „ *requiritur voluntas personæ* „,

ad

ad culpam vero naturæ (id est originale peccatum) *non requiritur nisi voluntas in natura illa*.

Deinde responsio illa evidentem patitur instantiam in motibus primo-primis, qui dimanant ex peccato originali, & tamen non sunt peccata, ut patet tum ex hac Bajana damnata: *prava desideria .... quæ homo invitus patitur, sunt prohibita Præcepto non concupisces*: tum ex Tridentino sess. 5. num. 5. *Concupiscentia nocere non potest non consentientibus*.

Cæterum à prima ex hisce damnatis non solum remoti sunt illi, qui tenent posse dari ignorantiam invincibilem in præceptis juris naturæ magis reconditis, sed etiam ab ea se eximunt contrarium asserentes. Quod tamen illius sententiæ Patronis, quasi in damnatam istam inciderent, à quibusdam imprudenter non semel objectum fuit. Aliud est enim affirmare, non posse dari præfatam ignorantiam invincibilem, aliud dicere, non fore eum à peccato excusandum, qui *operaretur* ex tali ignorantia invincibili, *tametsi illa daretur*, quod quidem illius sententiæ Defensores numquam asseruerunt. Ad veritatem tamen hi propius accederent, si aliorum Doctrinam amplecterentur sustinentium in remotioribus juris naturæ præceptis, ignorantiam dari posse invincibilem, quam vel ipsimet licet *speculative* oppositi in difficiliorum tamen celebratione Contractuum in *praxi* admittant, velint, nolint, necesse est.

De probabilitate.

PROPOS. DAMN. UNICA.

N*On liset sequi opinionem vel inter probabiles Probabilissimam*. Est. 3.

D. THOMAS 2. 2.q.60.art.3. ad 1. *In humanis actibus invenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstrativis*, seu Mathematicis, *sed secundum quod convenit tali materiæ*, idest *moralis* certitudo: quæ profecto in nostris actibus reperitur, dum sententiam probabiliorem, atque à fortiori inter probabiles *Probabilissimam* amplectimur.

Quam

Quam perspicue hanc circa materiam bina apparent extrema! Probabilismus obtrudit *Probabilitatem quantumvis tenuem*: Rigorismus respuit *opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Cum Veritas uti & Virtus consistat *in medio*, media hic præsertim via ineunda est, ac sectandum illud ingeniosi Poetæ; *inter utrumque vola*: non nimis *alte*, ne libertatis æstu diffluas sequens Probabilia: non nimis *depresse*, ne frigore scrupuloso torpescas, vel Probabilissimam amplecti reformidans. Medium *moralis* tenet certitudo, quæ Probabilissimæ inest sententiæ, & quæ facit, ut non sit opus opinionem sectari oppositam, quæ est tutior, esto illa aliquid etiam probabilitatis habere videatur. Vide eximium *Steyaertium* in Aphorismis tomo 1. disp. 3. n. 14.

De Gratia sufficiente.

PROPOS. DAMN.

1. PAgani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti. Est 5.

D. THOMAS in c. 12. ad Hebræos Lect 3. *Gratia nulli deest sed omnibus, quantum in se est, se communicat*. Falsum igitur est, quod Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiant à Jesu Christo influxum, ita ut omni gratia *sufficienti* sint destituti. Gratiam certe sufficientem crebro habent, qua converti possent, sed illam negligentiis, & concupiscentiis suis suffocant.

2. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere*, à Gratia sufficienti libera nos Domine. Est. 6.

Hæc propositio supra refutata est ad *primam*, & *secundam Jansenianam*, ubi dari, & utilem esse statui nostro gratiam *sufficientem*, abunde demonstratum est, quæ ibi fusius tradita sunt, hic breviter repetamus.

Diximus illic, quod ista reddat voluntatem plene, & expedite potentem ad actum salutarem in linea potentiæ, seu ex parte actus primi; ita ut ex parte Gratiæ

ad

ad plenum posse nihil desit, nec plus requiratur: quamvis ut hæc Gratia actu in effectum influat, ad quam ipsa est tantum sufficiens, Gratia efficax requiratur ita potentem ad actum applicans.

Sed & sunt alia (ut etiam supra observatum est] quæ sibi Gratia *sufficiens* vendicat, munera. Conjunctos scilicet semper habet aliquos actus, veluti illuminationem intellectus ad considerandum ea, quæ annuntiantur, vel proponuntur, & excitationem voluntatis ad concipiendum aliquod emendandæ vitæ desiderium, piam effectionem, aliasve ad salutem dispositiones. Si enim Deus interius moveat, ac illuminet intellectum & voluntatem excitet; omnino consequens est, quod intellectus moveatur, & illuminetur, quodque voluntas excitetùr, & sic eadem gratia, quæ V. G. ad credendum, vel diligendum est tantum sufficiens, est tamen efficax respectu actuum jam enumeratorum.

Quam temeraria igitur, & insunita fuit illorum vox dicentium *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere*, à gratia sufficienti libera nos Domine! Profecto illa apprime utilis est, licet effectum, ad quem sufficiens est, non assequàtur. Utilis est, quia antelucana quædam homini inspirat desideria, utilis est, quia est quoddam adversus peccata repagulum, ita ut sine illa homo magis peccaret: utilis est, quia per illam homo disponitur ad Gratiam ulteriorem recipiendam: utilis est, quia est efficax (ut vidimus) respectu aliquorum motuum. Proinde non est orandus Dominus, ut à gratia sufficienti nos liberet, sed potius pro illa agendæ sunt ei grates, & enixius rogandus est Deus, ut ex intimis Misericordiæ suæ penetralibus nobis largiri dignetur Gratiam efficacem, & victricem, qua nempe insuperabiliter, & ineluctabiliter præmoveatur, applicetur, inclinetur voluntas nostra, illique detur non solum *posse*, sed & *actualiter* recte operari. De bina Propositione; & præsertim de Gratia *sufficienti* infra redibit sermo ad *Propositiones* 101.

Utilitas gratiæ sufficientis.

De

De Fide, Operibus infidelium, aliisque actibus.

PROPOS. DAMN.

1. *QUando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides, Divina, sed humana.* Est 12.

D. THOMAS 2. 2. q. 5. art. 2. ad 2. *Fides inclinat hominem ad credendum, etiamsi sit „ informis „,* idest; charitate destituta.

Ratio quoque suffragatur. Non enim omne peccatum mortale est contrarium Fidei, nec distruit rationem formalem objecti ipsius, nempe Revelationem Divinam, atque adeo potest homo in peccato mortali existens, proindeque extra amorem Dei credere mysteria nostræ Fidei, quia à Deo revelata sunt: datur consequenter in eo Fides *Divina*, non humana. Vide easdem 101. ad annum 1713.

PROPOS. DAMN.

2. *NEcesse est infidelem in omni opere peccare.* Est. 8.

3. *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Est 11.

4. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, Charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Est. 7.

4. *Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sine ullo ad deum offensum respectu.* Est. 9.

Priores istæ non sunt nisi repetitio harum Propositionum *Baji*. *Omnia infidelium opera sunt peccata, &c.* Est ipsius 25. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, quo mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Est 38. Imo *Bajana*, ait Steyaertius pag. 243. *hæc quarta est inconcinnior*. Bajana saltem dicebat, omnem amorem creaturæ ratio-

rationalis esse vel Charitatem, vel cupiditatem &c. Hæc vero idem dicit de omni humana *actione*. Vide supra *Bajanas*, ubi omnes hæ citatæ à D. THOMA prædebellantur titulo *de operibus factis sine gratia*. Vide etiam jam infra pro *quinta* præcipue, nec non & aliis, Propositiones *Quesnel*. Confer hæc simul omnia, & facile deprehendes, ea inter se esse concatenata.

De Authoritate Pontificis.

PROPOS. DAMN.

1. *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium OEcumenicum Authoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate*. Est 29.

2. *Bulla Urbani VIII.* in Eminenti est *subreptitia*. Est 31.

D. THOMAS 2. 2. q. 1. art. 10. in corp. *Dominus Luca* 22. *Petro dixit, quem Summum Pontificem constituit: ego rogavi pro te Petre, „ ut non deficiat fides tua „, & tu aliquando conversus „ confirma fratres tuos „*. Non dixit, *confirmare* à fratribus tuis, illis subdere, dum in unum erunt in Concilio congregati, & inferior esto. Sed *Confirma Fratres tuos*: eos tibi subde, dum seorsim, dum simul sunt, nec enim fratres illi *subditi* esse desinunt, quantumvis *simul* in Concilio congregati; illis semper esto, & *ubique* Superior: eos confirma, moribus instrue, veritatem edoce, eos solidissimis & inconcussis, quibus omnes Hæreses, Errores, portæque Inferi non prævaleant, imbue Doctrinis.

Unde dogmata, Decisiones, Resolutiones, Definitiones Conciliorum Generalium irrefragabile robur non habent, nisi à Romano confirmentur Pontifice.

Id egregie exprimit Doctor Angelicus loco citato. „ *Ad solam authoritatem summi Pontificis pertinet finaliter* „ (postquam omnia in Consistoriis, Congregationibus, Conciliis resoluta sunt) „ *determinare ea quæ sunt fidei, ut omnibus inconcussa fide teneantur* „. *Authoritatis Pontificium*

Hoc ipsamet testantur Concilia OEcumenica. Terminato Concilio Generali Niceno primo adversus A-

Suprà Concilium Generale, suffragatur Concilia OEcumenica Ecclesiæ Græcæ.

rium celebrato; *placuit Synodo, ut hæc omnia mitterentur ad Episcopum Romæ Sylvestrum*. Confirmationem vero Patres petierunt his verbis. *Quidquid constituimus in Concilio Niceno, precamur vestri oris consortio confirmetur*.

In Concilio Chalcedonensi habito contra hæresim Eutychetis unam tantum in Christo post Incarnationem, naturam asserentis, confirmationem illius à Leone Magno hoc tenore Patres exposcunt. *Quædam definivimus, scientes, quia Vestra Sanctitas probatura, & „ confirmatura est „ eadem. Quæ igitur definivimus, dignare complecti Sanctissime, ac Beatissime Pater, rogamus, tuis Decretis nostrum honora judicium*. Id etiam alia præstitere Concilia Græca, de quibus statim in *secunda* parte Propositionis.

Item Concilia Ecclesiæ Latinæ.

Latina Concilia vel præsente Pontifice, eoque approbante celebrata sunt, ut patet in *Lateranensibus* quinque, *Lugdunensibus* duobus, *Viennensi*, *Florentino*, vel ab absente confirmationem actorum postularunt. Id liquet potissimum in Tridentino omnium Conciliorum medulla, in cujus fine omnes Episcopi decreverunt, *ut omnium & singulorum, quæ in eo decreta, & definita sunt, „ confirmatio „ nomine Sanctæ Synodi per Apostolicæ Sedis Legatos, & Præsidentes à Beatissimo „ Romano Pontifice petatur „*.

Decretum memorabile Concilii Lateranensis 5.

Omittere hic nequeo memorabile decretum in Lateranensi 5. editum, quod maximum Pontificiis Prærogativis robur, & vim suppeditat. *Penes „ solum Pontificem tamquam super omnia Concilia authoritatem habentem „ est Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum Jus, & Potestas*.

Unde tota retro *antiquitas* pro *Pontificis* supra *Concilium* unanimiter stetit *Authoritate*.

Authoritas Pontificia in Stephano quoad Bap.

Quo me, quo rapis, Africa, præstantissimum pro *illa* argumentum tribuens! Quæstio versabatur ipsos inter Catholicos de Hæreticorum Baptismo. Tota Africa illum esse *invalidum*, adeoque *reiterandum* summa animorum contentione prædicabat. Quæstio effervescebat, fortissimæ pro illa opinione depromebantur rationes, stabat acerrime pro illa inter alios, S. Præsul Cyprianus ratus sibi suffragari veritatem. Quis tunc tanto animorum ardore agitatam diremit controversiam?

siam? Is fuit Celeberrimus ille Pontifex *Stephanus* universo se torrenti intrepide, inconcusse, irrefragabiliter opponens, *validumque* esse Hæreticorum *Baptisma*, nec ab illis baptizatos *absolute* esse *rebaptizandos Pontificia* vi pondere, & plenitudine *Authoritatis* decernens.

ptismum Hæreticorum.

Secunda pars Propositionis *primæ*, quæ est de Pontificis in quæstionibus fidei dirimendis infallibilitate, probatur ex verbis notatu dignissimis Doctoris Angelici in suppl. quæst. 25. art. 1. *Ecclesia universalis non potest errare, quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua Reverentia, dixit Petro, super cujus confessione Ecclesia fundata est: Ego rogavi pro te, „ ut non deficiat fides tua „.* Ecce *ideo* non potest errare Ecclesia, quia pro Petro oravit Christus, *ne deficeret fides ejus*: ideo igitur non deficiet fides Ecclesiæ, quia *non deficiet fides Petri*, ideo proinde Ecelesia est infallibilis, quia *Petrus*, quia *Romanus Pontifex* successor Petri est *infallibilis*.

Pontificis in quæstionibus Fidei dirimendis Infallibilitas.

Et certe si Romanus Pontifex, qui est Caput Ecclesiæ, non foret in decidendis fidei quæstionibus infallibilis, fuisset Synagoga felicior, quam Ecclesia, quia in illa erat unus Summus Pontifex, qui infallibiter omnes controversias circa legem exortas dirimebat. Itaque melius fuisset provisum ancillæ Synagogæ, quam Sponsæ Ecclesiæ, melius umbræ quam corpori, melius figuræ, quam rei figuratæ, omniumque figurarum consummatrici, quod nullo modo dici potest. *Unde pertinet ad Authoritatem Summi Pontificis*, inquit D. Thomas art. 10. percelebri, & hic præcitato *ut ad eum majores, & difficiliores Ecclesiæ quæstiones referantur, & ratio est quia una fides debet esse totius Ecclesiæ .... quod servari non posset, nisi „ quæstio fidei exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ praeest: ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur „.*

Nec dissimilia habet Gregorius Magnus Lib. 4. epist. 52. *Si quam contentionem*, inquit, *de fidei causa evenire contigerit, nostra debet sine dubio sententia terminari*. Et quid ni terminetur? Ecclesia Christi annis 325. sine Generalibus stetit inconcussa Conciliis: quis tunc enatas *Basilidis*, *Saturnini*, *Marcionis*, *Nicolaitarum*, *Gnosticorum*, *Montani*, aliorumque damnavit hæreses, nonne existens pro tempore Romanus Pontifex?

Plures hæreses à solo prostratæ sun Pontifice.

Sed

Celebre dictum Augustini. Sed & post œcumenica celebrari cœpta Concilia; *Manichai*, *Aerius*, *Jovinianus*, *Helvidius*, *Pelagius*, aliique *solius* Sedis Apostolicæ authoritate profligati sunt. Nunquam profecto oblitterabitur, sed pontificiis semper pectoribus manebit alte impressum celeberrimum illud Divi *Augustini* effatum, quod ille occasione damnatorum *Pelagii* sectatorum protulit. „ *Roma rescripta venerunt*, *causa finita est* „.

Infallibilitati Pontificis adstipulantur Concilia. Quid quod & definita à Conciliis generalibus fidei dogmata fuerunt à supremis Ecclesiæ Moderatoribus ordinarie prædefinita. Non alia definivit Ephesinum adversus Nestorium, quam ante *Calestinus*, non alia Chalcedonense adversus Eutychetem, quam ante *Leo Magnus*, non alia VI. Synodus adversus Monothelitas, quam ante *Agatho*, non alia VII. contra Iconomachos, quam ante *Adrianus I.* non alia VII. contra Photium, quam ante *Nicolaus I. & Adrianus II.*

Per litteras Cælestini sibi *certam sententiam* „ *fideique* „ *regulam præscribi*, *& se non nisi* „ *Roma definita* „ *perficere*, scribunt Ephesini Patres.

Lecta in Synodo Chalcedenonsi Leonis epistola, Reverendissimi Episcopi conclamaverunt. *Hæc Apostolorum fides*, *anathema*, *qui non ita credit*. „ *Petrus per Leonem* „ *locutus est*. *Suspecti subscribant epistolæ Leonis*, *qui non subscribit*, *Hareticus est*.

Patrum sextæ Synodi, visis Agathonis litteris, novissima verba sunt. *Charta & atramentum videbatur &* „ *per Agathonem Petrus loquebatur*. *Per has litteras* „ inquiunt. *multiplicis erroris hæreticam sententiam depulimus*.

A Concilio septimo Adriani I. Epistola habita est, *veluti Divinus Orthodoxiæ terminus* „, omnibus illa *sola* recitata, priusquam, vel Traditio producta fuisset, vel aliud quidquam actum esset pro controversia fidei dirimenda, in has certatim voces prorumpentibus: *Tota Sacratissima Synodus ita credit* (Sacras Imagines esse venerandas) *ita sapit*, *ita dogmatizat*.

Synodi VIII. Patres, *nos*, inquiunt, „ *novam* „ *de illo* (Photio) *Judicii sententiam non ferimus*, *sed jam olim à Sanctissimo Papa Nicolao*, *& successore illius Adria-*

driano (secundo) „ *pronuntiatam*,, *quam* „ *nequaquam possumus immutare*„.

Potueruntne Concilia illustriora pro Pontificis *infallibilitate* profundere Testimonia?

Unde hæc sententia omni tempore summo fuit communiter à Theologis habita in pretio.

Hos inter imminent *Lovanienses* sapientissimi *Tapperi*, *Driedones*, *Cuneri*, *Jacobi*, *Jasonii*, aliique inclyti Veteres.

Nec ab his diffidet famosus *Cornelius Jansenius* scribens in illud Domini ad Petrum Lucæ 22. *Confirma fratres tuos*.

Favent infallibilitati Pontificis Doctores Lovanienses. Testimonium pro illa Jansenii Iprensis.

Quia confirmare fratres ad officium Pastoris pertinet, & proinde perpetuum esse debet, hinc Christus juxta sententiam Antiquorum impetravit ei (Petro) *& aliud Privilegium ad successores propagandum, ut videlicet tamquam Caput Ecclesiæ* „ *nec ipse, nec successores ejus in docenda vera fide deficerent*„ *juxta illud Leonis serm. 3. de assumptione sua ad Pontificatum: in Petro omnium fortitudo munitur: & illud Bern. epist. 109. ad Innocentium: dignum arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi*„ *non possit fides sentire defectum*„.

Sed nec *Sorbonici* (quamvis hodie totius Ecclesiæ torrenti nonnulli obsistere videantur) à communis assertionis defensorum catalogo eximendi sunt.

Favent & illi Doctores Sorbonici.

Præter *Aquinatem* illius Universitatis Solem, omnesque Antiquos, suffragatur nobis temporibus nostris vicinior Doctor percelebris *Duvallius* part. 1. q. 2. *Promissione Christi pro Infallibilitatis Privilegio ad Romanos Pontifices Petri Successores transisse præter paucos*, „ *docent omnes, quotquot sunt Catholici Doctores*„ ... *unde potest Pontifex*„ *absque Synodo suæ Potestatis monarchica plenitudine errores irrefragabiliter damnare*„. Atque hanc *velint*, *nolint Adversarii*, *liquido constat*„ *veteres*, *Ecclesiæ Gallicanæ Proceres in Summis Pontificibus*„ *infallibilitatem*„ *semper agnovisse*. Communi Celeberrimorum Doctorum sententiæ non parum confert ponderis *hæc* præsens damnata.

Propositio *secunda* refutatione non indiget. Ideo scilicet Bulla *Urbani VIII.* in *Eminenti* à quibusdam traducta est ut *subreptitia*, quia illa & confirmabat

Constitutiones *S. Pii V.* & *Gregorii XIII.* Propositionum *Baji* profligativas; & quia librum *Jansenii*, cui titulus: *Augustinus Cornelii Jansenii Iprensis*, primo prohibuerat. Illa sane, quæ postmodum ab *Innocentio X.* & *Alexandro VII.* atque à *Clemente XI.* (quem Deus diu sospitem Ecclesiæ conservet) in Constitutione *Vineam Domini Sabaoth* adversus librum, & doctrinam *Jansenii* sunt vibrata, multo majora sunt, quam ea, quæ continentur in præfata *Urbani* Bulla.

De Authoritate S. Augustini.

PROPOS. DAMN. UNICA.

UBi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Est 30.

D. THOMAS 2. 2. quæst. 10. art. 12. in corpore. *Ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab „ Ecclesia „ authoritatem habet: unde magis standum est „ authoritati Ecclesiæ „, quam „ anthoritati vel Augustini „, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.*

Sed ecce ipsum Augustinum doctrinam suam Summi Pontificis *Bonifacii* sententiæ subdentem. *Hæc* (ait capit. 1.) *qua duabus epistolis Pelagianorum ista disputatione respondeo, ad Tuam potissimum dirigere Sanctitatem non tam discenda, quam „ examinanda „, & ubi forsitan aliquid displicuerit, „ emendanda, constitui.* Qui Augustinianam se Doctrinam sectari profitentur, hoc præclarum *Augustini* factum imitentur.

De Spe, & Mercedis intuitu.

PROPOS. DAMN.

1. *QUisquis etiam æterna Mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.* Est 13.

2. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut Cælestem obtineat Gloriam, non est recta, nec Deo placens.* Est 10.

D. THO-

D. THOMAS 2. 2. quæst. 17. art. 5. in corp. *Cum spes habeat Deum pro objecto* (in quantum *est Beatitudo æterna* art. 7.) *manifestum est, quod Spes est Virtus Theologica*, absit autem, ut quis peccet, dum merum exercet actum alicujus Virtutis Theologicæ: itaque qui *æternæ mercedis* intuitu, proindeque spem exercens Deo famulatur, licet caruerit Charitate, vitio caret, quoties intuitu Beatitudinis operatur; ideoque nec peccat, qui detestatur malum, & prosequitur bonum, *mere* ut *Cælestem* obtineat *Gloriam*, sed ejus intentio est recta, & Deo placens. Plura infra, dum agetur de *Relatione operum in Deum*.

De morte Christi pro omnibus.

PROPOS. DAMN. UNICA.

DEdit *semetipsum* (Christus) *pro nobis oblationem, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus*. Est. 4.

D. THOMAS Lect. 2. in cap. 2. prioris epist. ad Timoth. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus* (electis nimirum) *efficaciter, sed pro omnibus sufficienter, quia pretium Sanguinis ejus est sufficiens ad salutem „ omnium „*. Nullus hic prorsus excipitur, non Turca, non Judæus, non Scytha; aut quilibet Infidelis extremo sub sole repostus. *Pretium Sanguinis ejus est sufficiens ad salutem omnium* omnino hominum conformiter ad illud Apostoli 2. ad Corinth. 5. *Pro omnibus mortuus est Christus*, pro omnibus scilicet, & singulis plane hominibus.

Porro quamvis hæc propositio mitius, quam *Janseniana* 5. concepta videatur, æque tamen *hac* militat adversus citata loca, & communem Ecclesiæ sensum, quam *ista*. Si enim *dedit semetipsum Christus oblationem pro omnibus, & „ solis fidelibus „*: ergo Christus non est pro *omnibus* plane mortuus. Unde Ecclesia Romana per hanc damnationem iterato declarare intendit Christum esse mortuum pro *omnibus prorsus hominibus*.

De B. Virgine Dei Genitrice Maria.

PROPOS. DAMN.

1. *Oblatio in Templo, quæ fiebat à B. V. M. in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in Holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba Legis.* Est 24.

D. THOMAS 3. p. q. 37. art. 4. ad 2. *Signanter Moyses* (qui scribit *Levit.* 12. Mulier quæ suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus) *videtur fuisse locutus ad excipiendam ab immunditia Matrem Dei, quæ non peperit „suscepto semine„. Et „ ideo „ patet quod „ non obligatur ad impletionem illius præcepti, sed voluntariæ purgationis observantiam adimplevit„.*

Refutatur 2. *pars* ex corpore citati articuli. *Christus, „ licet non esset legi obnoxius „, voluit tamen Circumcisionem, & alia legis onera subire* (adeoque & in Purificatione Matris offerri Sacerdoti) *ad demonstrandum Humilitatis, & Obedientiæ exemplum.*

PROPOS. DAMN.

2. *Laus, quæ defertur Mariæ, ut Maria, vana est.* Est 26.

D. THOMAS 3. p. q. 25. art. 5. ad 3. *Beata Virgo secundum „ seipsam „ est Venerationis capax*: unde ei tribuitur honos, non solum *relative*, ut imaginibus, neque, solum ut Deo, vel Christo intimius conjunctæ, sed ob intrinsecas ejus incomparabiles Qualitates, quæ omnem eloquentiam exhauriunt, honor ei exhibetur absolutus, licet quod eas habeat, hoc illi debeat, qui *fecit ei magna* Lucæ 1. & tanta, *ut Gratiæ plenitudine esset propinquissima Auctori Gratiæ.* 3. part. q. 27. art. 5. ad 1. Non ergo Laus, quæ defertur Mariæ, ut *Maria*, vana est.

Object. Sed cur, ais, major hodie erga Deiparam est cultus; quam priscis illis Ecclesiæ temporibus, quibus Pie-

Pietas fidelium erat solida, gravis, pura, castigata: modo à S. *Bernardi* temporibus à multis in cultu Virginis exceditur; redeundum est itaque ad venerandam, solidamque *Antiquæ praxim* Ecclesiæ, in qua rarior de *Deipara* sermo erat.

Resp. At hæc objectio infundata est. Etenim vel ab incunabulis Ecclesiæ eluxit cultus erga charissimam D. N. J. C. Matrem. Antiquissimus Patrum, Apostolis coævus, & suppar S. *Dionysius Areopagita* ejus efficacissimum sæpe implorat auxilium. S. *Irenæus* secundi Sæculi decus præclarissimum Ecclesiæ Lugdunensis Antistes Sacratissimæ Virginis mirifice commendat obedientiam lib. 5. adversus Hæreses cap. 19. *Quemadmodum adstrictum est morte Genus humanum per virginem, ita solvitur per Virginem, æqua lance disposita virginali inobedientia per Virginalem Obedientiam.* Deinde Deiparæ tutelæ se committit. Omitto SS. *Basilium* magnum, *Ephram Syrum*, *Epiphanium*, Joannem *Chrysostomus*, aliosque eximios (inter Græcos) Deiparæ præcones.

Antiqui PP. Græci fuerunt cultores Dei paræ.

Item Latini. Prodeant in medium quatuor inter *Latinos* Augusta Doctorum capita, totamque in Laudes Virginis facundiam exerant.

Hieronymus. Divus *Hieronymus* tom. 4. epist. 10. ad Paulam & Eustochium hæc habet. *Beatam, & Gloriosam Virginem Mariam digne laudare nequeo. Quoniam quidquid humanis dici potest verbis, minus est a laude ejus, quia divinis est, & Angelicis excellentius predicata, & laudata Præconiis. A Prophetis prænuntiata est, à Patriarchis figuris, & ænigmatibus præsignata, ab Evangelistis exhibita, & monstrata, ab Angelo venerabiliter, atque officiosissime salutata. Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset Gratia plena: quæ dedit cælis Gloriam, terris Dominum, fidem gentibus, finem vitiis, vitæ ordinem, moribus disciplinam. Cæteris per partes præstatur, Mariæ vero simul se tota infundit Gratiæ plenitudo.*

Gregorius. Nec minus Virginem celebrat *Gregorius Magnus* lib. 1. in 1. Regum cap. 1. *Potest Montis nomine*, inquit, *Beatissima semper Virgo Maria Dei Genetrix designari. Hac Mons quippe fuit, quæ omnem electæ Creaturæ altitudinem Electionis suæ dignitate transcendit. An non Mons sublimis Maria, quæ ut ad Conceptionem*

æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem super Angelorum Choros usque ad Solium Deitatis evexit?

Ambros. *Quid nobilius Dei Matre?* exclamat *S. Ambrosius* lib. 2. de Virginibus. *Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea, quæ corpus sine corporis contagione generavit?*

Augustinus. Maxima sunt hæc encomia, sed altius sese erigit Doctorum Aquila *Augustinus*, validissimum ejus quod mortalibus impendit, suffragium, opem, patrocinium singulariter extollens, omnesque ad illius cultum accendens. Sic autem loquitur Serm. 2. de Assumpt. *Non dubium est Mariam, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse, plus omnibus „ libertatis „ impendere suffragium „.* Paucis deinde interjectis, *tu es*, ait, *Spes Maria unica peccatorum, & in te, Beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum.* An *Bernardus* in *Mariam* effusissimus acrius invocationem commendavit, & ursit Deiparæ? Itaque etiam solida, & gravis *Antiquitas* fuit addicta venerationi Virginis Matris.

Object. Sed demus priscos Patres non adeo fuisse *Marianos*, & hanc devotionem tantum eluxisse Divi Bernardi temporibus: an ideo redeundum est ad *veterem suppositam* Ecclesiæ praxim?

Resp. Minime vero: tunc enim locum sibi vendicat ineluctabile argumentum ex *D. Thoma* deprumptum 2. 2. qu. 10. art. 12. in corp. non semel allegato: „ *Maximam habet authoritatem Ecclesiæ consuetudo, quæ semper est in omnibus æmulanda* „. Non fuerit illa consuetudo *Antiqua*, est *Moderna* consuetudo Ecclesiæ. Non fuerit in hoc genere Devotionis *August.* fuit in eo *Bernardus*, *Th. Aquinas*, *Bonaventura*, aliique Sancti subsequentes, hanc Matre approbante Ecclesia Pietatem. *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda*. Illa non minus *hodie*, quam *heri est Columna, & Firmamentum Veritatis.*

Quod si à quibusdam in laudibus modo, & cultu *Virginis* exceditur, hos tamen excessus non approbat Ecclesia. Interim *excusare*, inquit eximius *Steyaertius*, *& extenuare malim hos simplicium excessus cum SS. Paulino, Hieronymo, aliisque, quàm eosdem nimis critice arguere.*

De

De collatione Baptismi.

PROPOS. DAMN.

1. *Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus*: in nomine Patris &c. *prætermissis illis* ego te Baptizo. Est 27.

D. THOMAS 3. p. q. 66. art. 5. in corpore. *Oportet quod in forma Baptismi exprimatur causa Baptismi: est autem ejus duplex causa. Una quidem principalis, à qua virtutem habet, quæ est Sancta Trinitas: alia autem instrumentalis scilicet Minister, qui tradit exterius Sacramentum. Et ideo oportet in forma Baptismi de utraque fieri mentionem. Minister autem tangitur, cum dicitur, „ ego te Baptizo „. Causa autem principalis, cum dicitur, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Unde hæc est forma Baptismi, ego te Baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Forma Baptismi apud Græcos. *Græci* quidem (hic ad 1.) *ad evitandum Antiquorum errorem, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant dicentes ego sum Pauli, & ego Cephæ: dicunt, Baptizetur servus Christi talis in nomine Patris &c. Quia* tamen ibi *exprimitur actus exercitus per Ministrum cum invocatione Trinitatis, &* etiam persona Baptizati per *Tò servus Christi talis*, ideo ab illis *verum perficitur Sacramentum*. Propositio damnata juxta quam Baptismus conferebatur sub hac tantum forma *in nomine Patris &c.* nec indicabat actum exercitum per Ministrum, nec personam Baptizati: quod neque in Latina, neque Græca unquam practicatum fuit, aut valuit Ecclesia.

PROPOS. DAMN.

2. *Valet Baptismus collatus à Ministro, qui omnem ritum externum, formamque Baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit*: non intendo, quod facit Ecclesia. Est 28.

D. THOMAS 3. p. q. 64. art. 8. in corpore. *Respondeo dicendum, quod quando aliquid se habet ad multa, oportet,*

tet, quod per aliquid determinetur ad unum. Ea vero quæ in Sacramentis aguntur, possunt diversimode agi; sicut ablutio aquæ, quæ fit in Baptismo, potest ordinari & ad munditiam corporalem, & ad sanitatem corporalem, & ad ludum, & ad alia hujusmodi, & ideo oportet, quod determinetur ad unum, id est, ad Sacramentalem effectum per intentionem abluentis: internam scilicet, ita ut abluens interius intendat facere id, quod facit Ecclesia.

Object. Unde non sufficit intentio Christi, vel Ecclesiæ, ita ut satis sit serio ritum omnem externum à Christo præscriptum adhibere (ut quidam perperam volunt) sine

Resp. intentione *interna*: *requiritur* enim (inquit S. Doctor hic ad 1.) *ejus* (Ministri) *intentio, qua se subjiciat principali Agenti, ut scilicet intendat facere, quod facit Christus & Ecclesia*: hoc vero nequit fieri nisi per intentionem Ministri: non enim per intentionem *Ecclesiæ* subjicit se minister ipsi Ecclesiæ, sed per *suam*, itaque requiritur *interna* Ministri intentio.

Object. Objicies tamen hic *Angelicum* ad 2. *In verbis quæ profert Minister, exprimitur intentio Ecclesiæ quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti*: non ergò requiritur *interior* intentio Ministri.

Resp. Ad hunc difficilem D. Thomæ locum placet responsio eximii *Sylvii*, quæ in hoc sita est. Sufficit intentio Ecclesiæ ad perfectionem Sacramenti. Id est, ad hoc sufficit intentio Ecclesiæ, ut habeamus *moralem* certitudinem de perfectione Sacramenti, seu de Sacramento, quod sit nobis legitime, & valide ministratum. Juxta hanc expositionem, solutio S. Doctoris omnino respondet argumento, quod sibi opponebat, hoc autem tale erat. *Non potest homini esse nota intentio alterius. Si igitur intentio Ministri requiratur ad perfectionem Sacramenti, non posset homini ad Sacramentum accedenti esse notum, quod Sacramentum suscepisset; & ita non posset habere certitudinem Salutis, præcipue cum quædam Sacramenta sint de necessitate Salutis* ut in primis est Baptismus. Huic itaque argumento respondetur, per *intentionem Ecclesiæ* haberi moralem certitudinem de valore Sacramenti; adeoque tollendam esse anxietatem, quæ erat de intentionem Ministri, quæ nobis nota esse nequit. *Sufficit*, inquit Angeli-

gelicus ; *intentio Ecclesiæ ad perfectionem Sacramenti* ; per illam intentionem certo moraliter existimandum est, Sacramentum nobis rite esse collatum.

Aliter autem de perfectione Sacramenti simpliciter; & in reipsa differendum est. Si enim adsit sola intentio Ecclesiæ impressa in verbis Ministri, seclusa ejus intentione *intrinseca*, non confertur profecto Sacramentum. Perspicua sunt verba Divi Thomæ hic ad 1. præcitata: *Requiritur* Ministri „ *intentio* „ , *qua se subjiciat principali Agenti, ut scilicet* „ *intendat* „ ipsemet *facere, quod facit Christus, & Ecclesia*.

De timore Gehennæ, & Attritione.

PROPOS. DAMN.

1. *Timor gehennæ non est supernaturalis*. Est 14.

2. *Attritio, quæ ex gehenna, & pænarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*. Est 15.

D. THOMAS 3. p. q. 85. art. 5. ad 3. *Motus timoris procedit ex actu Dei convertentis cor, unde dicitur Deut. 5. Quis det eos talem habere mentem, ut „ timeant te „*? Actus autem Dei convertentis cor sine dubio supernaturalis est, itaque & supernaturalis est *timor gehennæ* ex eo actu procedens.

Hinc etiam sequitur, quod *attritio*, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sit *bonus motus*. Hoc tamen specialiter probatur ex 2. 2. q. 19. art. 4. in corpore. *Timor servilis secundum suam substantiam* „ *bonus est* „. Et suffragatur argumentum, sed contra. *Nullum malum est à Spiritu Sancto: quia super illud Rom. 8. Non accepistis spiritum servitutis, dicit Glossa. Unus Spiritus est qui facit duos timores scilicet servilem, & castum, ergo timor servilis* „ *non est malus* „. De his *infra* latius.

De praxi Pœnitentiæ.

PROPOS. DAMN.

1. *Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus*. Est 17.

2. *Ordinem præmittendi satisfactione absolutioni indu-*

induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante. Est 16.

3.*Consuetudo moderna quoad administrationem pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu*. Est 18.

D. THOMAS 2. 2. q. 10. art. 12. percelebri hic non semel allegato. „ *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda* „. Quare? quia „ *Ecclesia errare non potest* „, *utpote* „ *à Spiritu Sancto* „ *instructa* 3. p. q, 83. art. 5. fuit autem jam ab aliquot *Sæculis* Ecclesiæ *consuetudo*, quod opera pœnalia ordinarie absolutionem non præcesserint, itaque *per illam praxim* mox absolvendi (dummodo Pœnitens aliunde sufficienter contritus appareat, ita ut de ipsius dispositione prudens possit formari judicium) *ordo* Pœnitentiæ non est inversus.

Imo, ais, per præfatam praxim ordo Pœnitentiæ est inversus; quia ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ sed ipsa *Christi lex*, *aut præscriptio*, *natura rei id ipsum quodammodo dictante*.

Itane vero? si res sic se habeat, ergo tot modo Sæculis erravit Ecclesia, cum invertere non possit ordinem Pœnitentiæ, aut quodlibet aliud, quod est ab *ipsomet Christo* Ecclesiæ *Fundatore* præscriptum. Ergo errarunt toto eo tempore & omnes passim Theologi, & tot Timorati, ac Eruditi Confessarii, qui se modernæ Ecclesiæ praxi Absolutionem satisfactioni præmittentes conformarunt. Sed neque *hoc dictat natura rei*. Ut egregie ostendit Eximius *Steyaertius*. pag. 253.

„ Tridentini Patres, inquit, probare volentes eam „ partem Pœnitentiæ quæ Satisfactio dicitur, repe„ tunt illius fundamentum ex S. Scripturæ perspi„ cuis, ut ajunt, & illustribus exemplis, quæ pro„ bant culpam aliquando à Domino remitti, non „ condonata universa illius pœna. Clarum est respi„ ci ad exemplum Davidis, cujus Dominus transtulit „ peccatum reservata *pœna*, & ad aliquot similia, quæ „ etiam in margine notari solent sess. 14. c. 8. Ecce lo„ cis illis omnibus Deus per Prophetarum Ministe-

„ rium,

„ tium, aut aliter dimittit culpam, nondum impleta „ satisfactione. Et hoc ipsum etiam naturalissimum „ est, ut amicitia non differatur, etsi pœna aliqua sit „ adimplenda. Hoc quidem dictat natura rei, quem- „ admodum ibid. Trid. notat, tamque *divina Justitia*, „ quam *Clementia ratio exigit*, ut non absque satisfa- „ ctione peccata post baptismum commissa dimittan- „ tur: sed satisfactione, quæ saltem *remissionem culpæ* „ *consequatur*: velut in iis exemplis Scripturæ acci- „ dit, ad quæ se S. eadem Synodus refert.

Fuerit alia *Veteris Ecclesiæ* praxis prolixam absolutioni satisfactionem præmittentis. Hoc tamen non dictabat *natura rei*. Id ad *solam* spectabat *disciplinam*, adeoque illud mutationi fuit obnoxium, uti id genus alia. Unde *qui hodiernam Ecclesiæ disciplinam cum antiqua comparans, hodiernam improbaret jam multis Sæculis ab Ecclesia probatam, eamque antiqua commutare vellet*, is graviter erraret. *Quis hodie contendere ausit E. G. Baptismum esse conferendum triplici immersione, quod olim sic conferri solitus sit? aut fideles Laicos sub utraque specie communicare debere, quia pridem sic communicare etiam ex præcepto Ecclesiæ consueverunt? sane Ecclesia Moderna eadem est cum Antiqua: utriusque proinde praxis, & consuetudo parem obtinet Authoritatem, idest, longe maximam*. Ita eximius *du Jardin* in Præclaro suo Opusculo de officio Sacerdotis qua judicis, qua medici pag. 134.

Quare *consuetudo Ecclesiæ*, hoc repeto cum Angelico, *semper est in omnibus æmulanda*.

Hinc & consuetudo moderna quoad administrationem Pœnitentiæ, quam plurimorum hominum sustentat authoritas, & multi temporis diuturnitas confirmat, habetur ab Ecclesia *pro usu*, non *abusu*, *ut Tertia* volebat propositio, pro *usu*, inquam, cui se pii, & docti animarum directores tuto conformare possunt. Vide iterum infra *Quesnel*.

PROPOS. DAMN.

H*Omo debet agere tota vita Pœnitentiam pro peccato originali*, Est 19.

D. THOMAS in suppl. q. 1. art. 2. in corp. *Contritio* *est*

est dolor respiciens, & quodammodo comminuens voluntatis duritiem: & ideo solum de illis peccatis potest esse, quæ ex duritia nostra voluntatis in nos proveniunt, & quia peccatum originale nostra voluntate non est inductum, sed ex vitiata natura origine contractum, ideo de ipso non potest esse contritio, proindeque à fortiori non debet homo pro eo agere tota vita Pœnitentiam.

Deinde: cum *per Baptismum aliquis incorporetur passioni Christi, & passio Christi sit sufficiens satisfactio pro omnibus peccatis omnium hominum, ideo ille, qui Baptizatur, liberatur à reatu totius pœnæ sibi debitæ pro peccatis: ac si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis*. 3. p. q. 69. art. 2. in corp. si itaque pro peccatis personalibus vel gravissimis ante Baptismum commissis nullam Baptizatus debeat pœnam etiam ad horam, ob rationem prædictam passionis Christi sustinere, debebitne homo pro peccato originali non voluntate personæ, seu propria: sed *aliena* commisso, sibique in Baptismo virtute passionis Christi condonato, non ad horam, verum toto quoque vitæ tempore Pœnitentiam peragere?

De administratione Pœnitentiæ exercita à Religiosis.

PROPOS· DAMN.

1. *Confessiones apud Religiosos facta pleraque vel sacrilega sunt, vel invalida*. Est 20.

2. *Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua Pœnitentia, seu Satisfactione ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis*, Est 21.

* Seculo 13. D. THOMAS olim *Guilielmi de Sancto Amore* * Religiosorum impugnatoris profligator, has etiam binas Propositiones Religiosis impactas sui in Scriptis prædamnavit. Id ex illis demonstremus hoc formato discursu.

Si Confessiones apud Religiosos legitime approbatos factæ plereque sacrilegæ essent, aut invalidæ, vel hoc proveniret ex eo, quod Confessiones factæ sint Religiosis *qua talibus*, vel ex hoc, quod illorum praxis in excipiendis Confessionibus passim non valeat, vel ex eo, quod

quod illi sibi confitentibus nimis levem, & incongruam Pœnitentiam imponant ob quæstum, & subsidium lucri temporalis, ut *secunda* habet Propositio, sed nihil ex his dici potest, ergo Confessiones apud Religiosos factæ pleræque nec sacrilegæ sunt, nec invalidæ. Minor probatur pro prima parte ex 2. 2. q. 186. art. 1. ad 2. *Religiosi dicuntur qui sunt in statu perfectionis*: status autem perfectionis non consistit cum sacrilegiis, itaque Confessiones factæ Religiosis *qua talibus* non sunt sacrilegæ, ex parte scilicet Religiosorum Confessiones excipientium. Hinc etiam probata manet *secunda*, & *tertia* pars minoris. Non enim illorum passim praxis improbanda est, qui sunt in statu perfectionis; nec de talibus sine suspicio ne temeraria præsumendum est, quod lucrum temporale suæ, aliorumque saluti præferant. Quod siqui reperiantur Muneris sui prævaricatores, eorum culpa non est in *Religiosos indefinite* refundenda.

Huc accedit, quod si Confessiones illæ pleræque vel sacrilegæ, vel invalidæ forent, ipsamet Ecclesia esset arguenda, quæ & *Religiones instituit ad Confessiones audiendum* 2. 2. q. 18. art. 4. ad 2. & Religiosorum praxim in administratione Pœnitentiæ passim approbat. Sint nonnulli laxiores, aut à sana Majorum doctrina degeneres; hoc *integro* rursus *Corpori* non est adscribendum.

Sed ne loqui videar *pro domo mea*, legatur Religiosis patrocinans non Religiosus, sed Ecclesiasticus Sæcularis Reverendissimus *Steyaertius* pag. mihi 257.

„ Religiosi, præsertim Mendicantes tam notabile „ corpus constituunt in Ecclesia, ut post Ecclesiam „ ipsam non sit aliquod latius se extendens, magisque „ sibi cohærens. Quo fit, ut nullus error magis „ dedecorare posset Ecclesiam, quam qui Religiosis „ Ordinibus in fide vel Religione, adeoque „ Sacramentorum administratione accideret. Quid „ enim, si Copiæ Auxiliares missæ per universam il„ lam castrorum aciem ordinatam, à fide magni „ Imperatoris defecerint, animum inimicum induerint, „ impugnentque qua verbis, qua factis, eam „ quam propugnare eos oportuerat, Civitatem in „ monte positam? Talemne nobis imaginari licet Ec„ clesiam? Quid si vero illi ostendere possint, secum

„ sen-

„ sentire & practicare Pastores ordinarios per orbem „ universum, exceptis in parva terrarum parte pauculis, quin & ipsam Ecclesiam Rom. cæterarum „ Matrem & Magistram? Itaque valde ut minimum „ temerarium est, velle cum articulo hoc damnato, „ Confessiones apud Religiosos factas, ita invalidas „ esse aut sacrilegas. Cæterum ipsimet quoque facile „ admissuri sunt, inter tot suos Confessarios, plures esse, non minus quam inter Sæculares, qui Sacramentum hoc non satis digne, nec ex mente Ecclesiæ administrent. *Iliacos intra muros peccatur & extra*.

De S. Communione.

PROPOS. DAMN.

1. *SAcrilegi sunt, qui jus, ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis Pænitentiam egerint.* Est 22.

2. *Similiter arcendi sunt à S. Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.* Est 23.

D. THOMAS 2. 2. q. 10. art. 12. celeberrimo jam aliquoties citato. *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda*: Est autem Ecclesiæ *moderna* consuetudo (quidquid sit de *veteris* disciplina jam pridem abolita) quod Communio non differatur, donec quis condignam egerit de delictis suis pœnitentiam, seu satisfactionem: sic itaque sacrilegi non sunt, qui ante talem satisfactionem peractam, jus ad Communionem percipiendam prætendunt.

Secundam Propositionem mirum est potuisse a quopiam sustineri. Ergone à Sacra mensa arcendi sunt, quibus nondum inest amor Dei *purissimus*, & omnis *mixtionis expers*? Quis est, cui constet talem sibi inesse amorem? Quis est, qui non timeat, ne quid terreni in animam pulvisculi pro humana certe fragilitate irrepserit? Ideone ab epulo abstinendum est Eucharistico; Minime vero: imo per se loquendo laudabilius est ad Sanctam mensam accedere ex amore, quam abstinere ex timore; Amor enim & spes, ad quæ semper Scrip-

Scriptura nos provocat, merito præferuntur timori. Sed audiatur Angelicus diviniſſime hanc circa materiam diſcurrens 3. p. q 80. art. 10. ad 3. *Reverentia hujus Sacramenti habet timorem amori conjunctum: ex amore enim provocatur deſiderium ſumendi, ex timore autem* (ne quis ſatis digne ob terreni affectus, quem extirpare conatur, reliquiis, hoc Sacramentum ſumat) *conſurgit humilitas reverendi . . . . Faciat autem unuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum: Neque enim litigaverunt inter ſe Zacchæus, & Centurio, cum alter eorum gaudens ſuſcepit Dominum: alter dixit, non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum; ambo Salvatorem honorificantes, quamvis non uno modo: „ amor enim & ſpes, ad quæ ſemper Scriptura nos provocat, preferuntur timori,, unde & cum Petrus dixiſſet; exi à me Domine, quia homo peccator ſum; reſpondit Jeſus: „ Noli timere „.*

Quid quod per frequentem hujus Sacramenti ſumptionem a peccati mortiferi veneno præſervamur, ut egregie iterum aſſerit Aquinas q. 79. art. 6. in corpore. *Peccatum, inquit, eſt quædam ſpiritualis mors animæ. Unde hoc modo præſervatur aliquis à peccato futuro, quo præſervatur corpus à morte futura. Quod quidem fit dupliciter. Uno modo, in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiva: & ſic præſervatur à morte per cibum, & medicinam. Alio modo per hoc, quod munitur contra exteriores impugnationes, & ſic præſervatur per arma, quibus munitur corpus. Utroque autem modo hoc Sacramentum præſervat a peccato. Nam primo quidem per hoc, quod Chriſto conjungit* (etſi quædam eſſent terrenæ in anima labeculæ, *quæ non impediunt effectum hujus Sacramenti*. art. 8. in corp.) *per gratiam roborat ſpiritualem vitam hominis, tamquam ſpiritualis cibus, & ſpiritualis medicina ſecundum illud Pſalm.* 103. *Panis cor hominis confirmat: Alio modo, in quantum eſt quoddam ſignum paſſionis Chriſti, per quam victi ſunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Unde Chryſ. dicit ſuper Jo.* * *Ut leones flammam ſpirãtes, ſic ab illa mẽſa diſcedimus terribiles effecti diabolo.* * *Hom.* 45. *in Joan.*

Cæterum non poſſunt hic non ſuſpicere Eccleſiam Dei à Spiritu Sancto ſemper directam. Illa ſic unum proſcripſit extremum, ut non labatur in aliud. Con- *Reflexio circa hanc Propoſitionem.*

fixit

Reflexio circa hanc Proposi-tionem. fixit propositionem illam, quæ approbabat *frequentem Communionem gentiliter viventium*, adeoque vel peccatis mortalibus actu infectorum, vel illa non vitantium. Non tamen arcet (ut *hæc* volebat) a Sacra Communione illos, quibus nondum inest amor Dei *purissimus*, idest, eos, qui non sunt sibi conscii peccati mortalis, sed illud omni studio declinant, licet non sint puri omnino à venialibus. Vera Dei Ecclesia amplectitur Veritatem, quæ semper fuit, est, & erit in medio.

PROPOSITIONES 67. MICHAELIS DE MOLIMOS DAMNATÆ

AB INNOCENTIO XI.

Prologus.

Anno 1688 HOc anno in ipsa urbe Roma, intimis in illius visceribus suscitata est fœdissima animarum pestis, renovatis *Gnosticorum* spurcitiis, sed spiritualitatis, & sanctitatis fuco occultatis. Pontifex sub initium adduci non potuit, ut luem, cum non appareret, compesceret, at tandem larva fictæ sanctimoniæ detracta, illa detecta, & profligata fuit *Urbe*, & Orbe nefandissima dogmata execrantibus.

Vita Michaelis de Molinos. Illorum author fuit *Michael de Molinos* natione Hispanus ex Aragonia oriundus, professione Presbyter. Hæresim inchoavit à seductione plurium fœminarum adumbrata Pietate allectarum. Summa illius doctrinæ in hoc consistebat; quod homo deberet per potentiarum suarum annihilationem se unire Deo, atque ita manere in *quiete* (hinc istius commenti sequacibus inditum nomen *Quietistarum*) quodque illa in *quiete*, non esset habenda ratio tentationum, nec curandum, quod corpus ageret. Campus hinc latissimus carnis voluptatibus pandebatur, & infinitorum semina criminum etiam naturæ adversantium scaturiebant. Dum horrendas Gnosticorum instaurat libi-

dines,

dines, in hoc illos superabat, quod ex ipsis Sanctorum exemplis (ut videre est in propositionibus *) inaudito genere blasphemiæ patrocinium sibi accerseret. Carceri mancipatus fuit annum agens sexagesimum, fluxerant autem anni 22. quibus sua Romæ errores disseminabat. Illius affabilitas, comitas, naturalis eloquentia, externa morum compositio, larvata pietas ita sibi Urbem devinxerant, ut omnium oculos in se converteret, & à multis etiam instar Sancti coleretur. Tandem, Deo disponente, captus, & productus fuit habitu pœnitentiæ indutus in Theatrum in Ecclesia *Sanctæ Mariæ* super Minervam erectum. Præsentes aderant omnes S. R. E. Cardinales, plures Episcopi, & confertissima populi multitudo. Cum propositiones legerentur, populus effusissimis vocibus, enormia audiens crimina conclamabat: *Damnetur ad ignem; ad ignem*. Visum tamen fuit promeritas flammas in perpetuum commutare carcerem. Fassus est, inter alia, dum publice illic errores abjuraret, se 12. annorum spatio non fuisse confessum, cum tamen in dies Celebrare non desisteret. Repertæ sunt in illius scriniis 12. mille litteræ, ex quibus ejus Sectatores innotuerunt. Obiit ab aliquot annis in vinculis, ut fertur, Pœnitens.

* 49 & 50. *ubi infanda, qua laudat, adscribit Job, David, Jeremiæ, aliisque sanctis.*

Omnes propositiones reducuntur ad 4. principaliores.

Porro omnes propositiones propter earum obscœnitatem nec licet, nec libet discutere. Videntur tamen reduci ad quatuor principaliores, è quibus aliæ profluunt, vel in quibus illæ fundantur. *Prima* concernit fictitiam illam *quietem*. *Secunda* rejicit omnes mortificationes ad reprimendas tentationes etiam gravissimas. *Tertia* has inter mortificationes, seu remedia ad carnem edomandam ordinata respuit *Orationem*. *Quarta* asserit sufficere resistentiam tentationibus *negativam*: quamvis tota *Molinos* intentio, & scopus eo collimet, ut sub specie spiritualis vitæ consensus eis præbeatur *positivus*. Hunc in finem dicit non esse observanda Mandata Dei. Et in cumulum impietatis asseverat tales actiones non debere pandi in Confessione. Sane docet ea, quæ practicabat non confessus intra duodecim annorum intervallum. Sit...

N Pro.

Propositio prima.

A *Ctivitas naturalis est Gratiæ inimica; impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis*: Est. 4. inter 67.

Refellitur ficta quies. D. THOMAS 1. p. quæst. 105. art. 5. in corpore. *Intelligendum est sic Deum operari in rebus, quòd tamen ipsa res „ propriam habeant operationem „.* Non igitur Deus vult operari in nobis *sine nobis*, ita ut simus velut Corpus exanime, sed homo est causa efficiens, & principium activum, unde absit ab homine inactio ista, & falsa *quies*. *Vita nostra hic dicitur „ operatio „, cui Homo principaliter intendit*. 2.2. q. 180. art. 3.

Cæterum per *illam quietem* Molinos asserebat perveniri posse ad statum impeccabilitatis, non solum quoad peccata mortalia, sed etiam venialia; (ut habet Propositione 57.): qui quidem error ipsissimum est delirium Beguardorum, & Beguinarum; Refellitur autem error ab Angelico 3. p. q. 79. art. 4. ad 2. *Vitam istam Sancti non ducunt sine venialibus*. Si hic Sancti non vivant sine venialibus; an sine illis posse se vivere jactitet *Molinos*, sed profecto non solum ille peccata non vitat venialia? sed gravissima etiam intendit patrare mortalia. Atque ut facilius illa committantur, omnes vult eliminatas Mortificationes, quibus velut repagulo carnis concupiscentia coercetur. Hinc......

Propositio secunda.

C *Rux voluntaria Mortificationum pondus est infructuosum, & ideo dimittenda*; Est 38.

Mortificatio adhibenda est ad carnem edomandam. D. THOMAS 2.2. q. 189. art. 1. in corp. *Per Jejunium, Vigilias, & alia hujusmodi retrahitur homo à peccatis luxuriæ, & à quibuscumque aliis peccatis*. Non igitur mortificationes sunt pondus infructuosum. Sunt certe utiles, ut pote carnem in officio continentes, & rebellem refrænantes appetitum, qui vel Sanctissimos lacessit.

Videor mihi videre magnum illum Apostolum, illud Sanctitatis prodigium, Vas electionis, raptum in tertium Cœlum, Divinum illum Paulum nihilominus

minus carnis stimulis exagitatum, & apud se ingemiscentem. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*, ad Rom. 7.

Quid facit ille? castigat, affligit, macerat, reluctans sibi corpus substernit Spiritui: *Castigo*, inquit, *corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. 1. ad Corinth. 9. unde ad Rom. 8. *Si secundum carnem*, ait, *vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis „ mortificaveritis „ , vivetis*. *Apostoli* debuisset permere vestigia *Molinos*.

Porrò horret animus ad abominanda, quæ habet ille Propositione 47. Per illas fœditates, quas illic appellat violentias satanæ: *Anima fit magis illuminata* in vita interna, seu contemplativa. E contra ait Angelicus 2. 2. q. 180. art. 2. ad 3. *Castitas maxime reddit hominem aptum ad Contemplationem: delectationes autem venereæ maxime lumen rationis in quo consistit vita Contemplativa, „ obscurant „*.

Propositio tertia.

QUi *Divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat* &c. Est 14.

D. THOMAS 2. 2. q. 83. art. 5. in Argumento sed contra. *Dominus docuit discipulos determinate quædam petere*; conveniens ergo est, ut homo à Deo *rem aliquam petat*.

Sed quænam præcipuè petenda sunt? ea sane, *quæ continentur in petitionibus orationis Dominicæ*. ibidem: in illis autem, inter alia Deum precamur, ut ne nos inducat in tentationem; *per quod petimus*, ait S. Doctor, *ut à tentatione non vincamur*. Quàm efficax igitur præsidium adversus carnis insultus est Oratio, præsertim Dominica? hinc ruit funditùs propositio 34. quæ illam recitationem amovere molitur: *Item Oratio.*

Propositio quarta.

TRadito Deo libero arbitrio, & eidem rellicta cura, & cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi „ negativa „, nulla adhibita industria, & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura. Est 17.

Non sufficit resistentia negativa. D. THOMAS 1. 2. q. 74. art. 6. in corpore *Deficit ratio in directione passionum, quando „ non reprimit illicitum passionis motum „.* Non ergo sufficit resistentia *negativa*, sed requiritur *positiva*, per quam scilicet reprimamus illicitum passionis motum. Et art. 8. ad 1. *Actus inferiorum virium, & etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata mortalia, secundum quod, deficit ordinatio superioris rationis „.*

Cæcitas admirabilis. Molinos asserentis non esse observanda Dei præcepta. Anno 1690. Sed quid hisce immoramur? sane ultimæ propudiosæ propositionis particulæ non resistentiam *negativam*; sed *positivam*, & *formalem* in obscœna comprehendunt consensum, *Deo certe miro, sed semper justo judicio pluente mirabiles cæcitates* (verba sunt Augustini) *super illicitas cupiditates*. Cæterum has inter Cæcitates ea non minima, sed maxima, est, quod *Molinos* prætextu *quietis* istius, quam impie vocat *Unionem cum Deo*, asserat nec esse observanda mandata Dei contra illud 1. Joan. 5. *Hæc est charitas Dei, ut mandata ejus custodiamus*, nec esse exercendas virtutes, nec instituendam esse Confessionem, quibus abominationibus, quæ de se refutantur, illius propositiones refertæ sunt.

Hoc anno 24. Augusti damnatæ sunt ab *Alexandro* VIII. Propositiones 2. laxiores, & 7. Decembris 31. rigidiores, de quibus vide supra immediate ante *Molinisticas*. Istas hisce præposuimus non secuti ordinem temporis, quo damnatæ sunt, ut perniciosa Laxitas, & immoderatus Rigor tanquam duo opposita magis inter se elucescerent.

Anno 1699. Progrediamur modo ad annum 1699. quo proscriptæ sunt ab *Innocentio* XII. propositiones 23.

Author earum fuit vir cum Doctrina, tum vitæ Inte-

Integritate, præsertim vero prompta, ingenua, candida, & omnes eam explicandi terminos supergressa, qua Apostolicæ sententiæ acquievit, Humilitate celeberrimus. Statim conscendit, cathedram vir Illustrissimus ad populum imitatus *Carolus Borromæsis*, *Salesios*, aliosque Sanctos Antistites de more dicturus. Auditorio sub obedientia prohibet, ne quis librum suum Romæ condemnatum vel legat, vel penes se retineat. Nullus fuit, qui eximiam incomparabilis Pastoris sui submissionem non suspexerit; omnibus certatim subditis & lacrymis, & singultibus expressis. Unde felix quodammodo error appellari potest, qui tam singularem ad stuporem & ædificationem totius universi nactus est illius Retractatorem. *Admiranda submissio Authoris propositionum 12.*

CONSTITUTIO

SS. D. N. INNOCENTII XII.

ADVERSUS

Librum, *les maximes des Saints &c.*

ET

XXIII. Propositiones ex eo desumptas;
INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Causa brevitatis, omisso præambulo, propositiones tantum pandimus more solito per *D. Thomam* refellendas.

1. Datur habitualis status amoris Dei; qui est Charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pænarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque

propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ, sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.

3. Id quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere: ut sinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illos scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ Anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus ut simus perfecti & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus à nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium... Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia Sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime desinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia... sed hoc Sacrificium

cium

dum non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc Sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invinicibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est initimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse à Deo.

10. Tunc anima diversa à semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit Sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed numquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis & intimis spem perfectam, quæ est desiderium desintereſſatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi à Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit Superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori.... In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione; nam totum quod est voluntarium & intellectuale, est partis Superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui à se invicem facile distinguuntur.... Ita compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris intereſſati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua Oratio sit contemplativa; non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad Meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ Contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis: Primo in fervore nascente earum contemplationis: Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

 18. In

18. In statu ....passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor Zelotypus simul efficit, ne quis sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva; & desinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus à nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti Mystici excluserunt à statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de amore puro*) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare: Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die XII. Martii MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno octavo.

J. F. Card. Albanus *

* *Qui fuit postea Clemens* XI.

Propositiones 1. 2. 3. 4. 5. 6. & vigesima tertia.

D. THOMAS 1. 2. q. 65. art. 4. & 5. in corpore, *Fides, & Spes possunt* quidem *esse sine charitate: at charitas sine fide & spe* (in statu viæ) *nullo modo esse potest*. Dari igitur nequit habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse, in quo nec timor poenarum,

nerum ; nec desiderium remunerationum habeant amplius partem, in quo non ametur amplius Deus propter felicitatem in eo amando inveniendam. Talis enim charitas pura sine ulla admixtione proprii interesse, & per quam charitatem neque homo desideret remunerationem, neque Deum amet propter felicitatem suam, tollit rationem spei, quæ *directe „ proprium bonum respicit* „ 2. 2. q. 17. art. 4. adeoque *remunerationem, proprium interesse, & felicitatem suam*. Unde iterum Angelicus quæstionis art. 2. ad 2. *Spes*, inquit, *principaliter respicit beatitudinem aeternam* scilicet ut *sibi* obventuram.

Hinc & ruit Propositio *secunda*, & simul refellitur status *indifferentiæ*, de quo in aliis fit mentio. Oportet enim ut homo *positive* velit salutem ut *bonum proprium* (sicut vidimus ex D. Thoma) adeoque ut *propriam* salutem; ut liberationem *suam aeternam*, ut *suum interesse* omnium maximum.

Unde *purus amor ipse solus* (de quo Propositio 23.) non *constituit totam vitam interiorem*: cum etiam aliis virtutibus Theologicis dare locum oporteat, proindeque & *spei*, quæ aufertur, si *Beatitutinem* non respiciamus, ut *interesse proprium*. *Charitas* quidem *attingit Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat* 2.2. quæst. 23. artic. 6. Atque ita tendit in Deum sine ullo intuitu ad mercedem æternam; attamen talem intuitum charitas non excludit, sed illum per spem elicitum perficit, sicut perficit actus reliquarum virtutum, ut illarum omnium mater, radix, & forma, unde etiam *spes per charitatem formatur, & perfectionem virtutis acquirit*, 1. 2. quæst. 62. art. 4. *& adveniente charitate spes perfectior redditur, quia de amicis maxime speramus*. 2. 2. quæst. 17. art. 8. Et consequenter quo perfectior est charitas, eo perfectior spes evadit: adeoque excellens etiam amor compatitur spem, proindeque *solus amor* non constituit totam vitam interiorem.

Propositiones 7. 8. 9. 10. 11. & 12.

D. THOMAS loco citato. *Spes directe proprium bonum* (adeoque suum interesse) *respicit*. Unde *renuntiatio & abnegatio*, de qua Jesus Christus in Evangelio,

lio, non recte per Propositionem *septimam* ponitur in eâ, qua *postquam externa omnia reliquerimus*, renuntiemus quoque *spei nostri interesse proprii etiam aeterni*; qui enim isti renuntiaret, *spei* absolute renuntiaret, eamque amitteret.

Hinc nec est spes vera, si sit *desiderium desinteressatum promissionum* (de quo agit Propositio 11.) nec anima potest conficere sacrificium absolutum *sui interesse proprii quoad aeternitatem*, ut habet Propositio 8. & 10.

Et quia persuasio reprobationis spei contrariatur, non potest animae umquam invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, se juste reprobatam esse à Deo; quemadmodum habet assertio *nona*. Imo *si alicui talis revelatio* (de reprobatione) *fieret, deberet intelligi non secundum modum Prophetiae praedestinationis vel praescientiae, sed per modum Prophetiae comminationis, quae intelligitur supposita conditione meritorum*. De Verit. q. 23. art. 8. ad 2.

Proinde Director (propositio est 12.) non potest tali animae permittere, ut simpliciter acquiescat jacturae *sui proprii interesse, & justae condemnationis*.

Propositio 13. & 14.

D. THOMAS 1. 2. q. 74. art. 3. ad 2. *Ratio etiam deficit in directione passionum interiorum, quando non reprimit illicitum passionis motum*. Et *actus inferiorum virium, & etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata.....secundum quod deficit ordinatio superioris rationis*. Ibid. art. 8. ad 1. Unde in purificatione amoris etiam *in anima probata*, numquam exemplo Christi, ut male vult Author, ea fit separatio partis superioris animae ab inferiori, ut actus partis inferioris manent ex omnino caeca, & voluntaria perturbatione; in quibus pars superior partem non habeat, adeoque qui illic sine peccato esse videri possint. Ratio superior debet invigilare actibus virium inferiorum, illique imputantur harum defectus, si ejus ordinatio, directio, seu moderamen deficiat.

Unde ex tali systemate, ex communicatione illa utramque inter partem interrupta, videntur nonnulla dimanare periculosiora dogmata invito haud dubie Authore integerrimo,

Propositiones 15. 16. & 17.

D. THOMAS licet Doctor maxime contemplativus, *ita ut interdum dum oraret, imo sæpius, cubiti altitudine à terra sublatus cerneretur* * 2. 2. q. 181. art. 4. ad 3. *Ex corporis gravitate*, inquit, *retrahimur ab altitudine contemplationis*: *Unde subdit Gregor. Hom.* 15. *in Ezech. Quod ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ Celsitudinis animus in semetipso relabitur*. Quidabitur igitur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat *habitualis*, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa; Imo quia *pondere infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora, ideo contingit*, inquit Angelicus 2. 2. q. 83. art. 13. ad 2. *quod quando mens orantis ascendit in Deum per contemplationem, subito evagetur*.

* in ejus Officio.

Propositione 17. animabus ejusmodi contemplativis, in casu non uno adimitur *intuitus distinctus sensibilis*, & *reflexus Jesu Christi* tanquam forte non satis sublimis, eo quod sit sensibilis. Aliter *D. Thomas* discurrit 2. 2. quæst. 82. art. 3. ad 2. *Sicut mens humana indiget manuductione ad cognitionem Divinorum: ita ad dilectionem ducitur per aliqua sensibilia nobis nota: inter quæ præcipuum est Humanitas Christi..* *& ideo quæ pertinent ad Christi humanitatem, maxime devotionem excitant*; Quidni & contemplationis materiam, & objectum subministrant? Hac via contemplationis à tanto Doctore tradita tutius gradimur. Tradidit autem ille & modum meditandi 2. 2. q. 180. art. 3. in quo varios illius actus discursivos (de quo propositio 15.) animabus etiam perfectis competentes more suo admirabiliter explanat.

Propositiones 18. 19. 20. 21. & 22.

D. THOMAS quatuor hasce priores Propositiones, quibus removetur à dicto statu *contemplationis*, seu passivo studium omne virtutem ut *virtutes* sunt, ut *perfectio*, vel *liberatio nostra* sunt, adeoquæ quæ sunt ejusdem spiritus cum sex primis, & vigesima tertia, refellit iisdem verbis jam bis allegatis. *Spes directe proprium bonum respicit*, ergo homo vult virtutem *sibi*, perfectionem *suam*, felicitatem *suam*, liberationem *suam*, præsertim cum *quilibet teneatur vitare damnationem*,

tionem in 3. ad Annib. q. 35. art. 2. adeoque omni studio collimare ad liberationem *suam*.

Propositio 22. quæstio facti est tendens ad hoc, quod antiqui Pastores non proponerent passim multitudini Justorum, nisi exercita *amoris interessati* eorum gratiæ proportionata. Quasi hoc perversissimo sæculo majorem gratiam plures habeant, quibus doctrina de amore *puro* proponi queat.

Sæculum decimum-octavum.

C*Arolo secundo* Hispaniarum Rege, clementissimo nostro Principe 1. Novembris 1700. è vivis erepto, Sæculum hoc luctuosissimam faciem induit. Mars ubique extremas vires exeruit. Nulla Europæ portio dirum potuit declinare incendium. Sanguis undique tot per annos, ad cruentissima spectacula horrente, flente, ululante Europa, terra, marique uberrime effusus illud nequivit extinguere. Flamma credebatur perpetua, nutrimentum ei suppeditantibus animis in mutuam perniciem conjuratis. Tandem placuit miseranti Numini, *quod immutat cor Principum* Job. 12. corda bellantium Regum inflectere, & immane sistere incendium, pace *Rastadii* composita, & in *Badensi* con-
an. 1713. gressu confirmata.

Damnatæ sunt Propositiones 101. Patris Quesnel.

Dum hæc geruntur, proscriptæ sunt à Clemente XI. felicissimi Regiminis 8. Septembris 1713. Propositiones 101. excerptæ ex Libro Gallico idiomate impresso, & in plures tomos distributo, sub titulo *Le nouveau Testament*.

Author illius est *P. Quesnel* per varias, tum in Gallia, tum in Belgio commotas procellas famosus.

Liber cum primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat, plurium versabatur in manibus. Arridebant molliti sermones, diffusa unctio, emendatior lingua Gallica; sed sub splendido Pietatis apparatu prava occultabantur dogmata, jam olim in *Bajo* & *Jansenio* damnata. Atque *ideo* scilicet quod vulnus intus lateret, summa istius libri pernicies potissimum progrediebatur, & invalescebat: unde velut improba sanies, nonnisi secto ulcere foras potuit e-

rum-

rumpere. Itaque sectum est ulcus. Liber fuit diligentissime discussus. Ex eo prorupere non unus, aut alter, sed plurimi, & pridem proscripti, & novè etiam adinventi errores. Noxia zizaniorum semina è medio tritici, quo tegebantur, educta omnia oculis à Pontifice exposita sunt.

En modo Constitutionem Pontificiam una cum Propositionibus 101. per eam profligatis.

Porro visum est (quod non existimamus inutile) ad singulas designare loca, ex quibus illæ extractæ sunt.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Universis Christi fidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Constitutio Clementis XI. illas damnans.

UNigenitus Dei filius pro nostra; & totius Mundi salute filius hominis factus, dum Discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro, ac saluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad Nos in vestimentis Ovium; quorum nomine potissimum demonstrantur Magistri illi mendaces, & in deceptiones illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese Divinæ Legis sententiis, velut quibusdam Ovium velleribus obvolventes Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius novi Testamenti verbis, quæ multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacii Parentis exemplo, ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur

tur fraudolentia, ibi Divinorum verborum prætendatur authoritas.

His non verè Divinis monitis instructi; ubi primum, non sine intima cordis nostri amaritudine; accepimus, Librum quemdam Gallico idiomate olim impressum, & in plures Tomos distributum, sub titulo *Le Nouveau Testament en François, avec des reflexions morales sur chaque verset &c. A Paris 1699.* Aliter vero... *Abregé de la morale de l'Evangile, des Actes des Apotres, des Epitres de S. Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez &c. A Paris 1693. &* 1694. tametsi alias à Nobis damnatum; ac revera Catholicis veritatibus pravorum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem, à pluribus haberi, Christi fidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilia, & opera studiose nimis quaqua versum disseminari, etiam Latine redditum, ut perniciosæ institutionis contagium, si fieri posset; pertranseat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: versutiis hujusmodi seductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus: adeoque Pastoralis non minus curæ nostræ stimulis; quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis; maxime vero complurium Venerabilium Fratrum; præsertim Galliæ Episcoporum; litteris; ac precibus excitati; gliscenti morbo; qui etiam aliquando posset in deteriora quæque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providæ nostræ considerationis intuitum convertentes; perspicue novimus summam hujusmodi Libri perniciem ideo potissimum progredi; & invalescere; quod eadem intus lateat, & velut improba sanies; nonnisi secto ulcere foras erumpat; cum Liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis alliciat: molliti enim sunt sermones ejus super oleum: sed ipsi sunt jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro re-

ctos

ctos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius præstari à Nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem Libri doctrinam generatim solummodo à Nobis hactenus indicatam, pluribus singillatim ex eo excerptis Propositionibus, distinctius, & apertius explicaremus, atque universis Christi fidelibus noxia Zizaniorum semina è medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque, tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicentes Domino, fore ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati credere compellantur.

Id ipsum maxime è re Catholica futurum, & sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, atque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: Conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium, non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimmus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumns, sæpius Nobis est contestatus: repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis officiis atque ardentibus votis à nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocius Apostolici censura Judicii consuleremus.

Hinc adspirante Domino, ejusque cælesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto libro, juxta suprà recensitas respective editiones, fideliter extractas; & tum Gallico, cum Latino idiomate expressas propositiones à compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri

textu

textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet.

Luc. 16. 3. ed. 1693. 1699. 1. Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum; & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

Joan. 15. 5. ed. 1693. 2. Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

Act. 16. 10. ed. 1693. 1699. 3. In vanum: Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.

Marc. 9. 22. ed. 1693. 1699. 4. Ita Domine: Omnia Possibilia sunt ei; cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

Rom. 9. 28. ed. 1693. 5. Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

Rom. 11. 27. ed. 1693. 1699. 6. Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum, est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

Hebr. 8. 7. ed. 1693. 1699. 7. Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem; Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

Hebr. 8. 10. ed. 1693. 1699. 8. Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.

Cor. 12. 3. ed. 1693. 9. Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum numquam possumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

10. Gra-

10. Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei; quam nihil impedire potest aut retardare. *Matth.* 20. 34. *ed.* 1693. 1699.

11. Gratia non est aliud quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet. *Marc.* 2. 11. *ed.* 1693. 1699.

12. Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. *Marc.* 2. 11. *ed.* 1699. 1699.

13. Quando Deus vult animam salvam facere; & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit. *Luc.* 5. 13. *ed.* 1693.

14. Quantumcunque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum. *Marc.* 5. 6. 7. *ed.* 1693.

15. Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit *Luc.* 9. 60. *ed.* 1693.

16. Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti. 1699. *Act.* 8. 12. *ed.* 1693.

17. Gratiâ est vox illa Patris; quæ homines interius docet, hæc eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre. 1699. *Joan.* 6. 45. *ed.* 1693. 1699.

18. Semen verbi; quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. *Act.* 11. 21. *ed.* 1693. 1699.

19. Dei Gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. *Rom.* 14. 4. *ed.* 1693.

20. Vera Gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à *Marc.* 4.

39. *ed.* nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia sunt;
1693. loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa
1699. sunt.

2, *Cor.* 5. 21. Gratia Jesu Christi est Gratia fortis, potens;
21. *ed.* suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio vo-
1693. luntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio ope-
rationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium
suum.

Luc. 1. 22. Concordia omnipotentis operationis Dei in cor-
38. *ed.* de Hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu,
1693. demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti
1699. fonte, atque Archetypo omnium aliarum operatio-
num misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gra-
tuitæ atque ita dependentes à Deo sunt sicut ipsa o-
riginalis operatio.

Rom. 4. 23. Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis
17. *ed.* operationis suæ, eam significans per illam, qua Crea-
1693. turas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.
1699.

Luc. 7. 24. Justa idea, quam Centurio habet de Omnipo-
7. *ed.* tentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus
1693. solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ ha-
1699. beri debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis
animabus à cupiditate.

Luc. 18. 25. Deus illuminat animam, & eam sanat æque
42. *ed.* ac corpus, sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtem-
1693. peratur.
1799.

Luc. 8. 26. Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.
48. *ed.*
1693.
1699.

2. *Petr.* 27. Fides est prima gratia; & fons omnium alia-
1. 3. *ed.* rum.
1693.
1699.

Mar. 11. 28. Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori,
25. *ed.* est peccatorum remissio.
1693.
1696.

29. Ex-

29. Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. *Luc.* 10.
35. 36.
ed. 1693
1699.

30. Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, *Joan.* 6.
salvantur infallibiliter. 40. *ed.*
1693.
1699.

31. Desideria Christi semper habent suum effectum; *Joa.* 20.
pacem intimo cordium infert, quando eis illam 19. *ed.*
optat. 1693.
1699.

32. Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum *Gal.* 4.
pro semper suo sanguine Primogenitos, id est Ele- 4. 5. 6. 7.
ctos, de manu Angeli exterminatoris. *ed* 1693.
1699.

33. Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimet- *Gal.* 2.
ipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut 10. *ed.*
ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amo- 1693.
rem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: 1699.
Qui dilexit me, & tradidit seinetipsum pro me.

34 Gratia Adami non producebat nisi merita hu- 2. *Cor.* 5.
mana. 21. *ed*
1693.

35. Gratia Adami est sequela creationis, & erat 1. *Cor.* 5.
debita naturæ sanæ, integræ. 21. *ed.*
1693.
1699.

36. Differentia essentialis inter gratiam Adami, & *Rom.* 7.
status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod 4. *ed.*
primam unusquisque in propria persona recepisset: 1693.
ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi 1699.
resuscitati, cui nos uniti sumus.

37. Gratia Adami, sanctificando illum in semet- *Ephes.* 1.
ipso, erat illi proportionata: Gratia Christiana nos 6. *ed.*
sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens & di- 1693.
gna Filio Dei. 1699.

38. Peccator non est liber, nisi ad malum sine gra- *Luc.* 8.
tia Liberatoris. 29. *ed.*
1693.
1699.

Matth. 39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.
20. 3. 4. ed. 1693. 1699.

2. Thess. 3. 18. ed. 1693. 40. Sine gratia nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

Rom. 1. 19. ed. 1693. 1699. 41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi à Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.

Act. 11. 9. ed. 1693. 1699. 42. Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei: sine hoc nihil nisi impuritas; nihil nisi indignitas.

2. ed. 1699. 43. Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.

Joan. 5. 29. ed. 1693. 1699. 44. Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum; quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.

Luc. 15. 13. ed. 1693. 45. Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

Mat. 5. 1693. 1699. 46. Cupiditas, aut Charitas, usum sensuum bonum, vel malum faciunt.

Matth. 23. 26. ed. 1693. 47. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est, nisi hypocrisis, aut falsa justitia.

Eph. 5. 8. ed. 1693. 1699. 48. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate?

49. Ut

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. *Marc. 7. 22. 23. ed. 1693. 1699.*

50. Frustra clamamus ad Deum; Pater mi: si spiritus Charitatis non est ille, qui clamat. *Rom. 8. 15. ed. 1693. 1699.*

51. Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem. *Act. 13. 29. ed. 1693. 1699.*

52. Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine, Sed hæc fides non est absque amore, & fiducia. *Act. 11. 43. ed. 1693. 1699.*

53. Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum. *Colos. 3. 14. ed. 1693. 1699.*

54. Sola Charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit. *1. Cor. 13. ed. 1693. 1699.*

55. Deus non coronat, nisi Charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. *1. Cor. 9. 24. ed. 1693. 1699.*

56. Deus non remunerat nisi Charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat. *Matth. 25. 36. ed. 1693. 1699.*

57. Totum deest Peccatori quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *Matth. 27. 5. ed. 1693. 1699.*

58. Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas. *1. Jo. 1. 4. 8. ed. 1693. 1699.*

Joa. 10. 59. Oratio impiorum est novum peccatum, & quod
25. *ed.* Deus illis concedit, est novum in eos judicium.
1693.

Matth. 60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam;
27.5.*ed.* quò hæc est magis violenta, eo magis ducit ad despe-
1693. rationem.
1699.

*Luc.*20. 61. Timor non nisi manum cohibet; cor autem
19. *ed.* tamdiu peccato addicitur quamdiu ab amore justitiæ
1693. non ducitur.
1699.

Matth. 62. Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ,
21. 46. illud committit in corde suo, & jam est Reus co-
*ed.*1693 ram Deo.
1699.

Rom. 6. 63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si
14. *ed.* legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.
1693.
1799.

Gal. 5. 64. Sub maledicto legis numquam fit bonum; quia
18. *ed.* peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob
1693. timorem evitando.
1699.

*Mar.*12. 65. Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores
19. *ed.* legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint
1693. filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.
1699.

*Hebr.*12. 66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ip-
10. *ed.* sum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci
1693. per instinctum naturalem, aut per timorem sicuti Be-
Luc. 10. stiæ, sed per fidem, & per amorem sicuti filii.

21. *ed.* 67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi
1699. ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intra-
Act. 2. ctabilem.

21. *ed.* 68. Dei Bonitas abbreviavit viam salutis clauden-
1693. do totum in Fide, & precibus.
1699.
*Marc.*9.

22. *ed.* 69. Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei;
1693. totum est donum liberalitatis Dei.
1669.

70. Num-

70. Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem. *Joan.* 9. 5. *ed.* 1693. 1699.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem. *Marc.* 2. 28. *ed.* 1693. 1699.

72. Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium Sæculorum. *Heb.* 12. 22. 23. 24. *ed.* 1693. 1699.

73. Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi. 2. *Thes.* 1. 2. *ed.* 1993.

74 Ecclesia, sive integer Christus Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra. 1. *Tim.* 3. 6. *ed.* 1693. 1699.

75. Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia & persona: Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator. *Eph.* 12. 14. 15. 16. *ed.* 1693. 1699.

76. Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & justi omnium sæculorum illam componunt. *Eph.* 2. 22. *ed.* 1693. 1699.

77. Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite. 1. *Joan.* 22. *ed.* 1693.

78. Separatur quis à populo Electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. *Act.* 3. 23. *ed.* 1693. 1699.

79. Utile, & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cogno- 1. *Cor.* 14. 5. *ed.*

1693. fcere fpiritum, Pietatem, & Myfteria Sacræ Scriptu-
1699. ræ.

Act. 8. 80. Lectio Sacræ Scripturæ eft pro omnibus.
28. *ed.*
1693.
1699.

Act. 8. 81. Obfcuritas Sancti Verbi Dei non eft Laicis
31. *ed.* ratio difpenfandi fe ipfos ab ejus lectione.
1693.
1699.

Act. 15. 82. Dies Dominicus à Chriftianis debet fanctifi-
21. *ed.* cari lectionibus pietatis, & fuper omnia Sanctarum
1663. Scripturarum. Damnofum eft velle Chriftianum ab
1699. hac lectione retrahere.

Joan. 4. 83. Eft illufio fibi perfuadere], quod notitia My-
26. *ed.* fteriorum Religionis non debeat communicari fœ-
1693. minis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœmina-
1699. rum fimplicitate, fed ex fuperba Virorum fcientia or-
tus eft Scripturarum abufus, & natæ funt hærefes.

Mat. 5. 84. Abripere è Chriftianorum manibus novum
2. *ed.* Teftamentum, feu eis illud claufum tenere, auferen-
1693. do eis modum illud intelligendi, eft illis Chrifti os
1699. obturare.

Luc. 11. 85. Interdicere Chriftianis lectionem Sacræ Scrip-
33. *ed.* turæ, præfertim Evangelii, eft interdicere ufum lu-
1693. minis filiis lucis, & facere, ut patiantur fpeciem
quamdam excommunicationis.

1. *Cor.* 86. Eripere fimplici Populo hoc folatium, jungen-
14. 16. di vocem fuam voci totius Ecclefiæ, eft ufus contra-
ed. 1693. rius praxi Apoftolicæ, & intentioni Dei.
1699.

Act. 9. 87. Modus plenus fapientia, lumine, & Charita-
9. *ed.* te, eft dare animabus tempus portandi cum humilita-
1693. te, & fentiendi ftatum peccati, petendi fpiritum pœ-
1699. nitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus,
fatisfacere juftitiæ Dei, antequam reconcilientur.

Luc. 17. 88. Ignoramus quid fit peccatum, & vera pœni-
11. 12. tentia, quando volumus ftatim reftitui poffeffioni
ed. 693. bonorum illorum, quibus nos peccatum fpoliavit;
1699. & detrectamus feparationis iftius ferre confufionem.

Luc. 15. 89. Quartus decimus gradus converfionis peccatoris
eft,

eſt, quod, cum ſit jam reconciliatus, habet jus aſſi- 23. *ed.*
ſtendi Sacrificio Eccleſiæ. 1693.

90. Eccleſia authoritatem excommunicandi habet; *Mat.* 18.
ut eam exerceat per primos Paſtores de conſenſu, ſal- 17. *ed.*
tem præſumpto, totius corporis. 1693.
1699.

91. Excommunicationis injuſtæ metus numquam *Joan.* 9.
debet nos impedire ab implendo debito noſtro: num- 22. 23.
quam eximus ab Eccleſia, etiam quando hominum ne- *ed.*
quitia videmur ab ea expulſi, quando Deo, Jeſu Chri- 1693.
ſto, atque ipſi Eccleſiæ per Charitatem affixi ſumus. 1699.

92. Pati potius in pace excommunicationem, & *Rom.* 9.
anathema injuſtum, quam prodere veritatem, eſt imi- 3. *ed.*
tari Sanctum Paulum: tantum abeſt, ut ſit erigere ſe 1693.
contra Authoritatem, aut ſcindere unitatem. 1699.

93. Jeſus quandoque ſanat vulnera, quæ præceps *Joan.* 18.
Primorum Paſtorum feſtinatio infligit ſine ipſius man- 11. *ed.*
dato; Jeſus reſtituit, quod ipſi conſiderato zelo reſ- 1693.
cindunt. 1699.

94. Nihil pejorem de Eccleſia opinionem ingerit *Rom.*
ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri 14. 16.
ſupra fidem fidelium, & foveri diviſiones propter *ed.*
res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. 1693.
1699.

95. Veritates eo devenerunt, ut ſint lingua quaſi 1. *Cor.*
peregrina pleriſque Chriſtianis, & modus eas prædi- 14. 21.
candi eſt veluti idioma incognitum; adeo remotus eſt *ed.*
à ſimplicitate Apoſtolorum, & ſupra communem 1699.
captum fidelium; neque ſatis advertitur, quod hic
defectus ſit unum ex ſignis maxime ſenſibilibus ſene-
ctutis Eccleſiæ, & iræ Dei in Filios ſuos.

96. Deus permittit, ut omnes Poteſtates ſint con- *Act.* 17.
trariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attri- 8. *ed.*
bui non poſſit, niſi Divinæ gratiæ. 1693.
1699.

97. Nimis ſæpe contingit membra illa, quæ magis *Act.* 4.
ſancte, ac magis ſtricte unita Eccleſiæ ſunt, reſpici, 11. *ed.*
atque tractari tanquam indigna, ut ſint in Eccleſia, 1699.
vel tanquam ab ea ſeparata; ſed juſtus vivit ex fide,
& non ex opinione hominum.

98. Status perſecutionis & pœnarum; quas quis *Luc.* 22.

tolerat

37. *ed.* tolerat tamquam hæreticus, flagitiosus, & impius; 1693. ultima plerumque probatio est, & maxime merito- 1699. ria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

2.Cor.2. 26. *ed.* 1693. 1699. 99. Pervicacia; præventio; obstinatio in nolendo; aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

Joa. 26. 2. *ed.* 1693. 1699. 100. Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, Tempus hoc advenit.... Haberi & tractari à Religionis Ministris, tamquam impium & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum; est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.

Mat. 5. 37. *ed.* 1693. 1699. 101. Nihil spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, Divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes & singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas; neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hære-

hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & heresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis, etiam disputative, publice aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis Censuris, aliisque contra similia perpetrantes à jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione subjiceat.

Cæterum per expressam præfatarum Propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas; nec sane paucas sub imaginario quodam, veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes, quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minime necessarium, ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem: à vulgata vero editione, quæ tot sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eum-

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur; hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus longe accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut imposterum (quod absit) imprimendum, authoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scripto, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per Censuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus litteris adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo decimo tertio sexto Idus Septembri, Pontifi-

tificatus Nostri Anno Decimo tertio. I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus.

Locus ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinetus.

Anno à Nativitate D. N. *Jesu Christi Millesimo septingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris;* & D. N. D. Clementis *Divina providentia Papa* XI *Anno decimo tertio, supradictæ Litteræ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Lateranensis & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me* Petrum Romulatium *Apostolicum Cursorem.*

Antonius Placentinus Magister Cursorum.

Vix hæc Constitutio in Lucem prodierat; quin plures exclamarint prostratam esse à *Clemente* Gratiam ab intrinseco *efficacem*, seu *Victricem*.

Libelli ubique sparsi contenderunt in materia de gratia actum esse de Doctrina SS. Augustini & Thomæ, actum esse de Schola *Thomistica*; atque huc collimasse *les Censeurs remplis des Idees de Molinisme, & du Sfondratisme, & livres à une basse, & indigne Scolastique bien differente,, de celle de* S. THOMAS,,.

Scilicet Authores Libellorum ad extremas redacti angustias sub S. Thomæ pallio, tamquam sub alis sed frustra cupiunt latitare.

Sane non est damnata, non est tacta per hujus constitutionem Pontificis, nec per ulla Antecessorum decreta *Gratia per se efficax*, Notissimum est Theologis, quot certatim præconia supremi Ecclesiæ Moderatores (quos inter recensentur *Innocentius* X. & *Alexander VII.* Jansenismi profligatores) notissimum est, inquam, quot illi præconia tribuerint do- *Non est damnata per hanc novissimā Constitutionē*

ctr.næ

gratia per se efficax. ctrinæ SS. Augustini, & Thomæ acerrimorum gratiæ *per se* efficacis, victricis, triumphatricis propugnatorum. Non est actum de *Schola Thomistica*. Vidimus è contra superius post Propositionem 5. Jansenii pag. 77. Patrem *Annatum* Molinistarum sui temporis ducem, hunc uni ex operibus suis titulum præfixisse: *Jansenius à Thomistis gratiæ per se efficacis defensoribus damnatus:* quod in toto libro invicte demonstrat.

Nonne & *P. Stephanus Deschamps* Jansenistarum malleus lib. 2. de hæresi Janseniana disp. 6. c. 9. hæc pro Dominicanis scribit? *Glorientur licet Janseniani tot se nuperi dogmatis habere Patronos, quot physicæ prædeterminationis*, seu gratiæ de se efficacis, *defensores existunt; vere tamen mihi videor esse dicturus, nullos huic doctrinæ infensiores reperiri, quam qui post natam Calvini hæresim ex D. Dominici Ordine majoris eruditionis, & ingenii laude floruerunt.* Notet hæc *Libertus Gratianus*; qui nuper effutit; *quod doctrina de gratia efficaci sit merum Lutheri, & Calvini commentum.*

Non est igitur quod gratiæ *efficaci* timeamus, uti illam non *Innocentius*, non *Alexander*; ita nec *Clemens* feriit.

Hoc postremum liquet etiam ex eo, quod nuperrime Romæ contigit, ubi Theses quædam publicæ sustinentes *efficacem* Thomistarum *Gratiam* in *Quesnellianis* de Gratia tractantibus esse à *Clemente* damnatam, fuerunt prohibitæ, nostris interim & PP. Augustinianis de mandato Reverendissimorum Generalium in *Urbe* oppositum publicæ disputationi summo cum applausu exponentibus. Non ignorant etiam litterati, quam *eadem gratia efficax* in Congregationibus *de auxiliis* sub *Clemente VIII.* & *Paulo V.* celebratis consultorum eam inrent à S. Sede deputatorum judicio triumpharit: ut invicte demonstrant sincera acta ipsarum Congregationum nuper in lucem edita; ac deinde adversus quandam adversæ partis historiam asserta fortiter & vindicata.

Porro Propositiones *Quesnel* concernentes materiam de gratia, loquuntur (quod accurate advertendum) *indefinite*: Propositio autem *indefinita* æquivalet *universali*; proinde, dum dicit *Quesnel*, *Gratia Jesu Christi* .... *est suprema, invincibilis* ... *Gratiam nihil impedire*

pedire potest, aut retardare. Nulla voluntas humana ei resistit &c. hoc idem est, ac si diceret „ *omnis* „ *Gratia Jesu Christi est suprema, invincibilis* „ *omnem*, *gratiam nihil impedire potest, aut retardare* „. *Omni gratia nulla voluntas humana resistit*. Seu *nulla est gratia, cui voluntas humana resistit*, quod sane falsum est, ac justissime tum in *secunda Janseniana*, quæ est hæc; *Gratia interiori in statu naturæ lapsæ numquam resistitur*, tum in hisce Propositionibus confixum. Omnem Jansenius in suo *Augustino* operam, laborem, studium, ne vos, & vires in *solius* gratiæ efficacis assertionem intendit. Hinc crebro repetit: *Omnis Christi gratia est efficax; nunquam illa suo caret effectu: semper affert fructum suum*. Sed & ista relucent in Propositionibus *Quesnel*. Atque „ *hoc est* „ quod *in istis* præsens damnavit Pontificis Constitutio, scilicet, quod „ *omnis* „ *gratia Christi sit efficax, suprema, invincibilis*; quod *numquam illa suo careat effectu*, quod *semper afferat fructum suum*, quod *nulla voluntas humana ei resistat &c.* Proindeque nulla detur gratia *sufficiens*.

Desinant igitur adversarii *efficacem* Thomistarum *gratiam* condemnatione Pontificia involvere. Ecclesiæ perspectum est, Thomistas, præter *efficacem* admittere, & omnibus viribus propugnare gratiam Christi vere *sufficientem*, gratiam, quæ *suo careat effectu*, quæ *non semper afferat fructum suum*, gratiam, *cui voluntas humana resistat*.

Errorem non amplectitur Schola tot laboribus exantlatis pro Ecclesia; tot meritis, tot relatis de falsitate triumphis conspicua.

Progrediamur modo ad ipsas Propositiones.

Pro majori claritate, & ordine eas partiemur in varias materias; 1. Agemus de efficacia gratiæ. 2. De operibus factis sine gratia. 3. De gratia Adami. 4. De virtutibus Theologicis. 5. De morte Christi. 6. De Ecclesia. 7. De Lege veteri, & nova. 8. De Timore, & amore. 9. De afflictione Innocentis. 10. De dispensatione à Lege. 11. De administratione Pœnitentiæ. 12. De excommunicatione, & persecutione. 13. De lectione Scripturæ Sacræ, &c. 14. De Juramento. 15. De relatione operum in Deum.

Divi-

Dividemus Propositiones in numeros 101. totidem Propositionibus correspondentes.

De efficacia Gratiæ.

Efficacia gratia. 1. GRatia Christi est Gratia suprema; sine qua confiteri Christum numquam possumus, & cum qua numquam illum abnegamus. Est Propositio 9.

Itaque sine *gratia efficaci* (quæ hic vocatur *suprema*) *Christum confiteri numquam possumus*. Hoc falsum est: & instaurat Propositionem famosi *Arnaldi*; quod scilicet *Petrus* defectu gratiæ *efficacis* Christum confiteri *non potuerit*. *Potuit* enim *Christum confiteri* per gratiam *sufficientem*, quæ Petro non defuit. Porro assertio Quesnel eo collimat, quod sicut Petrus gratia privatus *efficaci* non potuit trinam negationem, ita nec alius quilibet *posset* eodem orbatus auxilio peccatum aliud quoddam mortale evitare. Sane illud evitare *possumus* per gratiam *sufficientem*; licet ut actu evitetur, requiratur gratia *efficax*. Vide supra 1. & 2. *Jansenianam*, atque illic varia loca *SS. Augustini & Thomæ* veritati patrocinantia.

Porro hic non admitti aliam veram Christi gratiam, quam *efficacem*, patet ex verbis illis: *cum qua numquam illum abnegamus*. Etenim cum gratia *efficaci* numquam Christum abnegamus.

2. *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Est 20.

Omnis Gratia (est enim propositio *indefinita* æquivalens *universali*, qnod serio, ac universaliter hac in materia est observandum) est operatio manus Omnipotentis Dei, *facientis potentiam in brachio suo* Lucæ 1. seu, *omnis* gratia est efficax; quam nihil impedire potest, aut retardare.

Gratia quidem efficax de *facto* non impeditur, aut retardatur, illi non resistitur; *hac* enim *ideo tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. S. Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 8. Illa tamen *potest* impediri, aut retardari, illi potest resisti. Contrarium damnatum fuit in Jansenio *Propositione* 4. Sic vero D. THOMAS quodlibeto 1. art. 1. ad 1. *Deus om-*

nia movet secundum modum eorum, & ideo Divina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura rationali cum libertate, propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita: & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum (id non fit nisi per gratiam)„ *quod possit huic motioni resistere* „.

3. *Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis quod jubet.* Est 11.

Idem, quod prius: *omnis* gratia est efficax: igitur nulla est, cui *resistitur*. Est *secunda Janseniana*.

Sic autem D. THOMAS. Lect. 1. in cap. 12. prioris ad Corinth. *Potest homo peccatum facere ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritui Sancto „ resistit „ secundum illud Act. 7. Vos autem Spiritui Sancto resistitis.*

4. *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratia sua manu; nulla voluntas humana ei resistit.* Est 13.

3. *Janseniana* talis erat. *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.* Si gratiæ interiori numquam resistatur; ergo gratia interior sive oblata, sive habita ab homine, numquam repellitur, numquam in vacuum recipitur, sed suum semper producit effectum: unde iterum nulla datur gratia *inefficax*, *sufficiens*, seu tantummodo dans *posse*.

5. *Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus ei se videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.* Est 14.

Itaque *necessarium* est, ut peccator obstinatus miserantis Dei gratiæ reluctantem subdat voluntatem. Non igitur rursus potest Divinæ gratiæ resistere.

Habet quidem Deus, inquit Augustinus Libro de corrept. & gratia, *humanorum cordium, quo placuerit, inclinandorum omnipotentissimam potestatem*: sed *Deus*, ait supra D. THOMAS fidelissimus ejus interpres, *sic movet mentem humanam ad bonum, quod possit huic motioni resistere*. Et q. 6. de malo ad 3. *Deus movet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis moventis, quæ deficere non potest, sed propter naturam voluntatis motæ, quæ indifferenter se habet ad multa, non inducitur necessitas, sed manet*

libertas, quæ sanè tollitur; si homo *necessario* Divinæ se gratiæ substernat.

6. *Quando Deus mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit*. Est 15.

Si Deus igitur interiori vi gratiæ suæ operetur *semper* obedientiam, quam petit; ergo gratia interior numquam suo privatur effectu, ergo numquam ei resistitur.

7. *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti*. Est 16.

Nulla iterum gratia, quæ non producat effectum. Qui igitur verum est illud Act. 7. *Vos autem Spiritui Sancto resistitis*? & istud: *exhortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*? certe hoc dici non posset, si non quandoque in vanum gratia Dei reciperetur. Unde recte D. THOMAS 1. p. q. 62. art. 3. ad 2. *Aliquis habens gratiam potest ea,, non uti, & peccare,,*.

8. *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet: hæc eos venire facit ad Jesum Christum, quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre*. Est 17.

En quicumque non venit ad Jesum Christum, nullatenus ille est doctus à Patre. *Nullam* is habet gratiam. Etenim præter *efficacem* (qua venitur ad Christum) nullam aliam Christi gratiam agnoscit *Quesnel*. Sed hoc jam aliquoties refutatum est. Ultra efficacem enim datur & gratia *sufficiens*; qui *hac* instructus est, is vere est doctus à Patre. Per *hanc* intellectus antea involutus tenebris, illuminatus est ad considerandum ea, quæ annuntiantur, vel proponuntur. Per hanc excitata est voluntas ad concipiendum aliquod emendandæ vitæ desiderium, piam affectionem, aliosque motus salutares. Per hanc homo disponitur ad gratiam ulteriorem recipiendam. Unde enixe, & ferventer rogare debet *Patrem misericordiarum* 2. Corinth. 1. ut Divinæ complementum doctrinæ, gratiam, inquam, efficacem, & victricem sibi largiri dignetur, qua actualiter ad Christum veniat, fortiterque, & suaviter trahatur.

9. *Semen*

9. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat semper affert fructum suum.* Est 18.

D. Augustinus enarratione in Psalm. 124. *Cor eorum;* inquit, ,, *fit durum adversus imbrem Divinæ gratiæ; ne fructum ferat* ,,. Semen igitur verbi, quod etiam manus Dei, seu gratia irrigat, *non semper affert fructum suum.* Quoties ei voluntas humana non resistit! quoties impedit, ne divina pluvia cor emolliat! Damnata propositio coincidit cum 2. *Janseniana.*

10. *Dei gratia nihil aliud est, quàm ejus omnipotens voluntas; hac est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.* Est 19.

Ergone *solam gratiam efficacem* (quæ per divinam omnipotentiam exprimitur) Deus nobis tradidit in omnibus suis Scripturis? Sane Deus, qui dixit Ezech. 36. *faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiatis; voluntati ejus quis resistit?* ad Rom. 9. Qui dixit: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere secundum suam voluntatem*, ad Philipp. 2. qui dixit Psalm. 58. *Misericordia ejus præveniet me* . . . . qui dixit Joan. 6. *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*, quæ omnia intelliguntur de gratia *efficaci*; Deus inquam, dixit etiam Act. 7. *Vos autem Spiritui Sancto resistitis. Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. ad Corinth, 6. Dixit etiam ad Thessal. 5. *Spiritum nolite extinguere*, & ad Hebr. 12. *Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei:* Ecce igitur gratiam quoque *sufficientem*, seu gratiam, cui resistitur &c. in Scripturis traditam.

11. *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt*, Est 20.

Itaque vera gratiæ (intellige *omnis* gratiæ, cum sit propositio indefinita) vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur. An profecto Deo obeditur, *dum Spiritui Sancto resistitur?* Actor. 7.

12. *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei Incarnantis, & resuscitantis filium suum.* Est 21.

Ut ergo operatio Dei Incarnantis, & Resuscitantis

tis filium suum omni sine dubio resistentia est superior; ita *omnis* gratia Jesu Christi utpote juxta Quesnel semper *fortis*, *potens*, *suprema*, *invincibilis*, quia est operatio voluntatis, & imitatio prædictæ operationis de Deo incarnante &c. cunctam superat; frangit, elidit resistentiam. Proinde *gratia interiori numquam resistitur*.

13. *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordia, & gratia, qua omnes ita gratuita, atque dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio*. Est 22.

Sane sicut natura humana Christi tantum passive se habuit ad actionem Dei illam cum verbo unientis, ita liberum arbitrium, juxta *Propositionem* se habet ad omnipotentem operationem Dei in corde hominis, seu ad gratiam. Egregia liberi arbitrii cum gratia concordia. Jam dudum Tridentina Synodus sess. 6. de justificatione, canone 4. pronuntiarat: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium mere passive se habere, anathema sit*: & D. THOMAS 1. part. qu. 105. art. 5. in corp. dixerat. *Sic intelligendum est Deum operari in rebus, quod tamen ipsa res „ propriam habeant operationem „*. Hoc confirmatur tum articulo 4. ad 3. ubi dicitur: *Per hoc, quod voluntas movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex se*: tum quæst. de veritate art. 1. ad 5. *Aliquid potest esse ita ab alio motum, quod tamen seipsum moveat, & ita est de mente humana mota à Deo per Gratiam*. Vide etiam numerum 15.

14. *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis sua gratia, eam significans per illam, qua Creaturas è nihilo producit & mortuis reddit vitam*. Est 23. De hac illico.

15. *Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu sua voluntatis, est imago idea, qua haberi debet de omnipotentia sua gratia in sanandis animabus à cupiditate*. Est 24.

Hæc assertio, uti & *precedens* (illis quoque annumerari potest Propositio numero 13.) istæ, inquam, Positiones eo tendunt, *quod gratia interiori numquam re-*

resistatur. Non resistit humana Christi natura Deo verbum sibi Hypostatice unienti: nec resistit creatura Deo, dum è nihilo eruitur; nec mortuus, dum vitæ redditur, nec resistebant corpora, quæ solo nutu voluntatis Christi sanabantur.

16. *Deus illuminat animam, & eam sanat æque; ac corpus sola sua voluntate, jubet, & ipsi obtemperatur*. Est 25.

Idem quod statim: confer potissimum hæc verba: *jubet, & ipsi obtemperatur*, cum hisce aliquoties citatis Act. 7. *Vos autem Spiritui Sancto resistitis*. Dum Deo resistitur, non ei obtemperatur.

17. *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest*. Est 2.

Hæc Propositio est affinis *nonæ* superius expensæ: *gratia Christi est gratia suprema, sine qua Christum confiteri numquam possumus, &c.* Illa renovabat assertionem *Arnaldi*, quod scilicet Petrus defectu gratiæ efficacis Christum confiteri *non potuerit*. Hæc vero longius progressa universaliter asserit: *absque illa efficaci gratia*, (ut præmiserat) *non solum nihil fit, sed nec fieri potest*. Quod certe falsum est; licet enim sine gratia *efficaci* non fiat opus bonum (meritorium) illud tamen fieri *potest sine illa* per gratiam „*sufficientem*„.

18. *In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das; quod præcipis*. Est propositio 3.

Igitur juxta illud Principium: *absque gratia efficaci nihil fieri potest*: non est nisi gratia efficax, quæ reddit mandata Dei possibilia: itaque mandata sunt illis impossibilia, qui non habent gratiam *efficacem*. Et sic in *vanum* Dominus præcipit, si non dat ipse *gratiam efficacem*, qua præcepta adimpleri possint. Quid aliud continet Janseniana Propositio; *aliqua Dei Præcepta hominibus justis, volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia?* contendit hæc, uti, & *Quesnel*, non dari gratiam, nisi *efficacem*, & absque illa hominem nec posse bonum operari, nec evitare peccatum. Itaque justus, dum peccat, gratiam Christi non habet, qua possit non peccare. Si autem gratiam, qua possit

 non

non peccare, non habeat, ergo non peccare est ei impossibile: ac proinde *aliqua Dei præcepta justo conanti, & volenti, secundum præsentes, quas habet vires, sunt impossibilia.* Ecce quanta videtur esse utramque inter Propositionem connexio. Sane & sunt possibilia præcepta justo gratia *sufficienti* instructo, nec in *vanum* Dominus præcipit ei, qui tantum *sufficiens* habet auxilium: cum eo quis absolute potest adimplere mandatum. Unde Deus non præcipit impossibilia. *Illud, quod præcipit Deus, „ non est impossibile Homini ad servandum „.* D. Thomas q. 24 de veritate art. 14. ad 1.

19. *Ita, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.* Est 4.

Scilicet, Domine, omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis per gratiam *efficacem*, & non aliter secundum Authoris principia.

20. *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.* Est 5.

Itaque sine interiori unctione gratiæ *efficacis* (non enim datur hic alia) exhortationes, & gratiæ exteriores nihil juvant. *Nisi Dominus*, (ita libelli sparsi) *ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Psalm. 126. Sane Dominus ædificat etiam domum per gratiam *sufficientem*; imo per *illam* ordinarie Spirituale animæ ædificium inchoatur. Illa intus movet, illa intellectum illustrat, ut consideret ea, quæ annuntiantur, vel proponuntur; illa voluntatem excitat ad vitæ emendandæ desiderium; illa pias ei cogitationes inserit, aliasque ad salutem dispositiones. *Dominus*, inquit Augustinus enarratione in Psalmum præfatum, *intus monet, ipse terret, ipse intellectum aperit*. Falsum igitur est, sine gratia *efficaci* non prodesse gratias exteriores, & quod pejus est, per illas cor magis obdurari. Si abesset omnino & *sufficiens*, tunc *in vanum laborarent ædificantes domum*, frustra sudarent præcones, & Ministri Verbi Dei. E contra quod quis ad illos accedat, ordinarie signum est, eum ad hoc interius moveri per gratiam istam *postremum*, quæ antelucana quædam homini inspirat salutis desideria.

Ut

Ut vero omnino pateat, quod *Quesnel* non admittat nisi gratiam *efficacem*, liquet ex his, quæ nonnulli pro eo scripserunt magnum in illius favorem citantes Augustinum. *Ceux qui objecteroient au P. Q. qu'il ne reconoit d'autre Grace, que celle qui a son effet, s'adressent à S. Augustin, puis qu'il definit la Grace de la meme maniere.* ibest: *Qui P. Q. objiciunt, quod solam gratiam efficacem agnoscat, S. Augustinum adeant, qui gratiam eodem modo definit.*

Itane? Eodem modo, quo *Quesnel*, Gratiam definit Augustinus? non admisit S. Doctor aliam, quam illam, quæ suum semper infert effectum, & quam *efficacem* ab intrinseco appellamus? hanc quidem plurimis in locis allegavit, explicuit, & pro aris, ac focis propugnavit Augustinus; sed & tueri non desiit aliam, quæ effectu suo privatur, seu cui voluntas humana resistit.

Loca Augustini pro Gratia efficaci.

De efficaci sic discurrit Lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 8. *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur, quia ideo datur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Et lib. de corrept. & gratia. *Deus habet cordium inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Item epist. 21. ad Vitalem. *Deus omnipotentissima facilitate convertit, ac volentes ex nolentibus facit.* Lib. etiam de Gratia Christi. *Legant*, inquit, *atque intelligant, intueantur, ac fateantur, interna, atque occulta, mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum bonas voluntates.* Adstipulantur his omnibus locus celeberrimus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 16 *Certum est nos velle, dum volumus: certum est nos facere, dum facimus: sed ille „ facit, ut faciamus prebendo vires efficacissimas voluntati „.* Denique Lib. de corrept. & Gratia cap. 12. *Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina Gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.* Atque *in hoc sensu gratia efficacis* dicit Augustinus ejusdem libri cap. 14. *Deo volenti salvum facere nullum humanum resistit arbitrium.*

Loca Augustini pro gratia

Videamus modo ab Augustino assertam gratiam, cui voluntas humana reluctatur. Enarratione in Psalmum 124. *Cor eorum* (peccatorum) *congelascit*, inquit, *adversus Deum*, „ *& fit durum adversus im*

sufficiēti seu ea, cui resisti- tur.

brem gratiæ suæ, ne fructum ferat „. In Psalm. etiam 63. eandem comparationem pluviæ cadentis in agrum spinosum, qua gratiam *inefficacem*, seu effectu carentem designet, eleganter adhibet. *Quod pluit in agrum uberem dulce est, & quod pluit in agrum spinosum, dulce est: Numquid pluviam accusas, quod spinas generet? Nonne erit pluvia illa testis in judicio, & dicet: Ego dulcis super omnia veni? Tu ergo quid proferas, vide: profers frumentum, spera horreum, profers spinas, ignem spera*. Deinde Lib. 1. de peccatorum meritis, loquens de concupiscentia in baptizato superstite, *habet*, ait, *cum qua pugnet: eamque adjuvante Deo superet*, „ *si non in vacuum, gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit*. Hinc Lib. 83. quæst. cap. 61. infert, eos qui Deo vocanti non obediunt, sibi debere tribuere, quod non veniant, quia scilicet Deo resistunt. *Ad illam cœnam in Evangelio præparatam nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, nec illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque neque illi debent tribuere sibi, qui venerunt, neque illi qui venire noluerunt, debent alteri tribuere, sed tantum sibi*, perversæ suæ voluntati, *ut enim venirent, in eorum erat potestate*. Confirmatur hoc ex lib. 50. Homiliarum, Homilia 12. ubi sic disserit Antistes Hipponensis. *Cum per Dei adjutorium in manu tua sit, utrum consentias diabolo; quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare deliberas?* In potestate tua est, consentire diabolo, in potestate tua Deo obsequi. Cur *Deo non obtemperas?* En gratiam, quę suos privatur effectu. His adde cap. 8. lib. 2. de Symbolo ad Catechumenos; ubi Augustinus inducit Christum ad tortores, & crucifixores suos sic loquentem. *Videte vulnera, quæ inflixistis, agnoscite id latus, quod pupugistis, quoniam per vos, & propter vos apertum est, nec tamen* „ *intrare voluistis* „. Voluntas erat gratiæ, quæ ex vulneribus ejus profluxit, resistens, repugnans. Accedit famosum adjutorium *quo*, & *sine quo*, seu possibilitatis. Infinitus sim, si omnia huc spectantia testimonia in medium proferam, quare aliis supersedeo.

Porro quod D. THOMAS admittat gratiam, cui resi-

resistitur; patet ex antedictis, præsertim ad Propositionem 11. quæ est numero 3.

Gratia illa vocatur passim *sufficiens*: sufficientis autem fit mentio pluribus in locis. Primo quidem lect. 1. ad Ephes. 3. ubi ait: *Auxilium duplex est, unum quidem facultas exequendi* (en gratia sufficiens; dat hæc enim facultatem, seu potentiam expeditam exequendi) *aliud ipsa operatio, sive actualitas*: en gratia efficax, hæc enim facit, ut homo statim in actum prorumpat. Deinde 1. 2. q. 113. art. 10. in corpore articuli. *Est communis, & consuetus cursus justificationis, ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta* per gratiam sufficientem, *ut postmodum ad perfectam deveniat* per gratiam efficacem. Et art. 7. in corpore. *Deus facit dispositionem sufficientem ad susceptionem gratiæ* efficacis, *quandoque quidem subito, quandoque autem paulatim, ac successive*; ita ut longa interdum sit illustrationum & excitationum (quæ sub gratia sufficienti continentur) series. Quandoque vero non sunt illæ illustrationes, aut excitationes. *Deo tam vehementer animam movente* per gratiam efficacem, *ut statim quandam perfectionem justitiæ assequatur, sicut fuit in conversione Pauli.* Præcitato articulo 10. circa hæc vero notandum est, auxilia sufficientia ita inter se ordinari connecti, ut nisi hic veluti cursus intercipiatur, qui primum auxilium recipit, habiturus sit sequentia, nisi ipse ea intercipiat, ac sistat, & sua culpa obicem ponat. *Aliquis dicitur extinguere Spiritum Sanctum*, seu gratiam privare effectu, *cum aliquis bonus motus in ipso surgit, & ,, ipse impedit ,,*. Lect. 2. in c. 1. Prioris ad Thessal.

Opera sine Gratia.

21. *QUid aliud remanet animæ, quæ Deum; atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia, ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?* Est 1.

D. THOMAS 1. 2. q. 10. art. 4. in corpore. *Peccatum mortale tollit gratiam gratum facientem, non autem totaliter*

taliter corrumpit bonum naturæ. Unde peccatores „ *bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ* „, seu opera moraliter bona „ *operari possunt* „. Non igitur in peccatore remanet generalis impotentia ad *omne opus bonum*, scilicet *morale*.

22. *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia Liberatoris*. Est 38.

Sic autem *Bajana* 27. *liberum arbitrium sine Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet*.

D. THOMAS quæst. 24. de veritate art. 4. *Bonum quod est supra naturam, constat liberum arbitrium non posse sine gratia, quia per hujusmodi bonum homo vitam æternam meretur, constat autem, quod sine gratia homo mereri non potest. Illud autem bonum, quod est naturæ proportionatum, potest homo per liberum arbitrium explere*. Peccator autem per peccatum non amisit liberum arbitrium. Unde ille potest sine gratia bonum naturæ humanæ proportionatum explere. Falsum igitur est, quod peccator non sit liber *nisi ad malum* sine gratia Liberatoris.

23. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum*. Est 39.

D. THOMAS loco citato ad Propositionem penultimam. *Peccatum non totaliter corrumpit bonum naturæ*. Cur igitur peccator est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum? Audiatur Augustinus, qui de Spirit. & Littera hæc scribit. *Sicut non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil proficiunt aliqua bona opera* (moraliter), „ *sine quibus difficillime vita cujuslibet hominis pessimi invenitur* „. *Neque enim malus* „ *omnino potest esse malus* „, ait Chrysost. Homilia 67. ad Populum Antiochenum, *sed evenit, ut &* „ *aliquid habeat boni* „.

24. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Est 40.

D. THOMAS 1. 2. quæst. 109. art. 5. in corp. *Homo sine gratia potest facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale, ... sicut habere ami-*

cum, *& alia hujusmodi*. Amare igitur potest, potest colere, revereri, sustentare parentes sine gratia; potest amare & Principem, & Patriam, potest innocentes, viduas, pupillos defendere. Absit hic peccatum, absit condemnatio.

25. *Omnis cognitio Dei etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi à Deo: & sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco effectuum Adorationis, Gratitudinis, & Amoris*. Est 41.

D. THOMAS 1. p. quæst. 2. ad 1. *Deum esse, & alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos*: Itaque cognitio Dei, *ut Authoris naturalis* non debet venire à Deo id est Dei gratia: aliud est de notitia Dei, ut *Authoris supernaturalis*, quæ ad fidem spectat; fides autem non est nisi à gratia Dei. Sed cur cognitio Dei naturalis non producit sine gratia nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum? quia scilicet, juxta præfixa principia, omne opus, cognitio, intelligentia *sine fide*, est *peccatum*. Sed hoc ex antedictis refutatum est, & ulterius refelletur.

26. *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium fidei; sine hoc nihil nisi impuritas; nihil nisi indignitas*. Est 42.

D. THOMAS 2. 2. quæst. 10. art. 4. in corp. *Cum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infideles quidem gratia carent: remanet tamen in „ eis aliquod bonum naturæ „. Unde manifestum est, quod Infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ*, seu opera *moraliter* bona *operari possunt*. *Unde non oportet, „ quod in omni suo opere peccent „*. Igitur *sine Sacrificio fidei*, non omnia sunt impuritas, indignitas, & ut infra dicetur, tenebræ, aberratio, & peccatum. Quid aliud dixit hæc *Bajana* 25. *omnia Infidelium opera sunt peccata*? Quid aliud *Alexandrina VIII. necesse est Infidelem in omni opere peccare*?

Sed audiatur & Augustinus libro de Spiritu, & littera cap. 27, & 28. *Etiam impiorum, nec Deum vera-*

citer,

citer, justeque colentium quadam tamen facta vel novimus, vel legimus, vel audivimus, quæ secundum Justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus. Ratio in promptu est. *Quia non usque adeo* (prosequitur magnus Aurelius) *in anima humana Imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici potest; etiam in ipsa impietate vitæ suæ „ facere illos aliqua legis, vel sapere „.*

Varia Infidelium opera laudantur in scripturis. Sacræ etiam litteræ multorum opera laudant, qui Deum verum non agnoverunt. Sic legimus laudari Cyrum, & Darium Reges, quod templum Jerosolymitanum instaurari curarint, captivitatemque Populi Judaici laxari mandaverint. 1. Esdræ 1. & 6. Laudatus est etiam Assuerus Rex, quia evecto Mardochæo, & Aman justa vindicta affecto, Judæos iniqua internecione liberavit Esther 6.7.& 8. Commendantur quoque Nabuchodonosor, quod cum perfido, perjuroque Sedecia *locutus sit judicium* 4. Regum 25. Actorum etiam ultimo, barbarorum Apostolo Paulo, sociisque *non modicam humanitatem præstantium* hospitalitas celebratur. Sed an & peccavit Pharao Gen. 12. an peccavit Abimelech 20. reddentes Saram Abrahæ, & ei salvum conductum præbentes, ac munera largientes? an peccarunt obstetrices, *quæ timuerunt Deum*, Exodi 1.? Itaque ruit illud, *Sine Sacrificio Fides* nihil nisi indignitas, tenebræ, aberratio, & peccatum,

27. *Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*. Est 44.

Sic vero *Bajana* 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Affinis est & isti *Alexandrina* 7. *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: Si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est*.

Refellitur vero Propositio, quod duos inter amores *Dei*, & *mundi* mediet amor *boni honesti*. *Non enim* pec-

peccatum totaliter corrumpit bonum naturæ, ut supra D. THOMAS 2. 2. quæst. 10. art. 4. Per amorem illum peccator expers amoris Dei potest elicere actus *moraliter* bonos, ut diligere, & honorare parentes, eleemosynam largiri indigentibus; aliaque præstare hujusmodi. Reliquæ particulæ. *Qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus*, infra in fine opusculi discutientur.

28. *Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Est 45.

Videtur hæc renovare *Bajanas* istas. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* 35. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.* 40.

Convellitur Propositio eadem ratione D. THOMÆ. Non ita profecto peccatum dominatur, ut nulla omnino actio ab ejus vinculi sit immunis.

Juxta assertionem istam non solum metus gehennæ in peccatore, sed & alii actus justificationem præcedentes, qui proinde non proveniunt ab amore illo prædominante, forent peccata, quod damnavit Concilium Tridentinum sess. 6. Canone 7. & 8. *Si quis dixerit Gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, peccatum esse, anathema sit. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, vere esse peccata, anathema sit.*

29. *Cupiditas, aut Charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.* Est 46.

Si sola charitas usum sensuum bonum faciat, peccabit igitur ille, qui oculos, ne in periculosum ferantur objectum, *ex timore inferni* refrenat: peccabit, qui expers gratiæ cibo, & potu modice utitur, ubi tamen talis *ordinate agit ad sustentationem sui corporis*. D. THOMAS 1. 2. q. 18. art. 9. ad 3.

Porro frustra hic allegantur hæ, similesve authoritates Augustini. *Sine amore Creatoris nullus quisquam bene utitur Creaturis.* *Object.*

Peccator quidem numquam *meritorie* utitur Creaturis, caret enim gratia, *quæ est principium cujuslibet operis,, meritorii,,*. D. THOMAS 1. 2. q. 114. art. 5. *potest* tamen *facere aliquod opus de genere bonorum mora-* *Resp.*

lium

lium 2.2. q. 10.art.4. ad 3. Proinde *bene moraliter* sine *amore Creatoris* potest ille uti Creaturis.

30. *Obedientia legis debet profluere ex fonte; & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius Principium interius, & Dei Gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi Hypocrisis, aut falsa Justitia.* Est 47.

Concordat hæc cum Bajana 16. *Non est vera legis obedientia, quæ non fit ex Charitate.* Sane legi V.G. de honorandis parentibus, de reddendo cuique quod suum est vere obeditur etiam ab eo, qui charitate, seu gratia caret.

Sed videatur D. THOMAS 1. 2. q. 75. art. 2. quærit ibidem S. Doctor: an virtutes morales possint esse sine charitate? quæstio est eadem, quæ hic movetur: quæsito sic respondet *Angelicus* in corpore. *Virtutes morales prout sunt operativa boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis .... possunt esse „ sine charitate „.* Ruit igitur illud. *Sine charitate*, seu gratia nihil est nisi Hypocrisis, nisi falsa justitia.

Aliud, quod ex hac Propositione erui videtur, est hoc; quod scilicet sit *Hypocrisis*, dum quis ex metu gehennæ, & nondum ex charitate detestatur peccatum, quod est proscriptum in Luthero per Tridentinum.

31. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebra; nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate?* Est 48.

Igitur omnia *infidelium & peccatorum* opera sunt peccata. Quod est *Bajanismus*. Nullane ergo in talibus residua est scintilla boni honesti? Vide supra n. 26. authoritatem *SS. Augustini & Thomæ.*

32. *Ut nullum est peccatum sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.* Est 49.

Verum quidem est, nullum est peccatum, (intellige mortale) sine amore nostri: peccans enim mortaliter constituit ultimum finem in creatura, quæ est ipse peccans: *Finis ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia quærit peccator.* D. TH. in 4. dist. 42. q. 2. art. 1. Non tamen sequitur: *ita nullum est opus bonum sine amore Dei.* Utrumque enim inter amorem mediat amor *boni honesti*, qui per peccatum mortale non extinguitur; per illum potest ille prorumpere in actus *moraliter* bonos;

Pot-

Porro incassum hac in materia citantur illa verba Orationis post Dominicam primam Trinitatis. *Deus sine quo nihil est validum, nihil Sanctum.* Object.

Sine Deo enim, sine amore ipsius nihil est Sanctum, nullum est opus bonum *meritorium*, secus vero opus bonum *morale*. Vide D. THOMAM n. 26. & 29. Resp.

33. *Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.* Est 59.

D. THOMAS 2. 2. q. 83. art. 16. ad 2. *Peccator non potest pie orare, quasi ejus oratio ex habitu virtutis informetur. Potest tamen ejus oratio esse pia quantum ad hoc, quod petit aliquid ad pietatem pertinens: sicut ille, qui non habet habitum justitiæ, potest aliquid justum velle: & quamvis ejus oratio non sit meritoria, potest tamen esse impetrativa. Unde Augustinus dicit supra Joannem* * *Si peccatores non exaudiret Deus, frustra Publicanus dixisset, Domine, Propitius esto mihi peccatori.* Si oratio peccatoris possit esse pia, si peccatores Deus exaudiat (scilicet ex *misericordia*) oratio igitur *Impiorum*, seu peccatorum non est novum peccatum, nec quod Deus illis concedit, est novum in eos judicinm.

* Tract. 44. in Joan.

De Gratia Adami.

34. *Gratia Adami est sequella creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.* Est 35. Gratia Adami.

Adam quidem *fuit creatus in gratia* (D. THOMAS 1. p. q. 95. art. 1.) Sed ex hoc ipso eruitur, quod gratia Adami non esset debita naturæ, licet sanæ, & integræ. Gratia enim non debetur, sed gratis confertur, *alioquin gratia jam non esset gratia* ad Rom. 11. Unde *gratiam etiam sanitatis* semper *est gratuitum Dei donum excedens proportionem naturæ creatæ.* 1. 2. q. 114. art. 2 in corp. Vide supra pag. 15. Proposition. *Baji* 23. & 19. sed potissimum 26. quæ est hæc. *Integritas primæ creationis non fuit,, indebita ,, naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

35. *Gratia Adami non producebat nisi merita humana.* Est 34.

Gratia itaque Adami non erat donum supernaturale sed *Naturale* humanis meritis producendis destinatum: Aliter D. THOMAS loco citato, *Gratia est*

Dei

Dei donum excedens proportionem natura creata. Et 1. 2. q. 109 art. 2. in corp *Vitute Gratuita superaddita virtuti natura indiget homo in statu natura integra....: ad operandum*, „ *bonum supernaturale* „. Non igitur Gratia Adami ad opera, seu merita naturalia, aut humana ordinabatur.

36. *Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status Innocentia, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona accepisset, ista vero non recipitur, nisi in Persona Jesu Christi resuscitati cui nos uniti sumus*. Est etiam propositio 36.

Gratia ergo Christiana si non recipiatur in *propria persona*, sed tantum in Persona Jesu Christi, gratia illa; quæ certe est Sanctificans, & habitualis, de illa enim agit Propositio, non est justitia *inharens*: quod, invito sane *Quesnel*, accedere videtur ad dogma Calvini quantum ad famosam justitiam *Imputativam*: qua peccata remittuntur imputatione justitiæ Christi sine ulla justitia inhærente, seu infusione gratiæ. Hoc dogma jam dudum proscripserat Tridentinum sess. 6. canone 11. *Si quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitia Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, qua in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis, inhareat „ Anathema sit*. Illud & preς debellat D. THOMAS 1. 2. qu. 113. art. 2. ad. 2. *hoc; quod est Deum non imputare homini peccatum, importat, quamdam effectum in ipso „*, gratiam scilicet ei inhærentem. *Non posset*, inquit in corp. *intelligi remissio culpa; si non adesset infusio gratia*. Itaque gratia Chistiana recipitur in ipsa *Persona*, quæ justificatur.

37. *Gratia Adami sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo est omnipotens, & digna Filio Dei*. Est etiam Propositio 37.

Verba illa, *gratia Adami sanctificando illum in semetipso.....gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo*, scilicet in *Persona* ipsius, non in persona nostra *propria*; continent errorem precedentem. Complectitur & propositio per *Tò Omnipotens*, ideam gratiæ *semper* efficacis, seu victricis suum *semper* inferentis effectum. Quod jam sæpius refutatum est.

De

De Virtutibus Theologicis.

38. NUlla dantur gratia, nisi per fidem. Est 26. Nulla itaque datur gratia infidelibus, qui sunt expertes fidei, nulla eis gratia datur, ut convertur ad fidem. Aliter D. THOMAS in cap. 2. ad Hebræos lect. 3. *Gratia nulli deest* (proinde nec infidelibus) *sed omnibus quantum in se est, se communicat*. Et D. Augustinus libro de dono perseverantiæ c. 20. *Utique prædicavi non solum aversas à recta fide, sed adversas etiam rectæ fidei Deum sua gratia ad eam convertere voluntates*. Vide *Alexandrinam* 5. *Pagani, & Judei nullum omnino accipiunt à Jesu Christo influxum*. *Virtutes Theologicæ.*

39. *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum*. Est 27.

Nulla est ergo gratia ante fidem, nulla est gratia, qua quis trahatur ad fidem. Idem quod statim.

40. *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia*. Est 29.

Si illa propositio vera foret, nunquam Infideles possent intrare in Ecclesiam; non enim intratur in Ecclesiam, non capessitur Fides nisi ex gratia, inquit D. THOMAS 2. quæst. 6. art. 1. *Cum homo assentiendo his, quæ sunt fidei, elevetur supra suam naturam, oportet, quod hoc insit ei ex Principio supernaturali interius movente, quod est Deus per gratiam:... unde dicitur ad Ephes. 2. Gratia estis salvati per fidem, & non ex nobis, ne quis glorietur: donum Dei est*: Si fides, si ingressus in Ecclesiam sit donum Dei, seu gratia, itaque *extra Ecclesiam* conceditur gratia.

41. *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*. Est 28.

Nulla igitur est gratia ante justificationem, nullus actus supernaturalis, qui illam & præcedat, & ad eam disponat, nulla gratia, quæ viam sternat ad Pœnitentiam.

Quam egregie hoc prædebellat D. THOMAS 3. p. q. 85. art. 5.! *Quantum ad actus* (quibus ad Pœnitentiam disponimur) *illorum actuum primum Principium est Dei operatio convertentis cor secundum illud Thren. ult. Converte nos Domine ad te, & convertemur*. *Se-*

cundus actus est motus fidei. Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus actus est motus spei quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Tandem, aliis actibus recensitis, sequitur pœnitentia, seu remissio peccati. „*Remissio peccatorum est finis in justificatione impii*„: *dicitur enim Isai. 27. iste est omnis fructus ut auferatur peccatum ejus* 1. 2. quæst. 113. art. 6. non ergo prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est *peccatorum remissio*, est potius *terminus* tot gratiarum, quæ se præcedunt.

His adde verba Tridentini docentis sess. 14. cap. 4. *Contritionem imperfectam, quæ ex Gehenna, & pœnarum metu communiter concipi ur, donum Dei esse, & Spiritus sancti impulsum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.* Non itaque *remissio peccati* est iterum *prima gratia*, quam Deus largitur peccatori.

42. *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus charitatis non est ille, qui clamat.* Est 50.

Frustra itaque clamat ad Deum peccator timore gehennæ perculsus, *Pater mi, te timeo tremendam Judicem, ignosce mihi*. Frustra, inquam, clamat, si nondum sit in eo charitas. Sane *timor procedit ex actu convertentis cor*, inquit D. THOMAS loco præcitato: *unde dicitur Deut. 5. Quis det eos talem habere mentem ut timeant te?* si magnum sit, si Dei donum sit talem habere mentem, ut timeamus Dominum, non *frustra* clamat peccator ille, *Pater mi, te timeo formidandum Judicem*, etiamsi nondum sit in eo *spiritus Charitatis, qui clamat*.

43. *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per charitatem.* Est 51.

Si fides non operetur, *nisi per charitatem*, igitur 1. fides nihil operatur ad conversionem peccatoris, in quo nondum est Charitas: ubi tamen dixit D. THOMAS eodem articulo, quod in justificatione *secundus actus* ad illam disponens *sit motus Fidei*. 2. Sequitur fidem non operari in Justis per alias Virtutes, quod est erroneum.

Object. Porro frustra hic in defensionem Propositionis alleganlegan-

legantur verba hæc Apostoli ad Galatas 5. *in Christo Jesu neque Circumcisio aliquid valet; neque Præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur;*

Non dicit Apostolus, fides; *quæ non nisi* seu *quæ per*, „ *solam* „ *charitatem operatur*: Sensus ergo Apostoli est, quod fides per charitatem tanquam *per suam formam* utpote Reginam virtutum Theologicarum operetur (2. 2. quæst. 23. art. 6. ad 2.) non vero quod non operetur *nisi* per charitatem ob rationes statim hic sub initium adductas. Resp.

44. *Omnia alia salutis media continentur in Fide tanquam in suo germine, & semine; sed hac Fides non est absque amore, & fiducia*. Est 52.

D. THOMAS 1. 2. qu. 65. art. 4. in corp. *Fides potest* „ *esse sine charitate* „: Unde *fides inclinat hominem ad credendum, etiamsi sit informis*, charitate destituta 2. 2. q. 5. art. 2 ad 2.

Hæc *damnata* appropinquare videtur *Alexandrinæ* 12. *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor deficit etiam fides*.

45. *Sola Charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit*. Est 54.

Nonne igitur Deo loqui possumus per fidem; aut spem? solane Charitas est virtus Theologica? solane Deum habet pro objecto; *inter virtutes Theologicas*, fateor, *illa est Potior, quæ magis Deum attingit*, (D.THOMAS 2. 2. q. 23. art. 6.) *fides autem, & spes attingunt Deum secundum quod ex ipso provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni. Sed Charitas attingit ipsum Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat. Et ideo charitas est excellentior fide, & spe, & per consequens omnibus aliis virtutibus*. At licet charitas sit excellentior, an ideo cæteras destruit virtutes? an illæ, quamvis hæc magis, seu propinquius Deum attingat, eum quoque non attingunt? an idcirco istæ sunt elingues? vide etiam supra Propositionem 50. n. 42.

46. *Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit*. Est 55.

Sane Deus coronat omnes virtutes supernaturales, nec in vanum currit, qui ex metu gehennæ in virtute proficit, vel ex eodem motivo inescantem studet

carnis voluptatem declinare, *Timor Dei*, inquit D. THOMAS 2. 2. q. 54. art. 2. ad 2. *operatur ad vitationem peccati*. An etiam in vanum currebat David, dum toties ingeminabat illud: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui?* An in vanum currit ille, qui per actus justificationem præcedentes se ad illam disponit?

47. *Deus non remunerat nisi Charitatem, quoniam charitas sola Deum honorat*. Est 56.

Si sola Charitas Deum honoret, itaque Deus non honoratur per fidem, spem, humilitatem, membrorum, seu carnis refrenationem, obedientiam erga Superiores, justitiam, aliasve virtutes. Deus tamen honoratur per quoslibet actus bonos. *Est* autem *virtus bonus habitus*, *& boni operativus*. D. THOMAS 1. 2. quæst. 55. art. 3. Proindeque Deus per recensitas, aliasque virtutes honoratur, & non per *solam* charitatem.

48. *Totum deest peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*. Est 57.

D. THOMAS 1. 2. qu. 65. art. 4. „*spes potest esse sine charitate*„. Non valet igitur, *Non est spes in Deo, ubi non est amor Dei*.

Object. At ais, Augustinus dicit in Enchiridio: *Spes sine amore esse non potest*.

Resp. Sed sensus communis Theologorum est, Augustinum illic loqui de spe *formata*, quæ non est sine amore: secus verò de spe *informi*. Sic & superius vidimus n. 44. fidem, scilicet *informem* posse esse sine charitate. Unde etiam *spes est in Deo* (nempe informis) *ubi non est amor Dei*.

Nec *totum deest peccatori, quando ei deest spes*, in eo namque potest esse fides superstes. Audiatur hic rursus S. Doctor in eodem articulo. *Super Matth. 1. dicitur in glossa* * *quod fides generat spem, spes vero charitatem, sed generans est prius generato, & potest esse sine eo. Ergo „ fides potest esse sine spe „, & spes sine Charitate*.

* Interlineari.

49. *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas*. Est 58.

Igitur cum Charitate amittitur & fides. Non sic D. THOMAS 2. qu. 5. art. 2. *Fides inclinat hominem ad credendum.... etiamsi sit informis*, seu privata charitate. Hæc Propositio accedit ad Alexandrinum 13. *Quando*

do in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides &c.

Quid ergo, inquis, ad hæc verba 1. Joan. 4. *Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus charitas est*, Object.

At cuilibet obvium est, qui non diligit Deum, non nosse Deum, idest, non habere amicitiam cum Deo; Resp. quis vero ante hasce positiones unquam asseruit, quod Joannes velit ab eo, qui non diligit, amitti *simpliciter Notitiam*, seu *fidem de Deo*?

Erroneum est etiam, quod *non sit Religio, ubi non est charitas*, nonne peccator potest Deo sacrificare; nonne illum adorare, laudare, orare, aliosve Religionis actus exercere? non poterit, juxta hanc Propositionem: *Oratio impiorum est novum peccatum*. Unde peccator sine novo peccato nec Deo sacrificare, nec illum adorare, vel alios Religionis actus elicere poterit. Sine charitate, juxta præsupposita principia, omnia sunt peccata. *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum.... sine charitate?* Vide superius numerum 48. uti & 47. & 44.

50. *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeò ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Est 43.

Si baptismus id efficiat, ut Spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi, profecto homo ita deberet esse constitutus, ut nullum omnino conflictum passionum sentiret, & sic proprie non darentur justi, nisi pueri baptizati, qui sunt expertes omnis passionis. Sed nonne, inter alios, Paulus fuit justus? Quam grave tamen passionum certamen ille sustinuit? homo mortuus, seu cadaver nihil omnino sentit: an nihil sentiebat Apostolus, dum toties in hæc verba prorupit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem in lege peccati*? Quoties stimulis carnis exagitatus, provocatus, circumdatus non exclamavit, *quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Solve me, Domine, hujus vitæ vinculis, ut non amplius experiar *stimulum carnis*, *Angelum satanæ*, *qui me* toties *colaphizat*, & vel orantem, ingemiscent

scentem, plorantem, prædicantem, itinerantem, laborantem impetit, irritat, conglomeratis viribus oppugnat, & nisi gratia Divina violentos impetus retunderet, expugnaret. Scilicet per baptismum non tollitur fomes peccati, sed ille remanet, *ut homo contra concupiscentiam pugnans victoria coronam accipiat. Unde super illud Rom.* 6. ut destruatur corpus peccati, *dicit Glossa* * *si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet. In cujus figuram dicitur Judic* 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & postea addiscerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi*. D. THOMAS 3. part. qu. 69. art. 3. in corpore.

* *Est Aug. l.* 1. *de Bapt. parvul. c.* 39.

51. *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide, & precibus*. Est 68.

Si via salutis claudatur, seu consistat *tota in fide & precibus*, igitur non requiruntur ad salutem bona opera, quod est dogma Calvini jam dudum à D. THOMA prædebellatum 3. part. q. 8. art. 3. ad 2. *Fides sine operibus mortua est, ut dicitur Jacobi* 2. Sed hanc consequentiam vel non prævidit *Quesnel*; vel illa certe, ipso invito, ex Propositione deducitur.

52. *Fides, usus, augmentum, & Præmium fidei; totum est donum puræ liberalitatis Dei*. Est 69.

Videtur hæc accedere ad Bajanam istam. *In redemptis per gratiam Christi nullum invenitur meritum, quod non sit gratis indigno collatum*.

Colligitur ex Propositione, quod præmium fidei, quod est vita æterna, si totum sit donum puræ liberalitatis Dei, non tribuatur nobis ex justitia, ex quo ulterius sequitur, hominem *per bona opera nihil posse mereri*, quæ refellit D. THOMAS 1. 2. q. 114. ar. 3. *Vita æterna redditur à Deo secundum judicium,, justitiæ ,, , secundum illud* 2. *ad Timoth.* 4 *In reliquo reposita est mihi,, corona justitiæ ,, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex*. Et ibidem. *Si loquamur de opere, secundum quod procedit ex gratia Spiritus Sancti, sic est meritorium vitæ ,, æterna ex condigno ,,*.

Obj. 3. At ais ex Augustino: *Deus dum nostra opera bona coronat, sua dona coronat*.

Id

Id verum est; sed dona Dei non tollunt nostra merita: è contra *tanta est Dei erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*. Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. Unde ejusdem sessionis Canone 32. additur, *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona justificati ipsius „ merita „ ; aut ipsum non vere „ mereri augmentum gratiæ „ , & ipsius vitæ æternæ consecutionem, anathema sit*. *Resp.*

De morte Christi pro omnibus.

53. *JEsus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine primogenitos, id est, electos, de manu Angeli exterminatoris*. Est 32. *Mors Christi pro omnibus.*

Accedit hæc ad Alexandrinam 4. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, & solis fidelibus*. Imo ubi illa ad omnes fideles (quos inter non omnes sunt electi) redemptionem extendit, *hæc* eam ad *solos Electos*, seu *Prædestinatos* videtur coarctare. Non sic D. THOMAS lect. 1. ad Corinth. *Sanguis Christi est propitiatio pro peccatis nostris ... & pretium sanguinis ejus est sufficiens ad salutem „ omnium „*. Et 3. p. quæst. 8. art. 3. *Dicitur* 1. *Joan.* 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam „ pro totius mundi „*. Deinde 1. *Timoth.* 4. *Christus est Salvator „ omnium hominum „*. Præiverat & Apostolus tum ad Hebr. 2. *Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum, ut „ pro omnibus gustaret mortem „* : tum 2. ad Corinth. 5. *„ pro omnibus mortuus est Christus „*. Nullus hic omnino excipitur, non „ *reprobus* „, non infidelis, non Scytha, non barbarus. Pro *omnibus* omnino, pro *æterna* omnium *salute* mortuus est Christus. Vide superius p. 70. 71. & 188.

54. *Proh! quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renuntiasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & Mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens*: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Est 33.

Ad solosne igitur Sanctos, & in bonorum terrenorum repudiatione Sanctum Paulum imitantes spectat

sibi appropriare, ut ita dicam, Jesum Christum, ejus amorem, mortem, & Mysteria? an illis tantum cum Apostolo exclamare licet, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*? Interim Ecclesia unumquemque, gravissimum etiam peccatorem obligat, ut hæc verba Symboli Constantinopolitani tam dulcia, tam pia, tantum solatii spirantia sibi applicet. „ *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis*. „ Non ait Ecclesia, Propter nos *Prædestinatos*, nos *Justos*, nos *à bonis terrenis, & à nobismetipsis avulsos*, sed „ *propter nos homines*„, ut & significet Christum ad singulos prorsus homines redimendos passum esse, & ut *quilibet hominum in individuo* Christum ut *suum* credat, agnoscat, adoret, veneretur, inclamet *Redemptorem*. Vide etiam D. THOMAM locis præcitatis.

55. *Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat*. Est 31.

Si desideria Christi suum semper habeant effectum, non igitur vere desideravit salutem æternam eorum qui pereunt (in hypothesi enim desiderii *semper efficacis* omnes salvarentur) sed tantum desideravit salutem eorum, qui salvantur. Christus tamen vere, & sincere „ *vult omnes homines Salvos fieri*„ 1. ad Timotheum 2. Qui pereunt, hoc isti suæ perversæ imputent voluntati. Id patet ex D. THOMA 3. dist. 1. art. 1. q. 1. ad 2. *Quod omnes homines non reparantur*, seu salvantur, *non est ex insufficientia medicinæ reparantis, sed ex defectu eorum, qui reparationis effectum* „ *in seipsis impediunt* „ per peccata sua, ut liquet ex verbis sequentibus D. Angelici scribentis in illud Matth. 26. *Qui pro multis effundetur* &c. *Si consideremus*, inquit, *effectum passionis, non habet effectum nisi in his, qui salvantur*„ *& hoc ex culpa hominum* „.

Porro quod desideria Christi suum non semper habeant effectum, id perspicuum est inter alia ex Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti!* Vides hic desiderium, seu voluntatem Christi: „ *volui* „: sed effectu suo frustratam per reluctantem peccatoris voluntatem „ *& noluisti* „.

56. *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*. Est 30.

Si

Si omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter, evidenter sequitur juxta praecedentis propositionis fundamenta, quod Deus non velit salutem eorum, qui pereunt, alioquin, cum voluntas Dei secundum *Quesnel*, semper suum habeat effectum, seu sit infallibilis; omnes omnino salvarentur: hoc igitur posito, quod Deus non velit salutem eorum, qui pereunt; Deus etiam non vult omnes homines salvos fieri; quod repugnat Apostolo numero praecedenti.

57. *Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem* Dei. Est 12.

Idem quod prius. Cum effectus indubitabilis sequatur voluntatem Dei, cùm illa semper sit infallibilis, semper suum adferat effectum, non vult Deus consequenter salutem cujusquam, qui perit.

At, inquit Author Propositionum, dicitur Joan. 4. *Oves .... non peribunt in aeternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea*. Itaque omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter, & quando Deus vult salvare animam, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. Id verum est de voluntate Dei *absoluta, & efficaci*, quae semper, & infallibiliter suum habet effectum. Et in tali sensu inquit D. THOMAS 1. p. qu. 19. art. 6. *Impossibile est, quod Divina voluntas suum effectum non consequatur*. Juxta talem vero voluntatem intelliguntur verba ista Joan. 3. *Oves non peribunt in aeternum, nec rapiet eas quisquam de manu mea*. Secus dicendum est de voluntate *antecedente*, ut loquuntur, & *inefficaci*, quae tamen vera & sincera voluntas in Deo est, & qua *vult omnes homines salvos fieri*. Propositiones autem istae nihil meminerunt de voluntate efficaci, seu absoluta.

Caeterum nihil ex hac damnata, vel praecedenti eruitur adversus Praedestinationem *gratuitam*, quae * *est praeparatio beneficiorum* Dei, *qua certissime liberantur, quicunque liberantur: & qua certissime, & infallibiliter consequitur suum effectum*. D. THOMAS 1. p. qu. 23. art. 6. in corp.

Object.

Resp.

Constitutio non tangit praedestinationem gratuitam

* *Est Augustini Ecclesiae*

De Ecclesia.

58. *Nota Ecclesiæ Christianæ, est, quod sit Catholica, comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum.* Est 72.

Ergo ne insignis illa nota Ecclesiæ, quod scilicet sit *Catholica*, coarctatur ad electos, & justos? Cur non comprehendit & injustos, seu peccatores? Ecclesia apud omnes Theologos semper constitit ex omnibus Fidelibus. *Ecclesia est congregatio Fidelium*. D. THOMAS 3. p. q. 8. art. 4. ad 2. Inter illos vero & sunt justi & injusti. Hanc in rem adducit Angelicus variis in locis parabolam istam Matthæi 13. *Simile est regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.*

59. *Quid est Ecclesia, nisi cœtus filiorum Dei, manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri sæculi?* Est 73.

Si Ecclesia illos tantum contineat, igitur in ea locum non tenent peccatores; Isti enim non *vivunt spiritu Dei*, nec *agunt per ejus gratiam*. Sane, præter celebrem similitudinem de *bonis* & *malis piscibus*, SS. Patres & Theologi, ut exprimerent Ecclesiam componi ex bonis, & malis, illam passim appellarunt *aream*, in qua sunt grana, & paleæ, *agrum*, in quo sunt frumenta, & zizania, *convivium*, in quo sunt *boni*, & *mali* discumbentes, *ovile*, in quo sunt oves, & hœdi.

60. *Ecclesia, sive integer Christus, incarnatum verbum habet, ut Caput, omnes vero Sanctos, ut membra.* Est 74. Itaque peccatores non sunt membra Christi, proindeque nec Ecclesiæ. Vide num. 62.

61. *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona, unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.* Est 74.

Si Ecclesia sit unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator; ergo rursus injusti non componunt Ecclesiam.

62. *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membra*

bro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite. Est 77.

D. THOMAS 3. p. qu. 8, art. 3. O. *Christus primo, & principaliter est caput eorum, qui sibi actu uniuntur per gloriam: secundo eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem. Tertio eorum, qui actu uniuntur sibi „ per Fidem, „* scilicet expertem charitatis. Igitur qui *non ducit vitam dignam Filio Dei*, seu qui non est in gratia, aut charitate, dummodo sit in eo Fides, non cessat tamen habere interius Christum *pro capite*.

At inquis, *D. Thomas* ad 2. dicit, *qui subduntur peccatis mortalibus, non sunt membra Christi actualiter*, adeoque Christus non est illorum caput. *Object.*

Non sunt illi; fateor, membra per actualem unionem charitatis, ut perspicuum est ex verbis allegatis in corpore; sunt tamen membra Christi per *Fidem*; ut liquet tum ex eodem loco, tum ad 2. *Percipiunt tales* (peccatores) *à Christo quemdam actum vitæ, qui est „ credere „*. *Resp.*

63. *Separatur quis à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio*. Est 78.

Separatur quidem aliquis à populo electo, cujus caput est Christus, *non vivendo secundum Evangelium*: in quantum non communicat cum populo isto per gratiam: datur enim communio Sanctorum, seu justorum in bonis operibus, quorum radix est *gratia*, non tamen est ab eo, nec à Christo totaliter avulsus; quatenus etiamnum fidem Evangelii retinet. Unde per illam Capiti, membrisque suis conjungitur, *Christus est caput eorum, qui sibi actu uniuntur „ per fidem „*. D. THOMAS loco citato.

Cæterum in hac bina Propositione observandum est, quod si peccatores desinant esse membra Jesu Christi, seu illum habere pro Capite, quod tunc inquam, peccatores non sint etiam membra Ecclesiæ. Id si ita sese habeat; quam vereor, ne dum peccatoribus Ecclesia occluditur, omnis denique eisdem obseretur authoritas. Etenim facile est, ut quibus membri deneges honorem, deneges & a capite influxum, & afferas neminem parti-

ticularis aut universalis Ecclesiæ caput esse posse, qui nullius Ecclesiæ pars est, vel membrum. Quo utroque posito, malorum, & vacillabit authoritas, & jurisdictio, ac tandem de totius ministerii, & Hierarchiæ dubitabitur exercitio. Consequentias istas inficiabitur *Quesnel*, & merito quidem. Non defuerunt tamen, qui admiserunt, & eas ex positis principiis legitime deduci professi sunt.

Negat etiam haud dubie propositionum Author sequelam *Calvinismi*, quæ ex hisce assertionibus eruitur: Calvinismus enim non conflat Ecclesiam nisi ex electis, sive *justis*, seu viventibus secundum Evangelium.

64. *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes electi, & justi omnium sæculorum illam componunt*. Est 76.

An *nihil spatiosius Ecclesia* Dei? certe hinc malos ab ea excludi, illinc bonorum numerum, non comparate ad malos solum, sed & in se absolute ita restringi video, ut ferme dubitem, an extra baptizatorum fasciolas quærendi sint. Præsentem Propositionem confert cum quadragesima tertia numer. 50. *Primus effectum gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi*. Ut quis justus sit, requirit hæc positio, ut ille baptizatorum statum omnis omnino pugnæ, aut tentationis instar cadaveris expertem imitetur. Enimvero quam pauci sunt, qui fictitiam illam, sine omni sensu, tentatione, conflictu, illecebra cadaveris spiritualem mortem experiuntur, aut experti sunt! Quanta igitur justorum, & Ecclesiæ membrorum paucitas! Non itaque dicendum; *nihil spatiosius*, sed potius nihil est arctius, aut minus spatiosum Ecclesia Dei. Quod sane tollit ejus universalitatem. Vid. D. THOM. & num. præcitato, & hic per totum.

De lege Veteri & Nova.

Lex Vetus, & Nova. 65. *Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua*

In sua impotentia; in isto vero Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando. Est 6.

D. THOMAS 1. 2. q. 98. art. 2. ad 4. *Quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandum homines, tamen aderat aliud auxilium à Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari poterant, scilicet fides Mediatoris, per quam justificati sunt antiqui Patres ... & sic Deus non deficiebat hominibus, quin „ daret eis salutis auxilia „.* Non igitur in fœdere Judaico fuit homo relictus in sua *impotentia*. Alioquin quis in eo salvari potuisset? Quis valuisset adimplere præcepta? Nullus poterat juxta Propositionem. Sed nonne Josue 11. *Ipse* dicitur *universa mandata complevisse, nec unum quidem verbum præteriisse, quod præceperat Dominus Moysi?* Nonne & 4. Regum 23. Jozias narratur *fecisse juxta omnem legem Moysi?* Parentes quoque Sancti Joannis Baptistæ Luc. 1. leguntur *incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Sed vide, quo tendat Propositio. Negari nequit varios fuisse justos in antiquo testamento. Illis tamen justis non solum *aliqua præcepta* (ut habet prima *Janseniana*) sed *omnia* omnino erant observatu impossibilia. Relinquebatur homo in sua *impotentia*. Conspici hic consequenter dogma *Jansenii* renovatum.

Sed anne in nova lege semper nobis dat Deus id, quod jubet nos sua *gratia* purificando? Largiendo semper *gratiam* efficacem? aliam enim, juxta superius tradita de *gratia* non agnoscit *Quesnel*: vide ibidem Propositiones illam materiam concernentes.

66. *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus solum reliquit ejus propria infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?* Est 7.

Nullane ergo utilitas veteris Legis? Magna certe fuit illius utilitas, & *per omnem modum* ad Rom. 3. Valebat inter alia, tum ut Judæi recognoscerent se esse peccatores, juxta illud ad Rom. 3. *Per legem cognitio peccati*; tum, ut dum Israelitæ agnoscerent se esse peccatores, intelligerent sibi opus esse Salvatore, eumque propterea & arden-

tes

ter desiderarent, *& recurrerent ad auxilium gratiæ ejus*. D. THOMAS hic ad 3. Illa autem gratia eam petentibus, & flagitantibus non deerat. Unde per gratiam, ac fidem Mediatoris, Christi legem implere, & salvari poterant. Falsum igitur est, quod Deus in veteri lege relinqueret hominem propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem, & nullum ei omnino robur ad ejus impletionem conferendo. *Sic Deus non deficiebat hominibus, quin daret eis salutis auxilia*, ut states Angelicus.

Secunda pars Propositionis (*Quæ felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?*) 2. Illa pars profligata manet ex præcedentibus. Sane multa sunt, quæ Deus petit à nobis, quæ tamen non donat, donaret autem, motus fortiores, vigorosiores, & efficaces producendo in nobis, si non prava, & perversa voluntate resisteremus gratiæ ipsius *sufficienti*, quæ reddit nobis illa, quæ Deus petit à nobis, simpliciter possibilia.

67. *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus novæ ipsius gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit*. Est 8.

Si non pertinemus ad novum fœdus, ad Ecclesiam Jesu Christi, nisi in quantum sumus participes gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit, hoc est, gratiæ *efficacis*, igitur ad illam non pertinent, qui *resistunt gratiæ*; qui illam concupiscentiis, & peccatis suffocant: ergo Ecclesia, seu novum fœdus non constat *ex peccatoribus*, sed *solis justis*, quod statim refutatum est in propositionibus de *Ecclesia*.

De Timore & Amore.

Timor & Amor. 68. *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quò hac est magis violenta, eò magis ducit ad desperationem*. Est 60.

D. THOMAS 3. part. quæst. 85. art. 5. *Isaia 26. dicitur: à timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis*. Si timor concipiat, & pariat spiritum salutis, seu pœnitentiæ salutaris, non igitur *solus* (absente sci-

scilicet amore) *supplicii timor* animans pœnitentiam ducit ad desperationem.

69. *Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.* Est 61.

D. THOMAS loco citato. *Actus* (in ordine ad pœnitentiam) *est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccatis retrahitur.* Et Augustinus in Psalm. 127. *Alius non in hac vita pati timet, sed gehennam timet, ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguitur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura sunt impiis, timent, & continent se à peccatis.* Unde *& consuetudo peccandi timore frænatur.* Serm. 15. de verbis Apostoli cap. 19. Ruit igitur illud. *Timor non nisi manum cohibet.*

Reliquæ particulæ, *Cor eorum &c.* similiter errorem includunt. Juxta illas, tamdiu quis peccato addicitur, id est, tamdiu peccat, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. Quasi metus gehennæ peccatum foret, & quidem tanto tempore continuatum, quanto quis ab amore justitiæ non ducitur. Aliter sane Angelicus eodem articulo. *Actus pœnitentiæ à timore servili procedit.* An vero actus pœnitentiæ peccatum est, & quidem continuatum, quousque non advenit amor justitiæ?

Cæterum ultra dolorem de peccato ob metum gehennæ, necessarium ad justificationem cum Sacramento pœnitentiæ consequendam probabilius arbitramur, *Amorem aliquem Dei benevolum.* Requiritur enim dolor de peccato, ut peccatum est, illud autem est offensa, seu malum Dei, adeoque exigitur dolor de peccato, ut est offensa Dei; proindeque amor Dei benevolus, cui per culpam malum gravissimum, atrocissimamque injuriam intulit; *ejusdem enim rationis est*, ait S. Doctor 2. 2. quæst. 34. art. 3. O., *quod velimus bonum alicujus, & quod odiamus malum ejus.* Formidolose vero attritus non tristatur de peccato, ut offensa, seu malum Dei est, sed ut malum sui est, quatenus scilicet propter illud æterna ipsi pœna infligenda est.

70 *Qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.* Est 26.

Hæc

Hæc assertio est affinis præcedenti; nec discrepat ab Alexandrina 15. *Attritio, quæ ex gehenna, & pœnarum metu concipitur, non est bonus motus.*

Sic vero D. THOMAS 2. 2. quæst. 19. art. 4. O. *Nullum est malum à Spiritu sancto, sed timor servilis est à Spiritu sancto: quia super illud Rom.* 8. Non accepistis spiritum servitutis &c. *dicit Glossa* *, *unus spiritus est, qui facit duos timores, scilicet, servilem, & castum, ergo timor servilis non est malus*, non est peccatum. Proinde qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, non committit illud in corde suo, nec est reus coram Deo.

* Ordinaria.

Suffragatur etiam Tridentinum sess. 14. cap. 4. *Metum gehennæ* asserens *donum Dei esse, ac Spiritus Sancti impulsum*, & sess. 6. canone 8. hæc proferens: *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem à peccando abstinemus, peccatum esse, anathema sit.*

An etiam peccabat David, an reus erat coram Deo dum toties exclamabat *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui*? An peccatum est sequi exhortationes Christi? *timete*, inquit Christus Matth. 10. timete *eum qui potest & corpus, & animam perdere in gehennam.*

Unde Christus quoque, cum peccatum sit hortari ad peccatum, deliquisset (quod absit) verba hæc fundens hortatoria.

71. *Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.* Est 63.

Propositio duo dicit: primum, quod *baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat*: Quasi vero nullus unquam Judæus legem adimplesset, quod repugnat Lucæ 1. Ubi leguntur Parentes S. Joannis Baptistæ *incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela*. Aliud est, quod baptizatus est sub lege, *si legem non adimpleat ex solo timore*. Hoc etiam falsum est, qui *Lex vetus*, inquit D. THOMAS 1. 2. quæst. 107. art. 1. *dicebatur lex timoris, in quantum inducebat ad observantiam præceptorum per comminationem quarumdam pœnarum temporalium, & temporalia quædam promissa*: in lege autem nova, qui legem adimplent ex solo timore, illi ducuntur metu vel pœnarum æternarum, vel

felici-

felicitatis, aut promissionis æternæ amittendæ. Quamquam & hoc universaliter non sit de omnibus Judæis intelligendum. Varii enim inter illos corporalia supergressi, ad æterna mentem erigebant.

72. *Sub maledicto legis numquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.* Est 64.

D. THOMAS 1. 2. q. 91. art. 5. *Ad legem pertinet inducere homines ad „ observantiam mandatorum, & hoc lex vetus faciebat timore pœnarum „.* Si lex vetus inducebat hominem *ad observantiam mandatorum timore pœnarum*; erroneum est quod numquam in illa fieret bonum, erroneum, quod fieret malum, illud nonnisi *ob timorem* evitando.

Miserrimi profecto, & inextricabili peccandi necessitate irretiti Judæi! ergo lex erat observatu impossibilis, quod repugnat Deut. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi, „ non supra te est „ .... juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.* Ergo peccabant quocumque se verterent, sive legem adimplerent, sive non, ergo & lex mala erat, cum sine peccato adimpleri non posset, quod refutat Apostolus ad Rom. 7. *Lex sancta est, & mandatum sanctum, & justum & bonum,* & iterum: *Consentio legi, quoniam bona est.*

73. *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt absque eo, quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.* Est 65.

D. THOMAS 1. 2. quæst. 107. art. 1. *Fuerunt aliqui in statu veteris testamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales, & æternas*; quos inter certe eminent Moyses, Prophetæ, & nonnulli Sacerdotes, & Doctores legis, habere autem charitatem, & gratiam Spiritus sancti, est dare Deo filium: *Sumus filii Dei* ad Rom. 8. Falsum est itaque, quod nullum illi dederint Deo filium. Erant quidem Israelitæ *mancipia* ob multitudinem præceptorum, quibus erant gravati, ob pœnas, quas lex in transgressores decernebat, aliaque onera; & in tantum lex vetus dicebatur lex timoris: erant tamen plu-

res inter eos *filii* ratione adoptionis divinæ, seu gratiæ: *Israelitæ, quorum est adoptio filiorum*, ad Rom. 9.

75. *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem sicut bestia, sed per fidem, & per amorem, sicut filii.* Est 66.

Inepta propositio! quodnam est donum Dei in brutis animantibus? Nonne timor in illis naturalis est? Nonne vero timor gehennæ supernaturalis? (contrarium est damnatum in *Alexandrina* 14. *Timor gehennæ non est supernaturalis*) Nonne timor gehennæ est donum Dei? *Timor servilis est donum Spiritus Sancti*. D. THOMAS 1. 2. quæst. 19. art. 6. Quid autem prohibet Deo appropinquare cum suis donis?

75. *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem*. Est 67.

Certe peccatum est, & quidem blasphemiæ, Deum sibi repræsentare, ut Dominum .... *injustum, intractabilem*. Timor itaque servilis peccatum est, quod supra refutavimus ad num. 73. si timor ille sit peccatum, non est optandum proinde, ut quis concutiatur timore Dei. Contra quod dicitur Deut. 5. *Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me?* Quod vero timor ille nullo pacto sit peccatum, declarat D.THOMAS 2. 2. q. 54. art. 2. *Timor Dei operatur ad vitationem cujuslibet peccati*; operari ad vitationem peccati, nullo modo peccatum est.

De afflictione Innocentis.

Afflictio innocentis.

76. *Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem*. Est 70.

Sic autem Bajana 72. *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde Job, & martyres, quæ passi sunt, propter sua peccata passi sunt.*

D.THOMAS 2. 2. q. 164. art. 1. ad. 4. *Pœnalitates, seu afflictiones diversimode in diversis inveniuntur .... vel propter remedium salutis ejus, qui hujusmodi Pœnalitatibus subditur, ut scilicet per hoc à peccatis arceatur aut*

etiam,

etiam,, de virtutibus non superbiat, & per patientiam coronetur,,. Non igitur (quamvis crebro pœnæ gravissimæ vel in hac vita ob commissa crimina peccatoribus infligantur) afflictiones semper serviunt ad puniendum peccatum &c. alia motiva, quæ hic etiam allegat Angelicus, divina habet Providentia. Unde Deus sæpe affligit *Innocentes*. Nonne innocens erat Deipara, de qua tamen dicitur: *tuam ipsius animam pertransibit Gladius*. Lucæ c. 2.? Nonne innocentes pueri, à *bimatu & infrà* ab Herode interempti? plerique enim per Circumcisionem, aliive Sacramenta à peccato originali mundati erant. Nonne *innocens, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis factus* Redemptor noster ad Hebræos 7.? *Christum* nihilominus *oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam*, Lucæ 24.

De dispensatione à Lege.

77. *Homo ob sui conservationem potest se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem*. Est 71. *Dispensatio à lege.*

Homo itaque ob sui conservationem potest se generaliter (nihil hic distinguit author) dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem: omnis autem lex ordinatur ad utilitatem hominis; proinde ab omni lege sive naturali sive divina ob sui conservationem sese ille dispensare potest: Sane lex de capessenda fide catholica vergit ad utilitatem animæ: sed ecce Tyrannus *Titio* minatur mortem si illam capessat: poterit igitur *Titius* ob sui conservationem, ob evitationem pœnarum se dispensare a lege de amplectenda fide nostra. Sed & alter Christianus est, & urgetur vero à Principe, ut Christi nomen ejuret, Jovique sacrificet, ni fatiat, mortem crudelissimam subditurus: nonne talis juxta assertionem illam, ut se tormentis subducat, se a lege divina de non colendis diis alieniis poterit eximere? Nonne & alius, ut declinet necem, quam vir potens ei intentat, nisi falsum proferat testimonium, illud

potest eructare, ut vitam tueatur? Cæteris exemplis obviis supersedeo.

Non sic D.THOMAS 1. 2. q. 100. art.8. in corpore ., *Præcepta Decalogi sunt omnino* ,, etiam in periculo mortis ,, *indispensabilia* ,,. Sed has sequelas certe non admittit Quesnel; & ipsam assertionem inadvertenter è calamo fluxisse crediderim.

De Pœnitentia.

Pœnitentia. 78. *Ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum; quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.* Est 88. Expende hanc una cum sequenti.

79. *Modus plenus sapientia, lumine, & charitate; est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.* Est 78.

Utraque propositio non obscure innuit *satisfactionem* ordinariè *absolutioni*, seu *reconciliationi* esse præmittendam: nec multum videtur esse remota ab Alexandrina 17. *Per illam praxim mox absolvendi, pœnitentiæ ordo est inversus*: uti nec à 16. & 18.

D. THOMAS 2. 2. quæst. 10. art. 12. jam toties citato. *Consuetudo Ecclesiæ semper est in omnibus æmulanda*. Fuit vero jam ab aliquot retro sæculis Ecclesiæ consuetudo, quod satisfactio, seu opera pœnalia ordinarie absolutionem non præcesserint, itaque nec modo illa debent absolutionem ordinarie, seu regulariter præcedere. Nec ignoramus, quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit. E contra dum post peccatum commissum, ad pœnitentiæ Sacramentum confugimus, dum peccatum præsertim non magnæ adhæsionis ex animo detestamur, dum ad opportuna adhibenda remedia, quæ Confessarius præscribet, nos promptos ostendimus, ita ut de dispositione nostra prudens possit Director formare judicium: tunc revera percipimus *quid sit peccatum*.

tum. Peccatum scilicet *nos suo pondere*; ut Patres loquuntur, *trahit ad aliud*: & *ideo* volumus restitui possessioni bonorum, possessioni Divinę gratiæ; qua nos peccatum spoliavit. Ardenter absolutionem flagitamus, ut gratia donemur Sacramentali, qua adversus quoslibet dæmonis insultus muniamur, roboremur, protegamur, conservemur.

Porro præsenti non inepte materiæ applicanda sunt illa, quæ eximius *Steyaertius* adducit pag. 273. Si sola consulatur antiquitas (seu prisca Ecclesiæ „ consuetudo) spreta Ecclesia hodierna, seu ejus „ praxi, omnia sursum, deorsum verti oportet in „ Theologia. Soli proinde hi ab erroribus semper „ manserunt, & manebunt immunes, qui Ecclesiæ „ sui temporis indivulse adhæserint, quæ tam *hodie*, „ quam heri est *columna*, & *firmamentum veritatis*, quæ proinde *errare non potest*, *utpote à Spiritu sancto instructa*. 3. p. 83. art. 5.

Cæterum accurate notandum est, nos hic locutos fuisse de satisfactione *ordinarie* absolutioni non præmittenda. Nolim autem hoc semper & omni eventu practicandum esse. Poterit enim quandoque Sacerdos pœnitenti injungere, ut satisfactio, puta Vigiliæ, jejunium, aliaque opera penalia absolutionem præcedant, si ea tanquam judex, & medicus curationi ejus spirituali expedire judicaverit. *Et in tali causa est modo plenus sapientia, lumine*, & *charitate dare animabus tempus sentiendi statum peccati &c.* Uti nimium spernimus Rigorem, ita effrænem aversamur Laxitatem: Charybdis illic, hic Scylla est, scopuli sane Naufragiis celeberrimi, proinde *medio tutissimus ibis*.

80. *Quartus decimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ*. Est 89.

SS. Gregorius Neocæsariensis; & Basilius Magnus in suis pœnitentium Canonibus, aliique veteres Patres quatuor publice pœnitentium distinguunt species, seu classes, scilicet *flentium*, *auditorum*, *substratorum*, & *consistentium*. Flentes arcebantur ab Ecclesiæ foribus. Auditores juxta fores Ecclesiæ, ab earum tamen limine exclusi in *Antiqua Ecclesiæ disciplina quoad pænitentes.*

summo mœrore, ac squallore saccis, & ciliciis amicti versabantur. Substrati porro intra Ecclesiæ partem, quæ à forium Liminibus primum occurrebat, & narthex vocabatur, admitti solebant, ibique missæ partem illam, quæ Catechumenorum dicebatur, nec non Homiliam, & Sermonem, qui in Ecclesia de suggestu post Evangelium pronuntiabatur, una cum Catechumenis audiebant, sed ante Offertorium, ne Mysteriis ineffabilibus interessent, simul cum illis alta voce Diaconi à liminibus Templi omnino excludebantur. Soli consistentes, seu jam reconciliationi destinati in Templo ad finem usque sacri persistebant.

Hanc priscam Ecclesiæ disciplinam videtur quodammodo renovare velle hæc assertio. En peccator, inquit, dum est *jam reconciliatus* (non exprimitur, utrum publicus sit peccator ille, an privatus,) habet jus assistendi sacrificio Ecclesiæ. Sed & consistentes, seu *nondum actualiter reconciliati* Sacrificio usque ad finem interesse poterant, unde minus videtur quae dantenus peccatori indulgere propositionum Author, quam vel Antiquæ Ecclesiæ praxis.

Sane, assertioni non aliud opponendum est, quam præfata illa, ineluctabilis. D. THOMÆ Authoritas: „ *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda* „. An vero nunc Ecclesiæ consuetudo est auditionem sacri peccatoribus prohibere? nonne è contra omnes fideles (quos inter recensendi sunt peccatores, non enim per peccatum mortale amittitur fides) nonne, inquam omnes fideles sub gravi illa obligat, ut diebus Dominicis, & Festis Missæ intersint? ruit igitur per se propositio.

De Excommunicatione, & Persecutione.

Excommunicatio & persecutio. 81. *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet; ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis.* Est 90.

Visum est tum hic, tum in sequenti titulo de *Lectione scripturæ sacræ*, propter materiæ; quam utrobique

bique Propositiones continent, identitatem, non ad *singulas* descendere; sed *simul* omnes discutere.

82. *Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmus ab ea avulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus.* Est 91.

83. *Pati potius in pace Excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari sanctum Paulum; tantum abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.* Est 92.

84. *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: Jesus restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt.* Est 93.

85. *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.* Est 94.

86. *Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos.* Est 95.

87. *Deus permittit, ut omnes potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ Gratiæ.* Est 96.

88. *Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum.* Est 97.

89. *Status persecutionis; & Pœnarum quas quis tolerat tanquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.* Est 98.

90. *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo*

aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, v. g. bonos libros, instructiones, sancta exempla. Est 99.

91. *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos; tempus hoc advenit...... Haberi, & tractari à Religionis Ministris tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum.* Est 100.

Juvat hic in medium proferre egregiam ex his junctis Propositionibus resultantem Parænesim, quam Thesibus suis de *Locis Theologicis* nuper pag. 33. inseruit eximius noster *Nobertus van Bilsen.*

„ O tempus deplorabile, quo creditur honorari „ Deus persequendo veritatem, ejusque discipulos! „ quo potestates omnes Prædicatoribus veritatis „ sunt contrariæ, & religionis ministri flamma, fer„ roque persequuntur probos! Tempus hoc advenit. „ Sed agite veritatis Discipuli! permittit ista Deus, „ ut Veritatis victoria, solius gratiæ suæ opus sit. Et „ tantum abest, ut status ille persecutionum, & pœ„ narum, quas quis, tanquam hæreticus, flagitiosus, „ & impius tolerat, a Piis timeri debeat, ut sit op„ tandus potius. Ultima certe hæc, & maxime me„ ritoria est probatio, utpote quæ facit hominem „ magis conformem Jesu Christo. Censurarum forte „ hic pertimescitis fulmina? Non equidem indignor, „ laudo magis. Quid enim horrificum magis est, „ quam haberi ut impios, & omni cum Deo com„ mercio indignos; tractari velut membra putri„ da, & in Societate Sanctorum, omnia corrumpen„ di capacia? Mors ista Piis est, corporis omni mor-

„ te

„ te terribilior. Cogitate attamen, quod justus ex „ fide vivat, & non ex opinione hominum: quod „ Ecclesia excommunicandi auctoritatem habeat, ut „ eam per primos Pastores exerceat (Notare hęc My„ steria) de consensu, saltem præsumpto totius cor„ poris: denique quod non exeamus ab Ecclesia, etsi „ hominum nequitia videamur expelli, dum Deo, „ Jesu Christo, ipsique Ecclesiæ per charitatem affi„ xi sumus. Vulnera infligat præceps primorum Pa„ storum festinatio; sed ea vulnera quandoque Jesus „ sanat, si sine illius mandato inflicta sint; tunc sci„ licet Jesus restituit, quod inconsiderato zelo ipsi re„ sciderunt. Nunquam igitur excommunicationis in„ justæ metus nos impedire debet ab implendo debi„ to nostro. Patiamur in pace excommunicationem, „ & anathema injustum potius, quam prodamus Ve„ ritatem. Hoc tantum abest ut sit erigere se contra „ auctoritatem, aut scindere unitatem, ut etiam S. „ Paulum imitari sit. Hæc solidissimo vobis sint so„ latio, dum persecutionum vos procellæ obruunt, „ & diris omnibus devovemini ab hominibus. Vos „ persequentium interim lugete pervicaciam. Frustra „ hi de intentionum suarum puritate, aut quodam „ religionis sibi blandientur zelo, dum aut propria „ passione excæcati, aut abrepti aliena, nedum agno„ scere volunt se deceptos, sed ne examinare quidem. „ Lugete senescentis Ecclesiæ defectum, & Dei iram „ in filios suos, qui usque adeo cæcutiunt, ut Dia„ bolo sacrificent Dei servos, dum Deo putant sa„ crificare impios; adeo balbutiunt, ut veritatis eis „ lingua, quasi peregrina sit: adeo sunt stupidi, „ ut non prædicandi solum rudes, sed & veritatis „ idioma obliti sint: adeo Matris famæ prodigi, „ ut æmulorum odiosissimam de exercito dominatu „ supra fidem, & conscientias fidelium accusatio„ nem, ultro & efficaciter confirment: adeo cere„ brosi, ut, propter res nihil & quæ nec fidem, „ nec mores lædunt, divisiones fovere obstinate per„ gant: adeo tandem perversi, aut improvidi, ut „ libros, instructiones, sancta exempla &c. quæ De„ us in Ecclesia sua posuit, ut sint odor vitæ, per

„ per obstinatæ præventionis pervicaciam mutent, „ quotidie in odorem mortis.

„ Quam nauci facient Superiorum leges, & censuras, qui hisce imbuuntur principiis! Dummodo „ Magistrorum suorum auctoritate, aut præventione „ propria sibi persuadere sciant læsam esse veritatem, justitiam, vel fidelium libertatem; frustra „ profecto minaberis Auctoritas, frustra spiritualem „ gladium distringes Dei Minister, quidquid moliaris, secura stabit sibi ipsi applaudens inobedientia, „ & Jesu Nominis scuto protecta à prætensis Jesu „ Pastorum vexis, ad invisibilis Pastoris fidenter provocabit tribunal, & ultimis fulminibus perstricta, „ de ultimarum probationum gloriabitur felicitate, „ S. Pauli imitationem læta jactabit, sibique visa pientissima; clamabit in pace patientiam. Sic eodem „ ore laudatur, & deprimitur unitatis Auctoritas; & „ quod sectis ducunt vitio, sibi vertunt virtuti: sic „ in Matrem excitantur filii, in Superioris subditi & „ per Christianæ humilitatis, & modestiæ stragem, „ coronatur contumacia. Fugito hæc, quisquis ad Romano Catholici nomen & rem aspiras.

Porro tota hæc Propositionum moles corruit unico D. THOMÆ ratiocinio 2. 2. quæst. 64. art. 5. ad 2. „ *Nullus est judex sui ipsius*, „ seu in propria causa; unde debet se inferior „ *committere judicio aliorum* „. Contendunt propositiones illæ Excommunicationem, persecutionem, pœnas, quas nonnulli patiuntur, esse *injustas*, à se stare *Veritatem*, præcipitem esse primorum Pastorum festinationem in infligendis vulneribus, illos esse *præventos*, & *obstinatos*, cum nedum agnoscere velint se fuisse deceptos, sed ne examinare quidem. At quis est judex in *Propria causa*? sane sic quilibet litigans, si causa cadat accusare poterit Judices, illos præventos dicet, partium studio irretitos, auro corruptos, præcipites, clamabit etiam rem non fuisse sufficienter examinatam. Sed, heus! amice inquies, quo tuis? quis te judicem statuit in propria causa? cur omnem ordinem, & subordinationem perniciosa Metamorphosi subvertis? *hæc* tu reponeres litiganti; sed & *illa* tibi repone. Ut

enim

enim omnis servetur in rebus ordo, dependentia, subjectio, tranquillitas, unitas, debet inferior non suo adhærere, sed aliorum, seu Superiorum *se committere judicio*.

De Lectione Scripturæ Sacræ.

91. *Utile, & necessarium est, omni tempore omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & mysteria Sacræ Scripturæ*. Est 79. *Lectio Scripturæ Sacræ.*

93. *Lectio Scripturæ sacræ est pro omnibus*. Est 80.

94. *Obscuritas sancti Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus Lectione*. Est 81.

95. *Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus Pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum: damnosum est velle Christianum ab hac Lectione retrahere*. Est 82.

96. *Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & nata sunt hæreses*. Est 83.

97. *Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare*. Est 84.

98. *Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam Excommunicationis*. Est 85.

Sic vero Regula 4. Indicis Concilii Tridentini, *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessarii, Bibliorum à Catholicis Authoribus versorum lectionem in lingua vulgari his concedere possint, quos intelligunt ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis incrementum capere posse, qui autem absque tali facultate ea legere, aut habere præsumpserint nisi Bibliis Ordinario*

rio redditis, peccatorum absolutionem percipere non possint. Non igitur *Necessarium est omni* personarum Generi cognoscere spiritum, & Mysteria sacræ scripturæ. Nec lectio scripturæ sacræ est pro *omnibus*. Nec dies Dominicus à Christianis sanctificari debet *Lectionibus* super omnia *Sanctarum Scripturarum*. Neque *Damnosum est* velle Christianum ab hac lectione retrahere. Sed & abripere è Christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, non est illis *Christi os obturare*. Nec est interdicere *usum luminis filiis lucis*. Etenim Ecclesia infirmorum diffidens animis veretur, ne eos *tanti* splendor *luminis* in scriptura emicantis aut perstringat, aut Mysteriorum absorbeat profunditas. Unde *obscuritas Sancti Verbi Dei* est & laicis ratio dispensandi se ab ejus lectione, & causa, cur Ecclesia non omnibus præfatam lectionem indulserit. Quod vero pluribus Divinæ Literæ sint involutæ obscuritatibus, patet ex Augustino lib. 12. Confess. cap. 14. *Mira profunditas*, inquit, *Divinorum eloquiorum, sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas, horror est intendere in eam*. Et epistola 3. ad Volusianum: *tanta*, ait, *non solum in verbis, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat; quod eadem scriptura quodam loco habet, cum consummaverit homo, tunc incipit*. Non tantum antiquum, sed & Novum Testamentum difficillima intellectu continet. Id testatur Princeps Apostolorum in sua posteriori epistola cap. 3. ubi differens de epistolis Paulinis sic ait, *In quibus quædam sunt difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem*. At ecce Bibliorum obscuritatem fatetur, vel supponit ipsa Propositio 81. Estne hoc igitur dum Novum Testamentum è Christianorum manibus eripitur, estne hoc illis Christi os obturare? Christus nos misit ad Sacerdotes, qui legem suam explicent, explanent, interpretentur. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Malach. 2. Id quoque testabatur

Eunu-

Eunuchus Reginæ Æthiopum, qui rogatus a Philippo, an intelligeret Isaiam Prophetam, quem legebat, respondit Act. 8. *Quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* hunc etiam in finem, *Quosdam quidem Deus dedit Doctores*, alios interpretes, *&c.* Hinc sicut carnalis Mater curam gerens sanitatis infantuli sui, non solido, duro, difficiliorisque digestionis cibo onerat tenellum parvuli stomachum, sed lacte, cibisque levioribus, aut masticatis alit, quem diligit, non secus prudentissima, & tenerrima Mater Ecclesia ex ore Doctorum, & Concionatorum &c. Scientiæ Christianæ, & Scripturisticæ lac fluens abundanter bibendum propinat illi, quibus solidus cibus esset gravamini potius, quam nutritioni spirituali. Scriptura lux est, sed Ecclesia luce abusuris lucernam addit. Unde & dicitur Psalm. 118. *Declaratio Sermonum tuorum dat intellectum Domine*. Non dicit Psalmista: *Sermones tui* illuminant, sed *declaratio*, explicatio, & interpretatio *Sermonum tuorum dat intellectum Domine*. Porro nonne notum est fieri, ut ordinarie magis, quam viri luce illa scripturæ abutantur *fœminæ*? hoc tum illis perspectum est, qui vel a Limine Historiam salutarunt Ecclesiasticam, tum quotidiana id docet in vicinis Provinciis experientia. Nonne illic una in familia evolvendis Bibliis devota, tanta crebro cernitur inter mulierculas opinionum differentia, ut quandam implacabilis belli civilis speciem præ se ferre videatur? unde certe non est *illusio sibi* persuadere, quod Notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum Librorum.

Object. Ex dictis facile solvitur hoc argumentum sæpe objectum. Sacra Scriptura continet Testamentum Dei ad nos, seu pro nobis, licet autem unicuique legere Testamentum sui Patris, igitur & licet omnibus legere Sacra Biblia.

Resp. Respondetur enim licere quidem unicuique legere Testamentum sui Patris, simpliciter loquendo, seu rem ipsam per se spectando. Verum si in Testamento Patris quædam sint obscura, & si qui sint filii, qui ex ea lectione damnum sunt passuri, incumbit

prudentiæ, & authoritati eorum, qui filiorum illorum sunt tutores, vel curatores, non permittere ut tales filii Testamentum legant, sed curare, ut eis explicetur id, quod eos concernit. Ecclesia vero habet curam Fidelium, ideoque merito, plurium diffidens imbecillitati; atque hinc nitens occasionem resecare erroris, quibusdam non permittit sacrarum lectionem Paginarum in lingua vernaculâ.

Huc faciunt ea, quæ D. *Thomas* adducit 1. 2. q. 101. art. 2. ad 1. *dicendum; quod divina non sunt revelanda hominibus nisi „ secundum eorum capacitatem: alioquin daretur eis præcipitii materia, „ dum contemnerent*, aut sinistrè interpretarentur ea; „ *quæ capere non possent*„.

Object. At nonne jam cessavit, inquies, saltem in hoc nostro Belgio Regula 4. Indicis?

Resp. Minime vero. Non recenseo statuta illa antiqua Antistitum nostrorum observationem istius Regulæ præcipientia. Prætereo decreta hac de re emanata & illustrissimi *Henrici Francisci vander Burch* Archiepiscopi Cameracensis 2. Octob. 1617. & *Antonii Triest* Episcopi Gandavensis 1629. & *Gasparis Nemii* ex Antverpiensi Archi-Præsulis Cameracensis 28. Augusti 1643. Sileo sanctiones acerrimas tum *Jacobi Theodori de Bryas* ejusdem Ecclesiæ moderatoris anno 1686. tum *Alberti de Hornes* Antistitis Gandensis 2. Aug. 1689. Venio ad statutum novissimum illustrissimi piæ memoriæ Mechliniensis *Humberti Guilielmi à Precipiano*. Imitatus ille *Mathias Hovius*, *Jacobos Boonen*, aliosque prædecessores suos, hoc sequens decretum edidit 9. Januarii 1691. una cum *Reginaldo Cools* tunc Ruræmundensi, postea Antverpiensi, *Joanne Ferdinando van Beughem* Antverpiensi, *Guilielmo Bassery* Brugensi Episcopis, recentioris etiam memoriæ: „ Cum non minus„ hodie„, quam superiori sæculo, „ *experimento*, manifestum sit, si sacra Biblia vul„ gari lingua passim sine discrimine permittantur, „ plus inde, ob hominum temeritatem, detrimen„ ti, quam utilitatis oriri; Hisce innovamus sta„ tuta quævis, & ordinationes, quæ à Prædecesso„ ribus nostris hucusque emanarunt quoad exactam „ obser-

Belgii Antistites exacti observatores regulæ 4 Indicis.

„ observantiam quartæ *Regulæ Indicis Tridentini* „ quam ipsam Regulam, olim etiam in his partibus „ publicatam, & receptam hic subjicimus. *Cum ex-* „ *perimento manifestum sit, si sacra Biblia &c.*

His omnibus cum hæc *Clementis* Constitutio accesserit; quis est, qui ulterius pro lectione Bibliorum in lingua vulgari stare possit? Imprimatur nobis alte & illud Augustini; *Roma rescripta venerunt: causa finita est:* & hoc ex D. THOMA depromptum 1.2. quæst.96.artic. 6. in corpore. *Omnis Lex ordinatus ad communem hominum salutem.* Lex autem prohibens præfatam Lectionem maxime conducit ad salutem animarum, utpote occasionem perimens erroris.

99. *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentionis Dei*, Est 86.

D. THOMAS loco crebrius citato: „ *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda* „. Modo autem non obtinet Ecclesiæ consuetudo, quod ab omnibus promiscue exerceatur Psalmodia, & vernaculum Rituale, ac Liturgia in Ecclesiis adhibeatur. Non itaque vellicari debet plebis in templo silentium.

Fuerit diversa quibusdam in partibus recepta consuetudo, plura sunt alia quoad Disciplinam, seu Cæremonias tempore Apostolorum observata; quæ nunc sunt abolita. Neque hæc moderna consuetudo contrariatur *intentioni Dei*: Intentio Dei est, ut obediatur „ *Ecclesiæ* „, *quæ errare non potest*. D. THOMAS 3. part. quæst, 25. art. 4.

De Juramento.

100. NIhil *Spiritui Dei, & Doctrina Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere Juramenta in Ecclesiâ, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere; ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum*, Est 101.

Quorsum hæc vergit Propositio, nisi ut elidatur Juramentum in famosum *formulare Alexandri VII.* ad instantiam Cleri Gallicani à præfato petitum Pon-

tifice

tifice eo fine, ut omnis aditus Jansenismo præcluderetur? scilicet *juramentum inducitur ad finiendum controversias, ut dicitur ad Heb.* 6. D. THOMAS 2. 2. q. 88. art. 2. Nec opportunius esse ad terminandas contentiones luctuosas hoc juramento remedium existimavit Ecclesia.

De Relatione operum in Deum.

101. *Sola charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.* Est 53. his adde hasce particulas huc spectantes propositionis 44. *non sunt nisi duo amores, amor Dei, & amor, quo nos ipsos diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Contendunt nonnulli ex hac, aliisque proscriptis; quorumdam Catholicorum Doctrinam *de virtuali relatione operum in Deum ex charitate* esse damnatam, præsertim hasce expendendo particulas, *qui quod ad Deum referendum est; non refert, & propter hoc ipsum* (actus) *fit malus.* Nolim ego notam aliquam illi sententiæ inurere. Viderint istius Patroni, qui sese ab hisce expediant.

Admittimus quidem & nos cum Angelico 1. 2. q. 100. art. 10. ad 2. Præceptum referendi opera in Deum ex charitate. *Sub præcepto enim Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet,* „ *ut omnia referantur in Deum*„, *& ideo præceptum Charitatis homo implere non potest, nisi* „ *omnia referantur in Deum*„: sed (expende verba sequentia D. THOMÆ) *cum ista sint duo præcepta affirmativa* „ (dilectio Dei, & honor Parentum, ut præmiserat) *non obligantia* „ *ad semper* „ *possunt pro diversis temporibus obligare; & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de Honoratione parentum, tunc non transgrediatur præceptum de omissione* „ *modi Charitatis*„. Præceptum itaque referendi opera in Deum *ex Charitate affirmativum* est. Sortiri igitur debet naturam illius conformiter ad præceptum dilectionis Dei, quod quia affirmativum est, ideo non obligat ad *semper*, sic ergo &

go & præceptum de referendo omnia opera in Deum ex charitate non obligat ad semper, sed tunc solum, dum currit præceptum Charitatis.

Hinc facile solvuntur illa Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Omnia in gloriam Dei facite*. Illa enim intelligenda sunt juxta naturam præcepti affirmativi quod non obligat ad semper. Confirmat id ipsum S. Doctor 1. 2. q. 88. art. 1. ad 2. *Dicendum, quod illud præceptum Apostoli* (sive manducaris, sive bibitis, omnia in Gloriam Dei facite) „ *est affirmativum, unde non obligat ad semper* „, *& sic non facit contra hoc præceptum* „ *quicumque non actu* „, nec etiam *virtualiter* ut liquet ex textu, „ *refert in Gloriam Dei omne, quod facit* „. **Object.** **Resp.**

Porro pro *Relatione* solent hæc allegari ex Augustino lib. 4. contra Julianum cap. 3: *Quidquid fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine* (qui debet esse Dei Gloria, ut ajunt) *peccatum* est. **Object.**

At sic illa verba *non recto fine*, non intellexit Augustinus, sed intellexit finem esse non *rectum*, seu perversum, si quis inhiet gloriæ & laudibus hominum: idque paret ad oculum ex illo ipso loco allegato, ubi verbis relatis mox subnectit Augustinus: *Possunt ergo aliqua bona fieri non bene facientibus, à quibus fiunt. Bonum est enim, ut subveniatur homini periclitanti, præsertim Innocenti: sed ille, qui hoc facit, si amando* „ *Gloriam hominum* „ *magis, quam Dei facit, non bene bonum facit*. Collimabant scilicet Gentiles ordinarie in suis actibus ad humanæ gloriæ strepitum, ad acclamationem, & applausum populi. **Resp.**

Præter laudes hominum, sæpe etiam Infideles opera sua in honorem falsorum Deorum referebant, in quo certe peccabant: & sic intelligitur Augustinus in præfato capite, dum ait: *operire nudum, & de hoc non in Domino gloriari*, sed in falsis scilicet Diis, *solus impius negat esse peccatum*.

Quam præclare hic consonat Augustino, eumque explicat Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 23. art. 7. ad 1. *Augustinus dicit in lib. 4. contra Jul. cap. 2. quod actus Infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiamsi nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat*,

ciat, ordinans ad finem suæ Infidelitatis. Id quod plurimi Gentiles factitabant opera sua in honorem suorum Numinum ordinantes.

Si tamen Infidelis (idem est de peccatore) intra boni sistat honesti limites, nullo pravo fine, aut circumstantia actionem conspurcans, tunc nullo modo peccat. Suffragatur D. THOMAS in epist. ad Rom. cap. 14 lect. 3. *Cum aliquis Infidelis ex dictamine rationis aliquod bonum facit, non referendo in malum finem non peccat*. Non peccat, inquam, peccato *operis*, ut loquuntur, nec etiam *operantis*.

Dum tamen deest relatio *charitatis*, non est opus perfecte bonum, seu *meritorium*.

Atque in hoc postremo sensu intelliguntur verba Augustini toties objecta. *Sine amore Creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis*. Citato cap. 3. & in Ps. 67. *non sunt bona opera, quæ per fidem, & dilectionem non fiunt*. Nullus scilicet sine amore Creatoris *meritoriè* utitur creaturis, & non sunt opera *meritoria* sine fide, & dilectione, seu *per quæ potest homo ad æternum Dei donum, Regnumque perduci*. Eodem lib. 4. contra Julianum cap. 3. sunt tamen opera *moraliter* bona, & honesta omnis peccati seu commissionis seu *omissionis* expertia.

Cæterum cuncta hæc solius veritatis gratia dicta sunto. Si quid in toto operis decursu elapsum sit, quod vel acrimoniam quandam, vel asperitatem redolere videatur, illud (ut etiam in præfatione præmonui) prorsus rejicio, revoco, retracto. Opusculum autem irrefragabili Sedis Apostolicæ judicio in omnibus submitto.

FINIS.

IN-

INDEX

Propositionum Damnatarum, & Materiarum, circa quas illæ versantur.

FINIS INDICIS.

RESPONSIO BREVIS
AD PATREM QUESNEL
AUTHORE
F. FRANCISCO VAN RANST
Ordinis Præd. S. T. Licentiato, & Studii Generalis Antuerpiensis Regente.

DUM vacamus Libro novissime edito *de Hæresibus* ab incunabulis Ecclesiæ ad hæc usque tempora per D. *Thomam* è Scriptura Sacra prædebellatis; incidimus in scriptum, cui titulus: *Cinquieme memoire pour servir à l' Examen de la Constitution du Pape contre le Nouveau Testament en Francois avec des Reflexions Morales*. Author illius est P. *Quesnel* tantarum origo procellarum. Vel ipse titulus varia mihi adversus eum argumenta suppeditabat: non enim inferioris est discutere sententiam superioris, præsertim Constitutionem à suprema sede emanatam, illius erat se subdere Pontifici. Pressisset utinam vestigia viri Illustrissimi, cujus prompta, candida, sincera animi submissio, quæ anno 1699 Apostolicæ acquievit sententiæ, numquam obliterabitur.

Illustris „ Fenelon „ vivit post fata superstes:

At ecce in prologo præfati libri offendo nomen nostrum ornatum hac Epigraphe; *faux Thomiste*: citor ibidem pag. 38. ad Propositionem 52. accedit libellus subsequens *sixième Memoire*, in quo illi sistor ad Propositiones 68. & 86. Ut responderem illico, accendebatur animus. Amici urgebant, ut recaderem priorem librum *Veritas in Medio* brevissimo tempore distractum, versantem inter alia circa Propositiones 101. *Quesnellianas* (quæ

(quæ occasionem & Opusculo, & responso Quesnelliano præbuerunt) sed satius esse duxi editioni secundæ præfigere opus *de Hæresibus*, ut demonstraretur Doctorem Angelicum nedum *Bajanismi*, *Jansenismi*, *Quesnellismi*, sed & omnium plane extitisse prædamnatorem errorum ante vitam, in vita, & post vitam ad hanc usque tempestatem exortorum.

Hisce peractis, refellenda sunt, sed citra ullam speciem acrimoniæ, quæ P. *Quesnel* pro se allegat ad dictas Propositiones 52. 68. & 86.

At cur ut *falsus* traducor Thomista? Quia nempe *Quesnel* cum suis contendit Constitutioni *Unigenitus* Doctrinam refragari *Thomisticam*. Scilicet Jansenistæ ad extremas redacti angustias instar Joab in præsenti vitæ discrimine *apprehendentis cornu altaris* 3. Reg. 2. sub S. Thomæ pallio tamquam sub alis nituntur latitare. Prodite in medium abditi sub Chlamyde; nullus hic conceditur locus refugii; vos aversatur Angelicus omnium victor, & præsuffocator errorum. Non solum non Constitutioni Doctrina ejus refragatur, sed & illi impense favet, ita ut famosas Propositiones 101. jam dudum ante prædamnarit. Quare genuini omnes D. Thomæ discipuli Constitutionem suscipiunt, amplectuntur, venerantur, sectantur. Nescit Ordo Prædicatorum tum à veritate (quoties ille vel ab infrendentibus inimicis nuncupatus est „ *Ordo Veritatis* „!) tum ab avita in Sedem Apostolicam desciscere observantia. Cuilibet perspectum est, quam acriter pauciores quosdam nostros in Galliis Constitutioni reluctantes Reverendissimus noster perstrinxerit per Epistolam Encyclicam Romæ datam 26. Februarii 1717. Unde universus qua late patet Ordo Constitutioni indivulse adhæret.

Ad præcitatas modo Propositiones progrediamur.

Propositio 52. inter famosas 101. Damnata est hæc. *Omnia alia salutis media continentur in fide, tamquam in suo germine, & semine; sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.* *Propositio 52.*

Illi more solito D. *Thoma* subnexui authoritatem Propositionis peremptricem.

D. THOMAS 1. 2. qu. 65. art. 4. in corp. *fides potest* „ *esse sine Charitate* „. Unde *fides* . . . . . *inclinat hominem ad*

ad credendum, etiamsi sit informis, id est Charitate destituta. 2. 2. q. 5, art. 2. ad 2.

Profecto nullus est æquus rerum ponderator; qui non existimet hasce ultimas Propositionis particulas, (*hæc fides non est absque amore & fiducia*) præ se ferre hunc sensum obvium, & naturalem: *fides non est absque amore*, seu charitate utique *habituali*; seu justificante, verba enim pro famosiori significato (quale est Charitas *habitualis*) accipienda sunt: ex quo deinde suapte natura sequitur, non dari fidem *informem*, proindeque illam non dari in peccatoribus.

Object. Imo, inquit *Quesnel*, vera fides inclinans hominem ad credendum non reperitur in *peccatoribus*, seu *libertinis*, quemadmodum nec in *dæmonibus*.

Resp. Sed quantum erat! latissimum enim est discrimen fidem inter dæmonis, & peccatoribus. *Fides enim, quæ est in dæmone* (in 3. dist. 23. q. 3. art. 3. quæstiuncula 1, ad 2.) *non est habitus infusus, sed ex naturali cognitione procedit*: & q. 14. de veritate art. 9. ad 4. *Credere æquivoce dicitur de hominibus fidelibus, & de dæmonibus, nec est in eis fides ex aliquo lumine gratiæ, sicut est in fidelibus*: sed *dæmones coguntur credere ex perspicacitate naturalis intellectus* (2. 2. q. 5. art. 2. ad 2.) *fidelis* vero etiam peccator *convincitur per auctoritatem divinam assentire his, quæ non videt*, in corp. Hinc in fideli peccatore non est destructa, sed remanet ratio formalis objecti fidei, nempe revelatio divina; hoc vero dici nequit de dæmone, adeoque ne quidem datur in eo vera fides *Informis*, quæ tamen invenitur in peccatore.

Object. At objicit *Quesnel*. Doctor Angelicus citato art. 2. ad 2. ait. *Fides*, „ *quæ est donum gratiæ* „ , *inclinat hominem ad credendum* „ *secundum aliquem affectum boni* „ ; *etiamsi sit informis*, sed *affectus ille boni* non est in fideli peccatore, ergo in eo non est proprie fides inclinans hominem ad credendum, sicuti nec est in dæmone. Talis autem fides includens *affectum boni* invenitur in Catechumeno, seu vero pœnitente, qui se ad justificationem disponit; atque ita fides *non est absque amore*; hoc enim sonat *Tò aliquis affectus boni*; & sic intelligo Propositionem de *Catechumeno* scilicet seu *pœnitente*, quod nempe illius fides non careat *affe-*

ctu

ctu boni, amore seu charitate *actuali* ante justificationem.

Hic est *Quesnelli* Achilles, sed Thersite debilior. Singula expendamus.

R. In primis, *fidem, quæ est donum Gratiæ*, esse in fideli peccatore: non enim peccator ordinarie omni dono actualis gratiæ destitutus est. 2. esse in eo *aliquem affectum boni*, seu pium motum voluntatis ad credendum: hoc enim & non aliud (ut statim videbimus) intelligitur per *aliquem affectum boni*. 3. Eum voluntarie credere. *In dæmone* autem 1. *Fides* (improprie dicta) *non est donum gratiæ*, ibid. omnibus enim ille donis gratuitis spoliatus est. 2. Nulla est in eo pia motio voluntatis, qua intellectus captivetur in obsequium fidei. Unde non *pertinet ad laudem voluntatis dæmonum, quod credunt*. Ad 1. sed *coguntur* 3. *ad credendum ex signorum evidentia*. Proinde in fideli peccatore reperitur proprie fides inclinans hominem ad credendum, non vero in dæmone. Resp.

Quod autem per *Tò aliquem affectum boni* intelligatur pia motio voluntatis, probatur evidenter. Sane positis omnibus motivis ad credendum, non solum non necessitatur homo ad eliciendum actum circa res fidei, sed nec etiam ad eliciendum actum assensus potius, quam dissensus: prædicante enim ipsomet Doctore Gentium, quidam nostræ fidei mysteriis dissentiebant: alii assentiebant juxta illud Actorum 28. *Cum audissent resurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant, quidam vero dixerunt, audiemus te de hoc iterum; quidam vero viri adhærentes ei crediderunt*. Unde *intellectus credentis non determinatur ad assentiendum veritati ex necessitate rationis sicut intellectus scientis;* „ *sed ex voluntate* „. D. Thomas commentans in cap. 10. ad Romanos, Confirmat id S. Doctor. 2. 2. q. 2. art. 9. in corp. *Credere est actus intellectus assentientis veritati Divinæ ex* „ *Imperio voluntatis à Deo motæ* „. Huc accedunt hæc ipsamet loca à *Quesnello* pag. 44. adversus me vibrata, sed quæ in ipsum retorquentur. *Fides in voluntate est...., Fides consistit in credentium voluntate*. Augustinus de præd. SS. Cap. 5. Angelicus autem 2. 2. qu. 1. art. 4. in corp. *Intellectus assentit alicui .,.. per quamdam electionem, volun-*

voluntarie declinans in unam partem magis, quam in aliam: Nobis etiam suffragatur ipsissimus articulus 2. quæst. 5. unde *Tò affectus boni* depromitur. *Intellectus credentis assentit rei creditæ .... quia convincitur per auctoritatem* Divinam *assentire his, quæ non videt propter Imperium „ voluntatis „ moventis intellectum, & obedientis Deo*. Itaque juxta sensum hunc solidum, & evidentem asserit S. Thomas ad 2. *quod fides inclinet hominem ad credendum secundum*, seu per (ut etiam vult Quesnel „*par „ un certain amour de bien*) per *aliquem affectum boni*, per piam scilicet motionem aliquam voluntatis, seu motionem voluntatis ad bonum. Nec incassum hoc dicitur. Objectum enim voluntatis est bonum, & *in quantum movet voluntas intellectum ad assensum, sic verum est sub bono*. D. Thom. in cap. 11. ad Hebr. proinde dum dicitur *Tò affectus boni*, id idem est, ac si dicatur motio voluntatis ad bonum. Unde perinde est inclinari hominem ad credendum *secundum*, seu per *aliquem affectum boni*, ac secundum, seu per piam quandam motionem voluntatis, sive motionem voluntatis ad bonum. Illa autem motio non deest peccatori fideli, cum actum fidei (quæ per peccatum non extinguitur) elicere nequeat sine voluntate. Perperam igitur *Quesnel* asserit non esse *affectum boni* in tali peccatore, perperam omnes vires exerit, ut ex *affectu boni*, & fide in voluntate aliisque allegatis probet fidem in Catechumeno, seu vero pœnitente *non esse absque amore* etiam actuali. Certe *affectus boni*, seu motio illa voluntatis proprie non est amor, aut amor in præfato peccatore sit, oportet: unde *Quesnel* suis se armis jugulat: præsertim cum dicat Angelicus. *Fides ..., inclinat hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni, etiamsi sit „ informis „*, id est sine amore: censet igitur *affectum illum boni*, seu piam motionem posse esse sine amore.

Aliud refellendum est, quod mihi *Quesnel* objicit Argumentum. Supponit adversarius, inquit, quod *D. Thomas* in authoritate propositioni substrata, *Fides potest esse sine charitate* 1. 2. qu. 65. art. 4. in corp. hoc intelligat de *charitate habituali*: item quod S. Doctor *solam* charitatem *habitualem* sustineat esse formam fidei,

dei, atque hanc sine charitate *habituali* esse informem. Hæc sane, ait, suppositio falsa est. Fides enim dupliciter formatur, per charitatem scilicet imperfectam, & perfectam (quæ est *habitualis*,) per hanc fides formatur perfecte, per illam imperfecte: proinde fides sine charitate *habituali* non est informis, adeoque *Fides* (in Catechumeno, seu pœnitente) *non est absque amore*.

Age, hæc omnia discutiamus.

Quod D. Thomas loco citato loquatur de charitate *habituali*, hoc torrens sentit Theologorum. Verba enim pro celebriori significato (quale est charitas *habitualis*) sumenda sunt; prout etiam hic supra insinuatum est.

Hinc & *sola* charitas *habitualis* est forma fidei. Imo expresse quærit Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 4. art. 3. an *charitas sit forma fidei*: & sic resolvit in corp. *Charitas dicitur forma fidei, inquantum per charitatem actus Fidei formatur*. Profecto si duplex foret forma fidei, alia imperfecta per charitatem imperfectam, alia perfecta per charitatem perfectam, seu *habitualem*, isto in articulo, in quo ex professo petebatur an *charitas esset forma fidei*, divisio illa prædicta formæ fidei data, & explanata fuisset: Nihil autem istius rei meminit, sed clare, perspicue, & irrefragabiliter concludit: *Charitas* utique *habitualis*, cum illa sit famosius significatum, *dicitur forma fidei*.

Sed ut omnis plane cavillandi umbra removeatur, en verba S Thomæ art. 4. in corp. „*distinctio fidei formatæ & informis est . . . . secundum charitatem*„. Non igitur subsistit distinctio *Quesnelliana* fidei formatæ imperfecte per charitatem imperfectam, & formatæ perfecte per charitatem perfectam: sed fides omnino distinguitur penes charitatem utique *habitualem*, ita ut fides dicatur formata, quæ est secundum charitatem *habitualem*, informis vero, quæ illa destituta est: proinde fides sine charitate *habituali* revera est informis.

At instat *Quesnel* allegans Præceptorem Angelicum in cap. 2. epist. ad Rom. lect. 2. Erravit in citatione loci, non est caput secundum, sed primum, ex quo sequentia verba deprompta sunt. *Sicut corpus vivit* **Object.**

per

per animam naturali vita, ita anima vivit per Deum vita gratia. Primo autem Deus *animam inhabitat per fidem. Eph. 3. habitare Christum per fidem in cordibus vestris, nec tamen est perfecta inhabitatio, nisi fides per charitatem sit formata, qua per vinculum perfectionis nos unit* Deo, *ut dicitur* Coloss. 3. *& ideo quod hic dicit ex fide vivit, intelligendum est de fide formata.* Inde sic infert *Quesnel.* Datur igitur fides imperfecte formata per charitatem aliquam, qua Christus primo habitet in nobis, seu habitare incipiat, antequam fit in nobis perfecta habitatio, seu formatio, quæ fit per charitatem habitualem.

Resp. Sed negatur illatio. Christus enim habitat in nobis inchoative, etiam per fidem charitatis expertem, habitat enim in nobis per donum suum: *Fides* autem expers charitatis (non fides dæmonum ut omnis elidatur replica) *est donum* Dei. 2. 2. q. 6. art. 2. Unde fides non debet includere charitatem aliquam imperfectam, ut detur inchoata habitatio Christi in nobis. Certe citata Div. Thomæ verba non solum non favent Quesnello, sed illi potius adversantur.

Object. Urget rursus Quesnel, citansque verba famosa 1. 2. q. 65. a. 4. O. *Fides potest esse sine charitate:* arguit me tanquam verborum mutilatorem, quod hoc adverbium *aliqualiter* studiose omiserim. Sic autem habet corpus articuli. *Fides & spes sine charitate possunt quidem „ aliqualiter „ esse, „ perfecta „ autem virtutis rationem sine charitate non habent.* Allegat deinde verba hæc tanquam verba Angelici. *Quamvis fides, & spes sine charitate in homine aliquo modo esse possint; virtutes tamen perfecta sine illa esse non possunt.* Tum ita pergit. Cur omisisti *Tò aliqualiter*? An illud non conducebat ad rem? Sane quam maxime, inquit, ad mentem S. Doctoris exprimendam, Etenim S. Thomas sic discurrit. *Fides & spes, sicut & virtutes morales, dupliciter considerari possunt: Uno modo secundum inchoationem quandam. Alio modo secundum perfectum esse virtutis.* Ex quo principio concludit: *quod fides & spes sine charitate* (simpliciter, & absolute sumpta, seu habituali) *perfecta virtutis rationem non habeant, possint tamen aliqualiter esse virtutes.* Unde sequitur, ait Quesnel, quod fides, ut sit vir-

tus imperfecta, debeat aliquam continere charitatem; hoc enim præ se ferunt *Tò aliqualiter, secundum inchoationem quamdam*. Non enim fides juxta D. Thomam potest esse virtus sine charitate; debet itaque illa Charitatem habere imperfectam, seu inchoatam, ut sit virtus imperfecta, seu inchoata.

Hactenus P. *Quesnel*, cui ad singula respondeo. Quantum ad *Tò aliqualiter*, non mutilavi verba Angelici. Quesnel medium corporis articuli, non *finem* inspexit. Sub medium illud adverbium, sub finem Authoritas à me citata *fides potest esse sine Charitate* sine ly *aliqualiter* conspicitur. E fine Corporis, non è medio S. Doctoris verba adoptavi. Non igitur truncavi verba Angelici. E contra desidero ego maxime fidem in *Quesnel*, qui D. Thomæ imponit hæc verba. *Quamvis fides, & spes sine Charitate in homine*, „ *aliquo modo* „ *esse possint, virtutes tamen perfectæ sine illa esse non possunt*. „ Pourquoi avez „ vous retranché ces mots *aliquo modo*? sed cur à a Patre Quesnel in medium producta sunt verba, quæ D. Thomæ non sunt? adhibeatur vel lucerna Diogenis, ista in articulo citato non reperies. At audio, hæc habentur in Conclusione, quæ in Summæ editionibus mediat inter argumentum *sed contra* & *corpus articuli*. Sane talis conclusio (sive ut Quesnel vocat *le sommaire*) quæ in plerisque editionibus non invenitur, Character S. Doctoris non est. Unde perperam dicit *Quesnel*. Il dit (S. Thomas) dans le sommaire. Sed demus in articulo contineri verba hæc, *aliquo modo*, quæ æquivalent adverbio *aliqualiter*: profecto tum hæc, tum ly *secundum inchoationem quamdam*; in quibus arcem argumenti collocat, nihil nobis officiunt, quod agendum demonstremus. Resp.

Itaque serio advertendum est, virtutes Theologicas; ac Morales spectari posse & ut virtutes sunt, & ut perfectæ virtutes sunt. Juxta primam considerationem fides etiam informis vere & essentialiter est virtus; idque constat ex hoc ipsomet celebri articulo ad 1. *Fides, secundum* „ *proprias rationes* „ *à Charitate non dependet, & ideo sine Charitate esse potest*. Accedit art. 5. Responsio ad 2. *Fides* „ *secundum rationem propriam* „ *præsupponitur ad Charitatem*. Assertioni patrocinatur & Eximius Sylvius

vius ad 2. 2. quæstionis 4. articulum 5. „ si solam virtutis „ essentiam spectes, sic fides etiam informis est vera vir- „ tus, quia fides informis est principium actus boni, sci- „ licet assensus intellectus ad res divinas „. Fides tamen sine Charitate (habituali) non est perfecta virtus. *Fides* (inquit S. Doctor articulo toties repetito ex 1. 2.) *est quidem sine Charitate, sed „ non perfecta virtus „.* Et ad 2. cum sibi objecisset, Fides non potest esse sine Charitate: sic respondet. *Dicendum, quod ratio illa procedit de fide, quæ habet perfectam rationem virtutis.* Deinde 2. 2. quæst. 4. art. 5. *Fides informis*, ait, *non pertingit ad „ perfectam rationem virtutis „.* E tam perspicuis D. Thomæ testimoniis facile colligitur, qui hæc citata verba *aliqualiter, secundum inchoationem quandam*, & si vis, *aliquo modo* explananda sint. Sensus enim illorum est hic. *Fides & spes sine Charitate possunt quidem* secundum se *aliqualiter* esse virtutes, inchoatæ scilicet, seu imperfectæ, *perfecta autem virtutis rationem sine Charitate non habent.* Unde non sequitur; fides cum Charitate habet virtutem perfectam, ergo ut sit virtus imperfecta, seu inchoata, debet habere charitatem imperfectam: quia fides etiam informis de se est virtus essentialiter, licet imperfecta; *Fides informis cum sit „ imperfecta „* (ecce imperfecta virtus) *non pertingit ad perfectam rationem virtutis*: si imperfecta virtus de se, ergo ut sit talis, non requirit Charitatem imperfectam.

Object. Denique perperam *Quesnel* in suæ favorem sententiæ producit Angelicum 3. p. q. 85. art. 5. sic loquentem. *Actuum* (quibus ad justificationem pervenitur) *primum principium est Dei operatio convertentis cor. Secundus actus est motus fidei.* Unde, inquit Quesnel, motus fidei in pœnitente se ad justificationem disponente, est effectus conversionis cordis: „ & cette conversion, oseroit on- „ dire dans l'ecole de S. Thomas, qu'elle se fasse autre- „ ment, que par l'amour de Dieu?

Resp. Imo vero in Schola D. Thomæ ordinarie illa conversio cordis est sine amore; illa enim conversio est tantum conversio cordis, seu voluntatis ad credendum his, quæ divinitus revelata sunt, ex qua proinde pullulat *actus fidei*. Quin imo Quesnel sibi ipsi repugnat, dum contendens fidem non esse absque

amo-

amore in fide scilicet contento tanquam in suo germine; modo amorem asserit esse *ante fidem*.

Quo tandem ruit *Quesnel*? integrum lustrasse debuerat articulum, non impegisset sane in scopulum erroris. In illo ipso suæ continetur Propositionis Damnatio.

Recensitis actu primo, & secundo ad justificationem præviis, *conversione* scilicet *cordis*, & *actu fidei*, hi sequuntur actus: *Tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum à peccato retrahitur. Quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniæ consequendæ assumit propositum emendandi. Quintus actus est motus Charitatis* (id est, ut communius Thomistæ loquuntur, motus amoris benevoli) *quo alicui peccatum displicet jam non propter supplicia, sed propter seipsum, & quo peccator Deum*, ut ait Tridentinum sess. 6. cap. 6. *tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipit. Sextus actus est motus timoris filialis*, qui Charitatem habitualem includit, ut patet ex 2. 2. quæst. 7. artic. 1. *timoris servilis est causa fides informis, timoris filialis est causa fides formata, quæ per Charitatem facit hominem Deo adhærere*. En motum amoris actualis, seu benevoli *post* spem, sive fiduciam, non *ante*; proinde falsum est, fidem non esse absque amore, & fiducia. Fidem immediate sequitur *timor*, etiam in pœnitente, de gradibus enim pœnitentiæ hic ex professo tractat Angelicus, adeoque hæc famosa propositio *fides non est absque amore*, nequidquam se in omne latus versante *Quesnel*, justissime proscripta est.

Procedamus nunc ad Propositionem 68. quæ est hæc: *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus.*

Opposui: si via salutis claudatur, seu consistat *tota in fide, & precibus*, igitur non requiruntur ad salutem bona opera, quod est dogma Calvini jam dudum à D. THOMA prædebellatum 3. p. q. 8. art. 3. ad 2. *Fides sine operibus mortua est, ut dicitur Jacobi* 2. Sed hanc consequentiam vel non prævidit *Quesnel*, vel illa certe, ipso invito, ex propositione deducitur. *Propositio 68.*

Poteramne mitiores adhibere terminos? non arguo *Quesnellum* formaliter Calvinismi, sed indico seque-

lam Calvinismi vel non fuisse prævisam à *Quesnello*; vel illam certe, ipso invito (non enim vellet Calvinismum profiteri) ex propositione deduci.

Sane cum essentia hominis consistat in anima, & corpore, is erraret, qui diceret totum esse hominis contineri in anima, cum & corpus spectet ad essentiam hominis: cum igitur bona opera sint etiam necessaria ad salutem, male via salutis restringitur ad fidem, & preces, afferendo scilicet totum in illis consistere. Qui enim dicit *totum*, nihil amplius tanquam necessarium seu essentiale requirit.

Object. Imo, inquit *Quesnel*, in illis ipsis verbis: *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus*; comprehendo ego manifeste bona opera. Quis carpat verba Christi, qui Joannis 3. dixit: *sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum, non judicatur?* Enimvero Dominus sub fide complexus est reliqua ad salutem necessaria. Ita & ego: cur igitur verba mea in pari causa perstringuntur?

Resp. Non est par causa, sed latum undique discrimen. Audiatur Doctor Angelicus in citata verba Joan. 3. *Qui credit in eum, non judicatur*. Lect. 3. sic discurrens. *Nullus credens in eum fide formata non judicatur .... & ideo signanter non dicit Dominus, qui credit ei, sed qui credit „ in eum „, id est qui credendo „ in eum per Charitatem tendit; non judicatur „....* Unde *Jacobi* 2. dicitur, *ostende mihi ex operibus fidem tuam, & talis non judicatur*. Pariformiter intelliguntur tum hæc, *qui credit in filium, habet vitam æternam*. Ibid. v. 36. tum illa Joan. 6. *Hoc est opus* Dei, *ut credatis in eum, quem misit ille*, quæ nobis perperam objicit *Quesnel*: accipiuntur igitur præfatæ similesque authoritates de fide formata, quæ proinde bona includit opera: an vero Propositio *Quesnelli* præ se fert fidem *formatam*, bonorumque operum frugiferam?

Nobis quoque adstipulatur Augustinus eo ipso loco, quo citatur à *Quesnello* scilicet l. 1. quæst. ad Simpl. n. 19. & in psalm. 89. n. 17. *opus unum est*, inquit, *in quo sunt omnia: fides, qua „ per dilectionem operatur „*.

Nec

Nec adversatur (ut vult *Quesnel*, qui suis se iterum armis perimit) sed favet Eximius *Estius* commentans in hæc verba Rom. 1. 16. *Virtus Dei est in salutem omni credenti.... Evangelium*, ait, *salutem adfert omni credenti* hoc sensu, *ut fides intelligatur non qualiscumque, sed formata bona, & efficaci voluntate faciendi quod Evangelium præscribit*. Præscribit autem illud bona opera. Juxta hunc sensum explicanda sunt verba *Estii* num. 17. *expendantur quæ de fide disserit Apostolus* (Rom. cap. 3. 4. 9, 10. 11.) *his locis nusquam à fiducia, & bona voluntate eam* (*fidem*) *sejungit, tanquam hæc simul uno fidei nomine complectens*. Complectitur scilicet Apostolus hæc simul uno fidei nomine non qualiscumque, sed *formata*. An autem fides *formata* sincere colligitur ex verbis *Quesnelli*? an per ly *totum clauditur in fide*, designatur fides comprehendens bonam & efficacem voluntatem faciendi, quod Evangelium præscribit? Nonne potius idem est in substantia *totum clauditur in fide*, ac fides *sola* justificans *sectariorum*? sit mens *Quesnelli* à Calvino aliena: non solum mens, sed & verba ab illius sensu abhorreant, necesse est. Proinde præsens recte damnata est Propositio.

Restat modo libranda Propositio 86. his verbis expressa. *Eripere simplici populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*. *Propositio 86.*

D. THOMAS loco crebrius citato: scilicet 2. 2. qu. 10. art. 12. in corp. *Ecclesiæ consuetudo semper est in omnibus æmulanda*, modo autem non obtinet Ecclesiæ consuetudo, quod ab omnibus promiscue exerceatur Psalmodia, & vernaculum Rituale, ac Liturgia in Ecclesiis adhibeatur.

Monstra hic fingit *Quesnel*, quæ debellet. Damnatur hic, inquit, Psalmodia in nonnullis Europæ partibus præsertim in Galliis usitata, qua laici vocem suam jungunt voci Sacerdotum. An praxis illa contraria est praxi Apostolicæ & intentioni Dei? Nonne dixit Apostolus ad Ephesios 5. *Implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in Psalmis & Hymnis, & canticis Spiritualibus, cantantes, & Psallentes in cordibus vestris Domino*? nonne eadem repetit ad Col. 3. aliisque in locis? An *Object.*

magnus Dominus & laudabilis nimis hodie minor est; quam à tot evolutis sæculis? itaque præfatus ille mos expendi retinendus est.

Resp. Quam subdole procedit *Quesnel*! pro Psalmodia tanquam pro aris & focis dimicat: sed ecce (lustretur ars *Quesnelliana*) supprimit *Tò vernaculum Rituale, ac Liturgia in Ecclesiis*. Dixeram scilicet: *modo non obtinet Ecclesiæ consuetudo, quod ab omnibus promiscue exerceatur Psalmodia, & vernaculum rituale ac Liturgia in Ecclesiis adhibeatur*: Psalmodiam utique referendo ad *vernaculum Rituale*: ita ut sensus sit, *modo non obtinet Ecclesiæ consuetudo, quod ab omnibus exerceatur promiscue Psalmodia „ vernacula „*: omisi autem *Tò vernacula*, ne bis eodem verbo uterer. Nimirum collimat *Quesnel* ad Psalmodiam *vernaculam*, quemadmodum & Jansenistarum discipuli Missæ ordinem, etiam Canonem in lingua vulgari habere, & recitare consueverunt. Nonne passim apud mulierculas quoque libellus precum turget Missæ ordine à dextris Latina, à sinistris lingua communi expresso? quod vero *Quesnel talem* moliatur *Psalmodiam*, ex verbis immediate Propositionem præcedentibus colligi potest. *Docendi sunt simplices fideles laudibus, orationibus, & sacrificio Ecclesiæ per dispositionem cordis, & applicationem mentis sese jungere, „ æquum est, ut intelligant filii, quid mater faciat, & postulet pro ipsis, & quid ipsi cum illa faciant, & postulent „. Laus & oratio publica in Ecclesia est etiam pro simplici populo*. Tunc autem sequitur. *Eripere ipsi hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei*. Profecto ut vulgus fidelium apud Jansenistas ordinem Missæ contendit esse recitandum, & revera recitat idiomate sibi noto, quia alias *intelligere nequeunt filii, quid mater faciat, & postulet pro ipsis &c.* ita pariter urgere potest necessitatem officii celebrandi, adeoque & Psalmodiam exercendi lingua *vernacula*. Sine *illa* enim *nequeunt intelligere filii, quid mater faciat & postulet pro ipsis & quid ipsi cum illa faciant, & postulent*. Confirmatur id ex verbis sequentibus. *Laus, & oratio publica in Ecclesia* (lingua vulgari ob eandem rationem) adeoque & prædicta Psalmodia *est pro simplici popu-*

populo. Nonne ex verbis illis *Tò intelligere nequeunt &c.* eruitur etiam sequela *Liturgiam* adhibendi, & omnia denique in Ecclesia celebrandi lingua communi? nondum huc usque à Jansenistis, quantum didici, *talis* invecta est Liturgia, aut Psalmodia, sed *quid* illi machinentur, tum ex præfato Missæ ordine, tum ex hac Propositione non obscurè deducitur. Rectè igitur Propositio talium sequelarum mater damnata, rectè arbor cum radice, & fructibus præcisa est.

Hæc *cum moderamine inculpatæ tutela*. Tu interim, Pater *Quesnel*, utinam Vires exereres non ad alendas, sed sopiendas celebres controversias! ut incendium restinguas, te Christianè adhortor. Infallibili caput inclina Pontifici. Frustra appellatur ad *Concilium*. *Ad solam authoritatem summi Pontificis* (2. 2. quæst. 1. art. 10 in Corp.) *pertinet* „ *finaliter* „ (postquam omnia etiam in Conciliis resoluta sunt) „ *determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur* „. Alte etiam menti imprime Verba hæc Angelici in Suppl. quæst. 25. art. 1. *Ecclesia universalis non potest errare, quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro* (*super cujus confessione Ecclesia fundata est*) *Luca* 22. *Ego rogavi pro te, ut* „ *non deficiat Fides tua* „. Ecce *ideò* non potest errare Ecclesia, quia pro Petro oravit Christus, *ne deficeret Fides ejus*. Ideo igitur non deficiet Fides Ecclesiæ, quia *non deficiet Fides Petri*, ideo proinde Ecclesia est Infallibilis, ideò Concilium est infallibile, quia *Petrus*, quia Romanus Pontifex successor Petri Concilio Præsidens est infallibilis; incassum igitur provocatur de Pontifice ad Concilium, quod omne suum robur à solo Pontifice nanciscitur. Toties profiteris velle te sequi *Aquinatem*; hæc modò sectare dogmata: falli nescio te submitte (hæc ingemino) Ecclesiæ Moderatori. Frustra Constitutionis explicatio petitur, & urgetur ab eis, qui interius decreverunt illi non acquiescere, nisi quatenùs ista idearum, ac imaginationum suarum pruritui conformis erit. Ita sanè illi non Pontificem, non Ecclesiam, sed mentem suam propriam præjudiciis irretitam sectariorum more ut judicem Controversiarum constituunt. Si concederetur explicatio, nonnè rur-

Frustrà appellatur a Pontifice ad Concilium.

Frustrà petitur explicatio Constitutionis.

sus explicatio explicationis postularetur, atque ita procederetur in infinitum; non sic professo agendum est. Te celeberrimis accinge Universitatibus Lovaniensi, Duacenæ, Coloniensi, Salmantinæ, Conimbricensi, aliisque, quæ Constitutionem *Unigenitus* simpliciter, sincere, candide sine ulla explanatione summa veneratione amplexæ sunt & tutantur. Quod si renuas, attamen ex tot difficultatibus, spinis, aculeis, fluctibus emerget Pontifex, & de erroribus gloriosissime triumphabit. Ad Sedem *Petri*, ad hanc Petram omnes hactenus elisæ sunt, & elidentur Novitates.

FINIS.

ERRORES
Et Synopsis Vitæ
PASCHASII QUESNEL
PRESBYTERI GALLI,

Cujus 101. Propositiones

CONSTITUTIONE SS. D. N. Clementis Papæ XI. quæ incipit Unigenitus, per Ecclesiam Damnatæ, Sacris Literis, ac Doctrinæ SS. PP. opponuntur.

Accedunt Instrumenta Publicationum quibus eadem Constitutio per Europam est annuntiata.

PRÆFATIO.

Hujus Scripti Partitio, Occasio, & Finis.

QUatuor sunt, Lector Catholice, quæ hac scriptione tibi propono.

1. Summi Pontificis Doctoris Ecclesiæ Constitutionem Dogmaticam, qua gravissimum sensum, & definitionem Apostolicam de libro Paschasii Quesnelli, & Propositionibus ex eo libro excerptis, omnibus Christi fidelibus, exponit, atque annuntiat.

2. Ecclesiarum Testimonium; de Reverentia, Consensu, & obedientia præstitis Summo Pontifici, & de instituta ejusdem Constitutionis promulgatione.

3. Synopsim aliquam vitæ Paschasii Quesnel, ne de homine quem sæpius audis compellari, omnia prorsus ignores.

4. Propositiones ipsas Damnatas; iisque oppositas veritates & SS. Patrum authoritatem, ex quibus tu quoque apud te possis conficere, quam merito ea dogmata fuerint proscripta; suasque tulerint censuras.

Atque hoc quidem potissimum est, quod hic agere institui; qua in re hanc metho-

dum

dum sum amplexus, ut primo loco referrem Propositionem damnatam, tum contra adducerem ex Sacris literis testimonium, ex quo indicaretur, quid proscriptæ positioni contrarium esset asserendum, post quæ ultimo succederet authoritas alicujus è sanctis Patribus, quæ id, quod contra damnata allatum est, confirmaret.

Scito tamen, in hujus rei prosecutione, neque omnia, neque plura, neque multa, quæ huc facere possunt me adduxisse, sed ea solummodo, quæ ad propositum satis esse sum arbitratus, brevissimis, quantum res tulit, cujusque Propositionis perniciem indicasse contentus.

Fuit porro occasio hujus scriptionis, remittens sensim in multis sancta simplicitas, quæ inter Patriæ hujus Regionis utrasque vicinias, tamquam scyllam inter & charybdim misere est agitata: hinc cæca præoccupatio, luctuosa quidlibet effutiendi libertas, duræ cervices, erga Pastores Ecclesiæ irreverentia, error, contumacia, & vana scientia tamquam totidem piratæ Ecclesiarum harum naviculam quatiunt, & trahunt in diversa, quassatique ambulant in mirabilibus supra se, garrientes quæ non oportet, & judices fedent judicum suorum.

Quoniam igitur sapientibus, & insipientibus debitores sumus, paratique per Dei gratiam rationem reddere illius, quæ in nobis est fidei, visum est aliorum hortatu,

tatu ; ad hanc lucubrationem accedere.

Spes fuerat aliquando nihil ejusmodi fore necessarium, posteaquam Constitutione Apostolica, supremo judicio hæc causa fuerat finita.

Contra evenit: centum forte & amplius opuscula apud me servo, uno quadriennio divulgata, quibus solemnis hæc Constitutio impetitur, & oppugnatur. Horum authores, omnes & singulas Propositiones damnatas, veras esse contendunt, Sacris Literis, & SS. Patribus conformes, ac propterea ab omni censura liberas, atque immunes: quod quidem ea contentione ab iis actum esse conspicimus, quæ præteritorum Hæresiarcharum temeritati concedere non debeat.

Ipse Paschasius Quesnellus damnatarum Propositionum author, immanem adversus Apostolicam definitionem Protestationem edidit, magnum posteris monumentum, quo intelligere possint, quousque tandem superbientis hominis contumacia possit conscendere: illam proprio Q. charactere signatam apud me habeo.

Legerunt has excusationes in peccatis Gallico idiomate divulgatas, Agricola, Faber, & Latomus, omnis genii homines, garrula anus, leves, indoctæque puellæ, & contemptis superiorum gravissimis inhibitionibus ac censuris, illas suffragiis suis commendant, errores laudant, & quæ ab iis credi debuerat, spreta est veritas, eo qui-

dem

dem confidentius, quo sæpe Catholici ad manum non haberent, quo inanes versutias satis arguerent.

Finis, quem equidem in hac re mihi constitui, alius proximus est, alius ultimus: ille nempe, ut volentibus in promptu esse possit, quo se ipsis intelligant, nullam esse in damnatis hisce omnibus propositionibus, quæ non aliquam ex indicandis censuris merita fuerit, nullam esse ex his omnibus censuris, quæ non alicui, aut pluribus in iis Propositionibus justissima ratione debeat infligi, atque ut habeant fideles, quo Constitutionibus Apostolicis contradicentes possint redarguere.

Ultimus autem, est Deus ipse, ut Benedicentes Dominum, à quo summum donum sacrosanctam Fidem accepimus sine qua impossibile est placere Deo, quam Augustissimi Principes Nostri Austriaci exemplo suo; Coronæ & vitæ præhabendam esse docuerunt, servemus per Dei gratiam operibus vivam, charitate perfectam, donec sublato velo & ænigmate, visuri sumus nos ipsi, quæ credidimus.

SUM:

SUMMI PONTIFICIS
CLEMENTIS XI.
CHRISTI VICARII

Adversus errores Quesnellianos

Constitutio, & Definitio Dogmatica.

SAnctissimus Dominus Noster CLEMENS Papa XI. Constitutionem edidit, quæ incipit *Unigenitus Dei Filius:* hæc data fuit Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sexto Idus Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1713. ibidemque est publicata eodem anno 10. Septembris.

Hac Constitutione summus Pontifex iterum damnat Librum in plures Tomos distributum sub titulo *Le Nouveau Testament en Francois, avec des reflexions morales sur chaque verset* &c. *à Paris* 1699. Ac aliter; *Abrege de la morale de l'Evangile, des Actes des Apotres, del Epitres de S. Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalypse, ou Pensees Chretiennes sur le Texte de ces Livres Sacrez.* &c. *A Paris* 1693. & 1694. Quam damnationem orbi Catholico his verbis annunciat,

,, Eumdem propterea librum, utpote per dulces
,, sermones, & benedictiones, ut Apostolus loqui-
,, tur, hoc est sub falsa piæ institutionis imagine, se-
,, ducendis innocentium cordibus longe accommoda-
,, tum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscri-
,, ptum, Ubicumque, & quocumque alio idiomate,
,, seu quavis editione, aut versione hactenus impres-
,, sum, aut in posterum, (quod absit) imprimen-
dum, Authoritate Apostolica tenore præsentium i-
,, terum prohibemus, ac similiter damnamus, quem-
,, admodum etiam alios omnes, & singulos in ejus

,, de-

„ forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christi fidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Tum de hoc ipso præterea libro catholicos instruit in hæc verba: „ Perspicue novimus summam hujusmodi libri perniciem, ideo potissimum progredi, & invalescere, quod eadem intus lateat, & velut improba sanies, non nisi secto ulcere foras erumpat, cum liber ipse primo aspectu legentes, specie quadam pietatis illiciat, molliti enim sunt sermones ejus super oleum: sed ipsi sunt jacula, & quidem intenio arcu, ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Inde „ ex prædicto libro juxta supra, inquit, recensitas respective editiones fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas propositiones à compluribus in sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti, deinde vero coram nobis adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio quam maxima diligentia, ac maturitate, singulorum insuper Propositionum cum ipsomet libri textu, exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi & examinari curavimus.

Extractæ hæ Propositiones sunt centum, & una: de his summus Pontifex ita subjungit.

„ Auditis itaque tum voce, tum scripto nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, Divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes, & singulas propositiones præinsertas, tanquam falsas,
„ Captiosas, male sonantes,
„ Piarum aurium offensivas, scandalosas,
„ Perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas;
„ Neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates sæculi contumeliosas,

„ Sedi-

„ Seditiosas, impias, blasphemas,
„ Suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes;
„ Nec non Hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati
„ faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damna-
„ tas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, &
„ potissimum illas quæ in famosis *Jansenii* propositioni-
„ bus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fue-
„ runt, acceptis, continetur, manifeste innovantes, re-
„ spective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione de-
„ claramus, damnamus, & reprobamus.

Post quæ subnectitur in hæc verba.

„ Mandantes omnibus utriusque sexus Christi fidelibus;
„ ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare
„ aliter præsumant, quam in hac eadem nostra Constitu-
„ tione continetur. Ita ut quicumque illas, vel illarum a-
„ liquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit;
„ ediderit, aut de eis disputaverit, publice, aut privatim
„ tractaverit, nisi forsan impugnando; Ecclesiasticis Cen-
„ suris, aliisque contra similia perpetrantes à jure statutis
„ pœnis, ipso facto absque alia declaratione subjaceat.

Ex his certum est.

1. Summam esse hujus libri perniciem.

2. Causam perniciei esse speciem pietatis: sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis innocentium cordibus, librum esse longe accommodatum.

3. Fallacem esse libri doctrinam.

4. Continere pridem damnatos, & nove adinventos errores.

5. Continere pluries damnatas propositiones, ac demum etiam hæreticas. Et potissimum illas, quæ in famosis quinque Propositionibus Jansenii, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovari.

Testi-

„ damnées, mais encor toutes les autres erreurs du livre de *Jansenius* qui avoient été auparavant proscrites dans *Bajus* par les souverains Pontifes.

„ Nous y avons vu encor avec douleur au milieu de tant des dogmes pernicieux; le dernier excès où se porte enfin toute heresie soutenue avec opiniatreté, qui est de s'elever ouvertement contre l'Eglise. On ne se borne plus, comme on a fait si long-tems, à éluder ses Decisions par tant de fauxfuians, & de vaines subtilitez; on attaque enfin directement son autorité qu'on veut rendre inutile.

„ On entreprend de decrier sa conduite; on méprise ses excommunications, qui sont ses armes puissantes, & redoutables, que Jesus-Christ lui a mises en main pour abbatre toute hauteur, qui s'eleve contre la science de Dieu, & pour punir les desobeissans.

„ On apprend dans ce livre aux enfans rebelles, à ne pas les apprehender, & à persister dans leur desobeissance; on ne parle sur cela que de persecution, d'injustice, d'entetement, d'obstination de la part de Pasteurs, à ne

ne alii errores, quibus scatet Liber Jansenii, jam antea in Bajo a Summis Pontificibus proscripti.

Nos ibi cum animi dolore vidimus pariter inter tot perniciosa dogmata, extremum nefas, quò tandem prorumpit qualibet obstinatè propugnata hæresis, insurgendi nimirùm apertè contrà Ecclesiam. Non ampliùs se continet ut tamdiù fecit, in eludendis illius decisionibus per tot cuniculos, & vanas subtilitates; impetitur denique directè ipsius authoritas, quam studet reddere inutilem.

Ejus regimini conatur derogare: contemnuntur ejusdem excommunicationes, nempe tela valida, & formidanda, quibus Jesus Christus ipsius manum armavit, ut quamlibet elationem sese contra Dei scientiam extollentem prosternat, & ut de Refractariis pœnas sumat.

Docentur in eo Libro rebelles Filii ne illis commoveantur, utque in propria contumacia persistant. Nullum desuper verbum fit, quo non traducantur Pastores persecutionis, injustitia, pervicacia, obstinationis, quasi nihil ibi velint examinare, nec reco-

„ vouloir, ni rien examiner. „ ni reconnoitre qu'on s'est „ trompe : C'est la verite „ qui est persecutee dans la „ personne des Predicateurs, „ & de ces disciples. On „ ose donner ce nom à ceux, „ que l'Eglise juge dignes de „ ses censures, pour ne vou- „ loir pas obeir à ces deci- „ sions ; & ce qu'elle a si ju- „ stement ordonne contre „ eux pour la signature du „ Formulaire, ce qu'on ap- „ pelle dominer sur la foi „ des fideles, multiplier les „ occasions des parjures, dres- „ ser les pieges aux foibles, „ & aux ignorans, etre con- „ trarie à l'esprit de Dieu ; „ & à la doctrine de Jesus- „ Christ.

gnoscere fallacias, in quas inciderint. Dicit ipsam Veritatem vexari in persona Prædicantium, eorumque discipulorum; hujusmodi enim nomine audet appellare, quos Ecclesia dignos judicat suis censuris, quia nolunt parere ipsius Decretis, & mandatis adee justè contra eosdem statutis per Signaturam Formularii ; quod dicitur nihil aliud esse, quam in Fidem Fidelium exercere dominatum, perjurius occasiones multiplicare, tendere pedicas infirmis, & ignaris, Dei Spiritui, & Jesu Christi doctrinæ adversari.

Hæc de illo libro enunciavit Clerus Gallicanus in litteris Conventus Parisiis inchoati 18. Octobris 1713. datis ad omnes Galliarum Episcopos absentes, & quibus præsentium nomine subscripsit Eminentimus *de Rohan* Episcopus Argentinensis Præses, & de mandato Conventus, Abbas de *Broglie* Agens generalis Cleri, & Secretarius, Februarii 1714.

Tum præterea magis sigillatim de ipsis Propositionibus à S. P. damnatis, & ex eo libro excerptis, in hunc modum testatur.

„ Mon-seigneur le Cardi- „ nal *de Rohan*, qui avoit „ porte la parole au nom de „ Mes-seigneurs les Com- „ missaires, prouva invinci- „ blement, qu'il n'y avoit „ aucune des Propositions „ condamnees, qui ne meri- „ tat quelqu'unes des qua-

Eminentissimus Cardinalis de Rohan, *qui ex mente Dominorum Commissariorum verba fecerat, invictè probavit, nullam ibi damnatarum Propositionum existere, quæ non merita sit aliquas ex qualificationibus, quæ pluribus, aut nonnullis ex Propositionibus*

lis-

„ lifications, qui ne put tomber justement sur plusieurs, ou sur quelqu'unes des Propositions Censurées.

censura notatis infligi potuerunt,

Singula hæc ad Episcopos absentes transcripserunt 1. Martii 1714. Agentes Generales Cleri Gallicani, Abbas *du Cambout*, & Abbas *de Broglie*.

Eminentissimus *De Noailles* Archiepiscopus Parisiensis; Archiepiscopus Turonensis &c. apud Regem Christianissimum, datis ad eum litteris 14. Januarii 1714. affirmat in hæc verba.

„ Il n'y a entre nous aucune contestation sur la verite de la foy. Nous sommes tous d'accord, de condamner non seulement les Heresies proscrites dans les V. fameuses Propositions tirees du livre de *Jansenius*, mais encor toutes les autres erreurs, que nous croions, que le Pape a condamnees par la Constitution...

Nullum inter nos versatur dissidium de Fidei veritate. Omnes convenimus in damnandis non solum hæresibus proscriptis in quinque famigeratis Propositionibus ex Jansenii Libro extractis; sed etiam omnibus aliis erroribus, quos Summum Pontificem damnasse credimus per suam Constitutionem...

„ V. M. verra par l'acte meme, que nous addressons aux Prelats, que notre resolution a toujours ete de proscrire dans nos Dioceses le livre des Reflexions: & nous nous y sommes portez d'autant plus volontiers, que par cette condamnation, nous nous unissons avec le Pape dans le principal object de sa Constitution....

Ex ipso actu, quem Prælatis dirigimus, Majestas Vestra videbit, nobis semper statutum fuisse proscribere in nostris diœcesibus Librum Reflexionum: & eò tantò libentius processimus, quia per hujusmodi damnationem unimur Summo Pontifici in præcipuo objecto ipsius Constitutionis...

„ Nous vous protestons, *Sire*, avec une entiere sincerite, que nous n'avons

Vobis, Rex, protestamur tota animi sinceritate, non minus zeli nobis inesse ad dam-

„ pas moins de zele pour condamner tout ce qui sera capable de favoriser, ou de renouveller l' Heresie de Jansenius.

nandum quidquid capax erit favendi Jansenii heresi, aut eam renovandi.

Idem Eminentissimus de Noailles ante inchoatum tunc Cleri Gallicani Conventum, concessam forte alias libro illi Approbationem, intellecta libri condemnatione Pontificia, continuo revocavit, & publico mandato ita enuntiat.

„ Aiant appris que notre S. P. le Pape juge digne de Censure le livre du *Nouveau Testament* &c. nous ne pouvons souffrir que notre nom paroisse d' avantage à la tete d'un ouvrage que sa Saintete condamne. Ainsi nous ne voulons pas perdre un moment à revoquer l' Approbation, que nous lui avons donnee dans un autre Diocese, ou nous le trouvames autorize par notre Predecesseur, nous nous sentons egalement pressez d' acquitter la promesse que nous avons faite d'etre les premiers à abbandonner ce livre dès que le Pape le condamneroit, & de satisfaire à l' obligation, où nous sommes par toute sorte de raisons, de temoigner notre respect, & notre soumission pour le Chef visibile de l'Eglise.

Cum intellexerimus, a S. P. nostro Papa dignum censura judicari Librum: du Nouveau Testament &c. *nullatenus pati possumus, nostrum nomen ampliùs apparere in prima fronte Operis, quod Sua Sanctitas damnavit. Nolumus proinde ulterius ne per momentum quidem immorari, quin revocemus approbationem, quam ei in alia concessimus diœcesi, ubi ipsum invenimus munitum authoritate nostri Predecessoris: non minori stimulo incitamur ad prastandam promissi fidem, qua nos obstrinximus, ut praeamus nimirum omnibus in derelinquendo hoc Libro statim ac a Papa damnatus foret; & ad satisfaciendum debito, in quo ex quacumque ratione versamur, testificandi nostrum obsequium, ac nostram submissionem pro Capite Visibili Ecclesia.*

„ A ces causes nous avons revoque, & revoquons l'

His de causis revocavimus; & revocamus approbationem

Ap-

„ Approbation, que nous avons donnee au dit livre, „ le condamnons, & defendons à tous nos Diocesains „ de le lire, & de le garder, „ leurs ordonnons d'en porter „ les exemplaires au Greffe de „ notre present Mandement „ publie, & affiche par tout „ où besoin sera, & lu dans „ toutes les Communautez, „ Seculieres, & Regulieres, „ d'hommes, & de Filles. „ Donne à Paris en notre Palais Archiepiscopal le 28. de „ Sept. 1713. Signé L. A. Card. „ *de Noailles* Ar. de Paris : & „ infra, par son Eminence, „ *Chevalier*.

a nobis prædicto libro concessam, illum damnamus, cunctisque nostris diœcesanis ipsius lectionem, & retentionem interdicimus, eis præcipiendo ut afferant ejusdem exemplaria ad Officium nostri Tribunalis: nostrumque hoc præsens mandatum publicari, & affigi volumus ubicumque opus erit, ac legi in omnibus Communitatibus Sæcularibus, & Regularibus tum masculorum, tum Fœminarum. Datum Parisiis in nostro Palatio Archiepiscopali, die 28. Septembris 1713. Signatum. L. A. Card. de Noailles, *Ar. Parisiensis*, & infra, *Pro sua Eminentia*, Chevalier.

Ex his constat, testimonio Cleri Gallicani.

1. In eo libro esse spiritum seductionis, & multiplicem fallaciam.

2. Inveniri hæreses V. Propositionum; & alios errores libri *Jansenii*, ante in *Bajo* damnatos.

3. Apertam oppugnationem Ecclesiæ, & authoritatis illius; quam studet reddere inutilem.

4. Doceri in eo contemptum excommunicationum, armorum à Jesu Christo concessorum.

5. Justissima Ecclesiæ statuta de subscriptione *Formularii* traduci tamquam contraria spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi.

6. Nullam esse Propositionem damnatam, cui non aliqua Censura conveniat ex iis, quæ sunt in Constitutione proposita.

Ad Belgium vero quod attinet.

Constitutionem Apostolicam in singulis Ecclesiis suis more Majorum annuntiarunt Reverendissimi Episcopi, aut, ubi Sedes vacavit, Ampl. Vicarii hoc ordine temporis, quem subjungo.

Ferdinandus Episcopus Namurcensis, Namurci, Octava.

Vicarii Sede vacante Ecclesiæ Iprensis, Ipris, Nona.

Petrus Vicarius Boscoducensis in *Pasbrugghe*, Duodecima.

Fr. Angelus Episcopus Ruremundensis, ibidem Decima nona.

Philippus Erardus Episcopus Gandavensis, Gandavi Trigesima.

Omnes mense Majo anni 1714.

Petrus Josephus Episcopus Antverpiensis, Antverpiæ 30. Junii.

Joannes Franciscus Episcopus Tornacensis, ibidem 2. Julii.

Vicarii Sede vacante Ecclesiæ Brugensis, ibidem 7. Julii.

Vicarius Sede vacante Ecclesiæ Mechliniensis primum 9. Julii.

Tum iterum 13. ejusdem mensis, omnes item eodem anno 1714. singuli, qua par est reverentia, atque religione, Summi Pontificis Constitutionis Dogmaticæ, pure ac simpliciter receptæ observantiam gregi sibi commisso pro officio suo inculcantes.

Nos Belgæ per Dei gratiam articulum habemus Divino juri conformem, qui est inter editos à Facultate Theologica Lovaniensi, & Principum Edictis insertos, numero vigesimus tertius, ille sic habet:

Unus est in Ecclesia summus Pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium controversiæ, quæ super Fide, & Religione existunt, sunt referendæ: his articulis dissonum aliquid, evulgari, proponi, vel sustineri, subditis suis omnibus ibidem vetuit *Carolus Quintus* 14. Martii 1544. cui statuto inhærens illius veram causam subjungit *Tuldenus* L. 1. Cod. T. 3. *non enim Pontifex tamquam Præses vel Consul in Senatu est, sed tamquam Rex in Concilio: quia Ecclesiæ Regimen non est Aristocraticum, sed Monarchicum:* vide si placet *Michaelem Mauclerum* Doctorem Sorbonicum in opere *de Monarchia* parte 2. lib. 1. cap. 6. ibi sic scribit „ Ecclesiæ Principatum atque „ Regimen non esse Monarchicum, sed Aristocraticum per„ tinaciter asserere hæreticum est, Cum expressum Dei ver„ bum, Concilia œcumenica, doctrina SS. PP. contrarium

„ do-

„ doceant„ ad calcem addit hoc Votum „: tantum pro con-
„ clusione opto, & Divinæ Clementiæ vota fundo, ut hujus
„ doctrinæ perniciosæ fautores, & assertores, suos agnoscant
„ errores, & agnoscendo vere pœnitentes execrentur, ne in
„ æternum cum sua pertinacia sine misericordia pereant.

Est siquidem (ut hanc rem paucis absolvam verbis sancti Bernardi lib. 1. de Consideratione cap. 8.) „ Summus Ponti-
„ fex Sacerdos magnus, Princeps Episcoporum, hæres Apo-
„ stolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu
„ Abraham, Ordine Melchisedech, dignitate Aaron, Au-
„ thoritate Moyses, judicatu Samuel, potestate Petrus, un-
„ ctione Christus.

SYNOPSIS VITÆ PASCHASII QUESNEL PRESBYTERI GALLI.

Paschasius Quesnellus, loco, & familia tenuibus natu Parisiis in Paræcia Divi Benedicti, in ea Ecclesia est Baptizatus 15. Julii 1634. Instructus humanioribus disciplinis, ac forte aliis, anno 1657. adscriptus est Oratorio, cujus institutio Authorem habet Eminentissimum Berullum S. R. E. Cardinalem, quod aliud est ab eo, cujus Fundatorem Ecclesia colit Sanctum Philippum Nerium. In eo Oratorio studiis vacavit, edidítque Parisiis anno 1676. dissertiones ad S. Leonis Magni opera. Hoc opus Quesnelli Romæ damnatum est 22. Junii 1676. Damnationis decretum affixum est 27. Julii. Decretum illud Quesnellus his notis suis perstrinxit. Ait *Decretum* non esse, sed *libellum famosum*, contrarium legi Dei, & bonis moribus. Ait Congregationem, à qua emanavit, non posse appellari *Sacram*, non esse institutam à Sede Apostolica: addit *Decretum* continere falsa, imposturas, schismata, spiritum cabalæ, & odii diabolici, & quæ præterea non vacat excerpere.

In damnato eo opere fundamenta jecit eorum, quæ post tanta sollicitudine disseminavit. Evicit hoc solide *Christianus Lupus* ex Ordine S. Augustini in Univers. Lovan. Doctor Theol. idque cum anno 1681. paucis ante obitum mensibus (vivere desiit eo anno 2. Julii) librum edidit, quem adversus Quesnellum *de Appellationibus* inscripsit. Ibi demonstrat eum diserte, ac dilucide profiteri schisma *Eusebianum*, invadere Sanctum Leonem, multis verborum phaleris sensus sucs obducere, alia mutuari ex damnatis libris, & pridem authoritate Apostolica graviter proscriptis.

Comitia Oratorii habita sunt anno 1678. mense Septembri: in His sessione VI. quæ incidit in diem 26. ejusdem mensis Conventus statuit.

Qu'elle

Qu'elle ne defend d'enseigner, que celles doctrines qui sont condamnees de l'Eglise, ou qui pourroient etre suspectes des sentiments de *Jansenius*, & de *Bajus* pour la Theologie.

Ipsum non prohibere nisi ne tradantur doctrinæ ab Ecclesia damnatæ, aut quæ possent esse suspecta de sensibus Jansenii, & Baji quoad Theologiam.

Formula exinde de doctrina; quæ tradi posset, quæ rejici deberet, Patrum auctoritate concepta est. Hæc *Formula* volente Rege, adnitente Archiepiscopo, de mandato Congregationis, & Superiorum, ad omnes domos transmitti debuit, cui Oratorii subditi subscriberent: vetabat ea *Formula* aliquid propugnare, quod Summi Pontifices damnassent in libro *Jansenii*, aut antè in *Bajo*. Sensim a Novaturientibus sparsa, hujus *Formulæ* necessitatem induxerant, eo enim deducta res erat, ut literis suis Congregationis *Assistens P. Thorentier* testatus fuerit in hæc verba.

Toute la Congregation fut toute etonee de se trouver Janseniste par cette declaration.

Totus Conventus obstupuit; se esse Jansenistam per hujusmodi declarationem.

Huic grassanti morbo remedium *Formula* objectum est; quæ, ut ait ibidem.

Defend sincerement d'enseigner le Jansenisme condamne par les Souverains Pontifes, par les Eveques, par les Universitez, par les Communautez, par l'autheur meme du quel il prend son nom.

Sincerè prohibet, ne doceatur Jansenismus damnatus a Summis Pontificibus, ab Episcopis, ab Universitatibus, a Communitatibus, ab ipso Authore, a quo nomen desumit.

Quesnellus nulli Superiorum suorum hic obedivit; non Regi, non Archiepiscopo, non Congregationi. *Formula illa*, inquit ipse in epistola ad R. P. Henricum Noris postea S. R. E. Cardinalem, *me professo suffragatorem habere numquam potuit*. Invitavit eum paternis litteris nomine Congregationis *P. Bebier*.

„ L'On vous conjure, mon „ Reverend Pere, par l'a„ mour, que vous avez tous„ jours eu pour la Congre-

Te, Reverende Pater, obtestamur per amorem, quo semper Congregationem prosecutus es, ne ejusdem testimo-

„ ga-

„gation, de ne lui en refuser „pas cette marque, en cette „occasion, & de ne donner „pas à nos RR. PP. qui vous „aiment, la douleur de voir, que vous fussiez le „seul, qui eut refuse de se „soumettre.„

nium ei deneges in hac occasione, & ne inferas nostris Reverendis Patribus, qui te magnifaciunt, & diligunt, dolorem in videndo, te unicum fuisse qui sese submittere recusaverit.

Sed tum jacta erat alea, & tanta authoritate, tam gravi consilio propositam *Formulam* Quesnellus scriptis suis cœpit impetere, tum illo, cui initium est *le non du Roy*, tum epistola ad Illustrissimum *de Camus* Ep. Gratianopolitanum, post S. R. E. Cardinalem.

„On ne devoit rien attendre de bon (*ait ipse*) d' „une procedure si etrange, „& on n'a pas du etre surpris, quand on a trouve „dans ce escrit tant de choses contraires à la raison, „a la verité, & à la bonne „conduite.

Nihil boni (ait ipse) *expectandum erat ex operandi processu adeò extraneo, nec mirandum fuit cùm in hoc Scripto tot res reperta sunt rationi, veritati, ac bono regimini adversantes.*

„Quand on vient a considerer en detail totus les articles de ces Statuts, qui regardent la doctrine & la „paix de l'Eglise, on y trouve tant de choses prejudiciales à l'une, & à l'autre, „que l'on est surpris, que des „persones d'ailleurs tres eclairees sojent persuadees, „qu'on puise en conscience „y prender parti par une „souscription authentique.

Si consideratione ad suam ideam revocentur omnes articuli horum statutorum, qua Ecclesiæ doctrinam, & pacem respiciunt, tot ibi res inveniuntur utraque prajudiciales, ut stupor sit, Homines mente alioquin lucidissima praditos, sibi persuadere, si posse salva conscientia, ire in subscriptionem authenticam.

Superiores Oratorii paternis curis experti se nihil proficere, ad alia se converterunt. *Primum* (ita de se narrat Quesnellus) *domo Parisiensi abire jussus, Aureliam ad Ligerim secedere compulsus sum.* Altero post triennio, annó 1681 Parisiis triennalia Congregationis Comitia sunt habità, in iis prolata sunt Regia mandata, quibus jussi sunt omnes

pro-

proprio chirographo *Formulam* munire, ejusque doctrinam ex professo amplecti. Edictum per Provincias missum est, mandata Visitatoribus data sunt illud exequendi: Omnes ad eam necessitatem adducti sunt, ut vel obtemperarent, vel quasi Regiis jussis rebelles è Congregatione pellendi ad extremos Regni limites ablegarentur, aut pejus aliquid experirentur. *Ut utrique*, inquit de se, atque de eo tempore scribens Quesnellus, *necessitati me subducerem, meum, amicorumque consilium fuit*.

Arnaldus sub hæc è Gallia profugus asylum in Belgio quæsivit, invenitque Bruxellis, quo advenit mense Junio anno 1679. tum anno 1682. *Delphis* in Beginasio hospitium habuit cum *du Vaucel*, qui postea Romæ *Vualloni* est nuncupatus. Ibi cubiculum concessit *Domino Gerberonto*. Proripuerat is se eo anno è Gallia, ut ministrorum manus evaderet, qui Regio jussu eum ad carcerem requirebant. *Quesnellus* consiliis suis auscultans, *Aurelia*, quo pulsus fuerat discessum paravit, ut Regiæ justitiæ se subduceret „ 8. Februarii (ita ipse scriptum reliquit) *Aurelia* relicta, hora post meridiem circiter 2. *Carnutum* veni die sabbathi; „ Inde feria 2. iter Parisios arripui, illuc adveni postridie; „ Ubi dies 4. commoratus die sabbati Februarii 17. Carissimam „ patriam relinquens, & viam Belgii ingressus, per novem „ dies itinere confecto, Bruxellam attigi die Domin. Sexagesimæ, Februarii 25. 1685. quo pariter pervenit Carissi„ mus frater meus die Domin. subsequente 4. Martii. „ Hæc admodum distincte, forte ne minimum subsidium à calamo memoriæ suæ prætermitteret, scribit enim alibi, nescio qua fide.

J'ai tousjours eu une fort miserable memoire, que l'age ou je suis n'a garde de rendre meilleure.	*Ego semper infelici admodum memoria usus sum, quam mea præsens ætas non est redditura meliorem.*

Bruxellis Arnaldo Socium se adjunxit, in humili domuncula in abdita platea, ibi, ut meminit apud *Norisium*, „ sic „ privatam vitam institui, ut à solito hominum commer„ cio segregatus locum vix paucis amicis notum, paucio„ ribus pervium hactenus incoluerim. „ Ut lateret securius vestem gerebat modo Oratorii, modo Gallici, ut ajunt, Abbatis, nonnumquam etiam laicam. Nominibus tum, ac post variis est appellatus, quorum hæc fere ma-

gis

gis sunt obvia. *Le Pere Prieur. Le P. Provincial des Augustins. Mr. de Fresne. Mr. Frekerbergh. Le Baron. de Rebeck. Madame Quesnel, Mr. du Puis.* Hæc omnia unum illum Paschasium significant.

Quinquennio latitarunt ambo securius. Cum mense Aprili 1690. de ipsis innotuit Marchioni *de Castanaga*, cujus mandato, Belgio jussi sunt exire; accepimus, inquit *Arnaldus*, *Commandement de nous retirer:* Quesnellus aliter narrat;

„ Le Marquis de Castanaga „ (ait ipse) sans donner aucun ordre, de nous retirer, „ fit seulement dire fort honnetement a M. Arnauld, qu' „ il ne pouvoit plus lui accorder sa prodection.

Marchio de Castanaga (ait ipse) nullo dato mandato ut abiremus, solum fecit ut perhumaniter significaretur Domino Arnaldo, se non amplius eidem suam protectionem accomodare posse.

Nihil hi ambo cunctati, e Belgio iter susceperunt in Hollandiam, ac 20. Aprilis Lugdunum Batavorum appulerunt, eo consilio, ut excepti à Domino *Van Hueffe* ea vespera, nocturna cymba *Delphos* veherentur, pernoctaturi apud Dominum *Van Erckel*. Timor tamen benevolos receptores statim invasit, ne de hospitibus innotesceret: Igitur ad amicum *Ernestum* continuo *Arnaldus* perscripsit.

Il n'y a point de tems à perdre, il faut travailler à nous trouver un giste ou à Bruxelles, ou à Mastricht, car je ne croi pas que nous puissions demeurer long-tems icy.

Nulla mora superest: curandum est ut nobis paremus hospitium aut Bruxellis, aut Trajecti: diu enim ut credo, hic permanere non possumus.

Tum quatuor iterum post diebus 19. Aprilis:

Nos embaras croissent tous les jours. Nous incommodons nos hotes, & ils sont assez entendre qu'ils serojent biens aises, que nous ne fussions plus icy: ce n'est pas manque d'affection, mais par ce qu'ils ne sont pas maitres de leurs apprehensions. Ils se plaignent du grand nombre, & il semble que nous serons obligez de nous separer.

Nostra cura in dies crescunt. Nostris hospitibus incommodi sumus, iique satis aperte innuunt, sibi valde placiturum si amplius hic non essemus. Hoc tamen non est ex defectu affectionis, sed quia suarum apprehensionum non sunt domini. Queruntur ipsi de magno numero, nobisque imminere videtur, ut ad separationem inter nos devenire debeamus.

In-

Inter molestas has curas ambo animis redibant Bruxellas, quare Arnaldus iterum *Ernestum* sollicitat 20. Aprilis in hæc verba:

Dans la deliberation, que l'on fera sur notre retour il seroit bon de considerer ce qu'il y a raisonablement à craindre. Au cas, que par malheur nous fussions decouverts; seroit-ce la prison, ou seulement un commandement reiteratif de nous retirer? si ce n'etoit que ce dernier, je ne mettrois pas en doute, qu'il ne fallust retourner. Or il n'y a gueres d'apparence, que ce fut la prison. Car à quoi cela abouteroit-il? si neanmoins cela etoit à apprehender, il y auroit plus de choses à peser. Mais il ne laisseroit pas d'etre douteux, si en se tenant bien cache, on ne pouroit pas s'exposer à une chose, qui apparament n'arrivera pas. Comme j'ai fait pendant la persecution, ou je ne suis pas sorti de Paris quoi que je me dusse attendre, qu'on m'auroit mis à la Bastille, si on m'eut decouvert. Apres tout, vous vojez les choses des plus pres que nous: ainsi apres avoir pris conseil avec Mr. *Naveus* & si cela se pouvoit avec Mr. *Fleury*, nous nous rendrons à ce qui sera determine.

In deliberatione capienda de nostro reditu, expediens erit considerare, quid exinde rationabiliter timendum sit. Si forte adversa detegamur, carcerne nobis impendebit, an tantummodo iteratum præceptum abeundi? Si hoc ultimum, nullatenus dubitarem quin redeundum foret. Parum autem verisimilitudinis apparet, futurum carcerem: quo enim hoc tenderet? Si nihilominus istud apprehendendum esset, multa forent desuper perpendenda. Sed non desineret esse dubium, an diligenter latitando non possimus subjacere rei, quæ apparenter non eveniet: Quemadmodum feci tempore persecutionis, quo Parisiis non exivi, quamquam expectare deberem, me, si detexissent, Bastiliæ immittendum. Post hæc omnia vos propius quam nos rerum statum intuemini, adeòque postquam consilium inieritis cum Domino Naveus, *& si fieri poterit, cum Domino* Fleury, *nos vestris determinationibus adhærebimus.*

Bruxellense illud consilium, quod è propinquo acutum magis cernebat, noluit eos in hanc urbem redire, & tan-

tis periculis se exponere, suasit proinde, ut se proriperent in ditionem Leodiensem. Huic consilio acquieverunt: ac primò itum est ad Castrum Loci, quod *Jehas* est appellatum, hic sparsum est conciliabulum ibi celebrari: itaque ipsi se iterum in pedes: paulo post Leodium advenerunt: Hinc nunciabant 20. Augusti.

Nous sommes dans une petite maison, d'où nous ne sortons point du tout, & où personne n'ose nous venir voir, hors deux ecclesiastiques, qui avoient accoûtume d'y venir auparavant, de peur que cela ne nous decouvre.

Nos in parva domo moramur, unde penitus non egredimur, & quo nemo audet accedere causa nos invisendi, exceptis duobus Ecclesiasticis, qui antea solebant venire: timent enim ne propter hoc detegamur.

Tandem tædio victi, post sex menses periculum jactationibus postposuerunt, Bruxellis ad latebras suas reduces.

Hic integro quadriennio pedem ædicula sua non extulérunt. *Arnaldus* anno 1694. 8. Augusti vivere desit quadrante post 12. nocturnam, postea quam extrema Sacramenta ei pridie sua authoritate administrasset *Quesnellus*; qui post obitum *Arnaldi* eamdem solitudinem tenuit, quod ipso Autore didicimus.

Etant revenu, *inquit*, six moix apres, il est vrai, que durant les 4. annees que *Mr. Arnauld* survequit, nous ne sortimes point du tout lui & moi, de notre tres petit logis, & que je continuas à peu prés de garder la meme retraite dans la suite.

Cum, inquit, post sex menses redierimus, verum est spatio quatuor annorum, quo Dominus Arnaldus inter vivos remansit, neque ipsum neque me fuisse unquam egressum ex nostro angustissimo hospitio, me quoque successive perstitisse in hujusmodi fere latebra servanda.

Sociis tamen non caruit in ea eremo, constantiorem ferré habuit *Arnoldum Josephum de Brigode*, quocum symbolum conferebat ad rem familiarem.

Anno seculari 20. Octobris Ill. Archiep. sententiam tulit in *P. vam Hamme* Berulliani Oratorii Sacerdotem sæpius monitum, neque cessantem prohibita divulgare, & augere suspicionem non sanæ doctrinæ: hæc res male habuit delitescentes; & timor ipsos cœpit invadere: multa subinde de *Gerberonio*, de *Quesnello*, de *Brigode* à Catholicis relata sunt ad Archiep.

Hic

Hic adversus eos accusationem Romæ instituit anno 1701. *Quesnellus* ex Urbe monitus est, consuleret sibi, opportunum fore, si Bruxellis discederet, sed hic domicilium solummodo mutavit, non urbem.

Interea Archiep. *Humbertus Guilelmus*, multis sæpe, ac probe instructus, matureque omnibus libratis, tandem officio suo Decretum concessit, tres illos peregrinos perturbatores in Palatio Archiepiscopali Bruxellis sequestrandi, quod ut facilius executioni demandaretur, negotium Regi Catholico expositum fuit, imploratumque Brachium more Majorum: Rex pro avita pietate Brachium protendit, & mandatum propria ipse manu expedivit ad Marchionem *de Bedmar* tum Belgis Præfectum, qui præstita opera Archiepiscopali ministerio singulos comprehendit.

Primus in manus devenit Domnus *Gabriel Gerberon*, inter suos dictus *Kergrè* ex Ordine S. Benedicti Abbatiæ Corbiensis, olim Subprior & Professor S Theol. sub veste laica in extrema urbis parte delitescens, ductusque est ad Palatium Archiepiscopale, ibidem in cubiculo segregatus.

Quesnellus, & *Brigode* se ambo forte receperant in partem aliquam refugii Monialium *de Foresto*, ut appellant, vulgò *Vorst*. Ibi adventantibus ministris januam aperuit *Brigode*, rogatusque, num ibi esset *P. Quesnel*, primum hic anxius tergiversari, tum jussus cubicula pandere, strepitu clamoribusque monuit *Quesnellum*; qui rem, ut erat, subodoratus, continuo clam e domo se proripuit. *Arnoldus Josephus de Brigode* in Palatium Archiepisc. translatus est. Dum interim ministrorum aliqui in refugio illo persistunt, *Quesnellus*, qui evaserat, rediit, & præter ac speraverat, incidit in manus, quas prætergressus, ut erat veste laica in primis ignotus, latebras anxius quæsivit in aperto forte cubiculo, ubi retro repagulum ad dolium quoddam se abdidit, inventus, jussusque rhedam conscendere, in omnem partem se misere torsit, tum rogatus, an non ipse esset *P. Quesnel*, respondit se nuncupari *D. Rebeck*, neque de alio nomine ibi fassus est umquam; suum erubuit constanter, avectus est tamen, & post *Gerberonium*, ac *Arnoldum de Brigode*, ipse tertius 5. Maii feria 4. post Festa Pentecostes 1703. sequestro donatus est in cubiculo Palatii Archiepiscopalis.

„ J'avois toutes les facilitez „ possibles, *inquit Quesnel*: „ lui,

Mihi aderat, inquit Quesnellus, *omnis ratio facillima*

„ *lus*, pour echaper à ceux „ qui venoient pour me prendre, & je leur avois en effet „ echappe en sortant du logis, „ mais Dieu me ramena, & „ me jetta pour ainsi dire „ lui meme dans leurs mains.

evadendi ex manibus eorum; qui ad me comprehendendum veniebant, & ipsa re evaseram proripiendo me ex hospitio, sed Deus me retraxit, & ipse, ut ita dicam, eorum manibus objecit.

Statim initio, in cubiculo in quo Quesnellus quiescebat; calamo destitutus, & atramento, plumbum a fenestris mutuavit, confectoque stylo plumbeo, linteaminibus, quæ forte extradebat, ratus in amicorum, aut conducti hominis manus esse consignanda, schedulam studiose implicuit; huic inscripserat.

„ Pour Monsieur Ernest „ Chanoine de St. Gudule.

„ Ne soiez pas en peine de „ moy, je suis loge de bel air „ sur la Cour des ecuries: une „ fenestre regarde sur le jar„ din d'une hotelerie ou au„ berge, qui est entre l'Ar„ chevecke, & les Domini„ quains. Voila tout ce, que „ je puis vous dire n'aiant ni „ plume, ni papier. Tout à „ vous &c.

Domino Ernesto, Canonico de S. Gudule.

Ne tibi negotium facessas de me. Amana detineor habitatione in ea parte qua imminet atrio Equilium: ex una fenestra patet prospectus in viridarium caupona, seu diversorii, quod est inter Archiepiscopatum, & Dominicanos. *Ecce quidquid tibi significare possum, cum mihi desit calamus, & papyrus. Totum me tibi addico.*

Posteaquam *Quesnelli* confederatis innotuit, quo loco ipse asservaretur, singulari, & flagitioso attentato, vi perforato, effractoque loci pariete, *Quesnello* in proximam domum aditus est apertus, quem simul ac nactus est, evasit:

„ Enfin, *inquit ipse*, le trou „ ne put etre fait, que fort pe„ tit, en sorte qu'on a peine à „ concevoir coment j'y a„ vois pu passer, tout petit, „ que je suis. Mais toutefois „ Dieu m'en tira par les ma„ ins de deux persones que je „ ne connoissois point, com„ me *David* tiroit sa brebi de

Tandem, inquit ipse, *foramen fieri non potuit nisi valde angustum, adeo ut vix concipi queat quomodo per illud ego utcumque tenuis transire potuerim. Deus nihilominus me illinc eripuit per manus duorum virorum, quos nullatenus agnoscebam, ut* David *extraxit suam ovem ex faucibus Leonis,*

la

„ la geule du Lion, qu'il a„ voit enlevee & je puis dire „ avec lui, qui etoit la figure „ du Sauveur, „ *Dominus eripuit me de manu Leonis*.)

qui illam rapuerat: & ego possum dicere cum illo, qui erat typus Salvatoris. Dominus eripuit me de manu Leonis.

Habes gnaviter Sycophanta dignum de semetipso testimonium. Inde fugitivus, reus, in vicinas Provincias se recepit, ibi una cum suis, luctuosis monumentis impalluit, quæ magno numero, majori scandalo, maximo Religionis detrimento, per omnem Europam late diffunduntur.

Quid porro jampridem de Quesnelli gestis, scriptis, sententiisque judicaverint Academiæ Lovaniensis Doctores Theologi, instrumento suo, quod infra dabimus, significarunt.

Interim post diuturnum ac nulla excipiendum ratione examen, celeberrima edita est constitutio, *Unigenitus Dei Filius*, a Clemente Papa XI. anno Incarnationis Dominicæ 1713. sexto Idus Septembris, qua centum & una excerptæ ex ejus Christianis considerationibus super textum novi Testamenti Propositiones proscriptæ sunt.

Impudentiam veteratoris hominis non fregit anathema Pontificium: perrexitque bilem jacere, qua plenus erat. Abiit demum e vivis anno 1719. die 2. Decembris hora 1. post meridiem ætatis suæ 85. Amstelodami, ubi quindecim annos profugus diversatus est. In extremis positus fidei professionem enunciavit, se judicio universalis Ecclesiæ subjecit, simulque ad futurum provocavit concilium.

JUDICIUM DOCTORUM LOVANIENSIUM IN CAUSA QUESNELLI

Infrascripti Sacræ Theologiæ Doctores & Professores in Universitate Lovaniensi visis & examinatis Actis, Documentis & Probationibus à Procuratore Officii Curiæ Ecclesiasticæ Mechliniensis productis contra Dominum Paschasium Quesnellum Congregationis Oratorii Berulliani Presbyterum, invenimus sequentia legitime probata.

1. QUod ille admonitus, rogatus ac instanter pressus à sui Ordinis Superioribus & Archiepiscopo Parisiensi, ut subscriberet *Formulæ* seu Statuto suæ Congregationis contra damnatam *Baji* & *Jansenii* doctrinam, obstinatè renuerit.
2. Quod ideo contumax discesserit ex Galliis in Belgium anno 1685,
3. Quod in variis Belgii civitatibus & potissimum Bruxellis latitaverit sub diversis nominibus fictis.
4. Quod ibidem intime conjunctus fuerit *Antonio Arnaldo*: cui defuncto successit in præfectura & regimine totius sectæ.
5. Quod illa secta seu factio late per Galliam, Belgium & Hollandiam sit diffusa, & à factiosis appelletur *Ordo*: complectens Abbatias, Prioratus, Collegia, Domos, Hospitia, & Eremos; consistens Sæcularibus & Regularibus, Laicis & Ecclesiasticis, Viris & Fœminis.
6. Quod dictus Quesnellus varias instituerit Visitationes illius Ordinis, exigens à præcipuis ut ad ipsum referrent quidquid promovendo Ordini isti conducere videretur; atque ad eum effectum procuraverit collectas seu contributiones pecuniarum, quibus procuratores negotiorum illius Or-

Ordinis possent causam suam Romæ, Madriti, Parisiis; & alibi sustinere:

7. Quod in litteris usus fuerit fictis nominibus:

8. Quod tam scripserit, quam ab intimis suis receperit litteras Regi nostro Catholico, & Regi Christianissimo & præcipuis utriusque Regis ministris; atque etiam Summis Pontificibus, Cardinalibus & Episcopis non paucis graviter obtrectantes ac injuriosas; quodque illos à quibus tales literas frequenter recipiebat, perrexerit colere tamquam amicos & charos.

9. Quod Montensis Oratorii Presbyteros à subscribenda præmemorata *Formula* suæ Congregationis dehortatus fuerit:

10. Quod multa Opuscula composuerit, ac edenda curaverit, quibus Hæresim Jansenianam, præsertim primæ & quintæ propositionum inter famosas quinque, sustinere, & asserere conatus est.

11. Quod Semi-Pelagianos censuerit quoscumque tenentes Christum pro omnibus hominibus mortuum, & gratiam necessariam cunctis hominibus datam vel paratam:

12. Quod omnem gratiam sufficientem, quæ non sit per se efficax, scurriliter & impie deriserit tamquam justis inutilem & peccatoribus damnosam:

13. Quod Jansenismum contenderit merum esse phantasma.

14. Quod in causa Jansenii Summis Pontificibus Urbano VIII. Innocentio X & Clementi IX. obreptum esse, & Bullis ac Brevibus eorum aliquid præter ipsorum mentem insertum esse sæpius effutierit:

15. Quod censuerit perjurium & sacrilegium esse subscribere *Formulario* Alexandri VII. in eum sensum ut damnetur doctrina Jansenii, quem Ecclesiæ Magistrum appellat.

16. Quod excitaverit omnes ad sustinendam veritatem, ut vocat, Causæ Jansenianæ:

17. Quod contenderit non fuisse à Sancta Sede examinatum id quod vocant *Factum Jansenii*.

18. Quod asseruerit Discipulos, ut vocat, Sancti Augustini numquam submissuros se fuisse Constitutioni Innocentii X. si putassent sensum *Jansenii* in ea esse damnatum.

19. Quod post Decretum, & Brevia Innocentii XII. asseruerit, obvium sensum *Formularii* Alexandri VII. non requirere, ut Jansenianæ propositiones quinque abjurentur in sensu Authoris earum.

X 2 20.

20. Quod susceperit causam 40. Doctorum Parisiensium circa famosum Casum Conscientiæ.

21. Quod paraverit impressionem omnium hactenus editorum in causa Jansenii.

22. Quod concurrerit ad impressionem historiæ Congregationum de Auxiliis, nullam habentis approbationem Censoris ordinarii, neglecto mandato Concilii ordinarii, & neglecto mandato Consilii Brabantiæ.

23. Quod impugnaverit Decretum Alexandri VIII. de 31. Propositionibus; quarum multas asseruit esse veras, & injuste damnatas.

24. Quod asseruerit quasdam Baji propositiones damnatas continere germanam Sancti Augustini sententiam.

25. Quod Decretum Sacræ Congregationis *Indicis* contra ejus notas seu dissertationes in Opera S. Leonis Papæ, acerbe impugnaverit, & vilissime traduxerit.

26. Quod plura opuscula Patris *Gerberon*, quæ per Apostolicam Sedem fuerunt condemnata, impense laudaverit; ac signanter novam editionem Operum Baji.

27. Quod subministraverit materiam dicto *P. Gerberon* ad componenda varia ejus opuscula damnata.

28. Quod limaverit aliorum ejusdem factionis Opuscula damnata.

29. Quod dogma Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis graviter taxaverit, uti novum, & contrarium veritati Scripturarum, inferens perniciosam sequelam.

30. Quod damnatam sententiam de gemino Capite Ecclesiæ sustinuerit.

31. Quod Antonium Arnaldum injuste à Parisiensi Facultate damnatum asseruerit.

32. Quod promiscuam S. Scripturæ lectionem commendaverit, & Regulam quartam *Indicis* exploserit.

33. Quod consensum in delectationes inhonestas & morosas etiam diuturnas, docuerit non esse in amantibus castitatem peccatum mortale, (nisi adsit consensus in opus externum) saltem illud esse moraliter impossibile.

34. Quod Theologicas Facultates Parisiensem, Lovaniensem, & Duacensem indigne contempserit.

35. Quod vaticinatus sit eversionem Status & Regnorum propter injustam, ut ait, persecutionem in Jansenistas.

36. Quod seditioso scripto Clerum Hollandiæ incitaverit ad non

non obediendum Decretis moderni Pontificis; & ad sese contra ea tuendos authoritate Magistratus Acatholici.

57. Quod effræni licentia scribendi, magnas in Belgio Catholico turbas excitaverit, Clerum & Populum adversus Episcopos commovendo. Ita censemus Bruxellis 27. Septembris 1704.

FRANCISCUS MARTIN S. Th. D. & *Regius Professor ac Regens.*
ANTONIUS PARMENTIER S. Th. D. & *Professor Ordinarius ac Regens.*

Infrascripti super præmissis triginta septem Articulis illis a D. Procuratore Officii Curiæ spiritualis Mechliniensis adversus D. Paschasium Quesnel Congregationis Oratorii Berulliani Presbyterum, servato juris ordine legitime productis ac probatis, judicium nostrum dare requisiti, in favorem justitiæ & veritatis, iisdem articulis mature perpensis, sub correctione censemus, quod præfatus Paschasius Quesnel notorie sit Bajanismi & Jansenismi reus ac fautor, Hæresumque & Propositionum à Sede Apostolica identidem Damnatarum contumax & pertinax propugnator, zizaniorum in agro Dominico disseminator, Ecclesiæ Catholicæ perturbator, turpissimi schismatis, factionis ac seditionis caput, & quantum in ipso est, author; Summis Pontificibus, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, necnon Regibus ac Principibus inobediens, irreverens, injuriosus & rebellis, spurcitiarum jampridem condemnati *Michaelis Molinos* instaurator, excommunicationi majori Sententiæ latæ, aliisque Censuris ac pœnis per *Indicem* Concilii Tridentini, & Summos Pontifices fulminatis obnoxius, Eccclesiæ Dei ac Reipublicæ perniciosus, atque adeo per utramque supremam Potestatem condigne ac publice in aliorum terrorem & exemplum puniendus.

C. G. DAELMAN *S. Theol. Doctor & Regius Professor ac Regens.*
HERMANNUS DAMEN *S. Theol. Doct. & Professor Regens Decanus S. Petri Lovanii, Librorum Censor.*
J. F. DE LE LOZ *S. Theol. Doctor, & Professor Regens.*

Approbo judicium supra scriptum, insuper adhæreo Censuræ, quam dedi 18. Augusti 1700. qua inter cætera dixi eos qui notitiam habent Brevium Apostolicorum condemnantium doctrinam Jansenii tamquam Hæreticam, & tamen tenent seu docent illam doctrinam esse Catholicam, non tantum esse materiales hæreticos, sed formales, cum veritas Fidei illis sufficienter sit proposita; qualis notorie est Paschasius Quesnellus; adeoque procedendum esse contra eum tamquam hæreticum convictum. Suadeo etiam, ut contra fautores ejus generose procedatur, qui ultra Jansenium errantes, enervant fundamentum Fidei nostræ & Bullarum Apostolicarum; adeoque est Hæresis periculosissima. Deus avertat, ne ullum Regem aut Principem supremum Catholicum habeant fautorem. In fidem signo Lovanii in festo S. Petri d' Alcantara 1704.

PETRUS MARCELIS *S. Theol. Doctor & Professor, Apostolicus ac Regius Librorum Censor per Germaniam Inferiorem.*

PRO:

PROPOSITIONES QUESNELLIANÆ DAMNATÆ.

I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?

Contrà est,

Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad Pœnitentiam reverti. *Petri 3. v. 9.*

Nec vult Deus perire animam, sed retractat cogitans, ne penitus pereat qui abjectus est. *Reg. 2. c. 14. v. 14.*

Dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia. *Sap. 12. v. 20.*

Quibus indicatur: aliud quid remanere animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, quam peccatum, & peccati consecutiones, superbam paupertatem, & segnem indigentiam ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum: secundum quod docet *S. Justinus Martyr*: „ Omnes misericordiam à Deo consequi volentes, præstare id possunt „. *Dialogo cum Tryphone Judæo in fine. Littera C. pag.* 370. *Impressionis Parisi. Anno* 1615. Et S. Thomas 3. *p. q.* 52. *Art.* 6. *ad* 3. „ Homines quamdiu vivunt, possunt ad Fidem & Charitatem „ converti „. Nam quid prodest, inquit S. *Aug. lib. de Gratia & libero Arb. c.* 15. si, quod possumus, nolumus. *Tom.* 7. *Col.* 1314. *Editionis Basileensis Anno* 1556. Nempe misericordia Dei viatores ita non deserit, nec ad generalem eam impotentiam sinit relabi.

II.

Jesu Christi gratia principium efficax boni cujuscumque generis necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest.

Contrà est.

Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne Consilium meum, & increpationes meas neglexistis. *Prov.* 1. *v.* 24. *& seq.*

Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem. *Rom.* 10. *v.* 21.

Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent. 2. *Thessal.* 2. *v.* 10.

Quibus indicatur, Jesu Christi gratiam necessariam ad omne opus bonum, non semper esse principium efficax boni cujuscumque generis, & absque illa ut principio efficaci tametsi nihil fiat, tamen aliquid fieri posse: secundum quod docet *S. Anselmus Matth.* 6. in illud *fiat voluntas tua*; *pag.* 36. *Impres. Colon. Anno* 1560. „ Si enim velit per misericordiam de aliquo pravo, quod sit justus, & conferat illi gratiam suam, & tamen ille per Liberum Arbitrium contradicat, nec Gratiæ Dei consentiat. Et *S. Thomas Lect.* 3. *in* 7. *ad Rom. Velle adjacet mihi*, id est propinquum est mihi, quasi sub mea potestate existens, secundum illud *Prov.* 16. Hominis est præparare animam. Et iterum, Cor hominis disponit vitam suam, sed Domini est, dirigere gressus ejus. *Fol.* 3. *Lit. E. Tom.* 16. *ed. Antv.* 1612.

III.

In vanum Domine præcipis, si tu ipse non das; quod præcipis.

Contrà est.

Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie; non supra te est, nec procul positum;......sed juxta te est sermo valde, in ore tuo, ut facias illum. *Deut.* 30. *v.* 11. & sequent.

Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis. *Trid. sess.* 6. *Cap.* XI. Edit. Romanæ 1664.

Quis

Quibus indicatur, non in vanum Dominum præcipere, tametsi ipse non det impletionem illius, quod præcipit; quia ut docet *Clemens Alexandrinus*: „ Præcepta sunt hujusmodi, ut à nobis possint fieri, & non fieri, quæ „ consentaneum est, ut sequatur laus, & vituperatio. *lib.* 4. *Strom. circa finem*. *Pag.* 545. *Impr. Parisiensis* 1590.

IV.

Ita Domine; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.

Contrà est.

Benignitas Dei ad Pœnitentiam te adducit: secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. *Rom.* 2. *v* 5.

Quibus indicatur: alicui aliqua esse possibilia, etsi illa possibilia non faciat Deus, eadem operando in illo. Secundum quod docet *S. Thomas in Caput* 1. *ad Corinth. lect.* 1. *Tom.* 16. *fol.* 50. *lit.* K „ Non autem videretur esse fidelis „ Deus, si nos vocaret ad societatem Filii, & nobis dene„ garet quantum in ipso est ea, per quæ pervenire ad eum „ possemus: unde Josue 1. dicit „ Non te deseram, neque derelinquam. Et *S. Gregorius lib.* 33. *Moralium cap.* 20. *pag.* 872. *Edit. Paris.* 1640. „ Idcirco nequaquam cœlestis Gratiæ „ præmia percipiunt, quia ea nunc dum promereri poterant, „ ex Libero Arbitrio contempserunt „.

V.

Quandò Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, Exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.

Contrà est.

Introierunt ergo *Moyses & Aaron* ad *Pharaonem*, & dixerunt ei: hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: usque quo non vis subiici mihi? Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi; si autem resistis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam &c. *Exo.* 10. *v.* 3. & 4. „ Quamquam nemo convertatur ad dominum nisi tractus per „ Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat; „ quod non trahatur; quod ille semper stet ante ostium

„ pul-

„ pulsans nimirum per internum & externum verbum com„ monens, ut convertamur à via nostra pessima „. *Coloniens.* 1536. *par.* 7. *c.* 32.

Quibus indicatur, tametsi interiori unctione gratiæ suæ Deus cor non emolliat, gratias tamen exteriores, & verbum externum servire, non ad cor magis obdurandum, sed ad illud commonendum ut convertatur. Secundum quod docet S. *Augustinus Enchir. c.* 95. *Tom.* 3. *Col.* 189. *in illud Matthæi* 11. *v.* 21. „ *Væ tibi Corozain* „. „ Nec utique Deus non „ injuste noluit salvos fieri, cum possent salvi esse, si vellent,

VI.

Discrimen inter fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto verò Deus peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.

Contrà est.

Si enim inimicos servorum tuorum (Chananæos) & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, & liberasti; dans tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia: cum quanta diligentia judicasti filios tuos &c. *Sap.* 12. *v.* 20. & 21.

Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, ait Deus. *Deut.* 30. *v.* 11.

Ducam te per semitas æquitatis. *Prov.* 4. *v.* 11.

Quibus indicatur, in fœdere Judaico Deum non exigere fugam peccati & implementum legis à peccatore, relinquendo illum in sua impotentia.

De fœdere Christiano sic credit Concilium Arausicanum II.

„ Hoc etiam secundum Fidem Catholicam credimus, „ quod accepta per Baptismum gratia omnes Baptizati Chri„ sto auxiliante & cooperante, quæ ad salutem animæ perti„ nent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, „ adimplere. *Can.* 25.

Quibus indicatur in fœdere Christiano Deum peccatori, si fideliter laborare non velit, non dare, quod jubet, illum sua gratia purificando.

Scilicet „ Misericordia Dei prævenit nos, consentire autem „ vocationi Dei, vel ab ea dissentire, sicut dixi, nostræ vo„ lun-

luntatis est „. Ut docet *S. Augustinus de Spirit. & lit. l.* 34. *Tom.* 3. *Col.* 837. vide *Cyrillum* ad Propos. XVIII.

VII.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit à nobis?

Contra est,

Viam sapientiæ monstrabo tibi,... currens non habebis offendiculum, *Prov.* 4. *v.* 11. *&* 12.

Quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: revertimini, & vivite. *Ezech.* 18. *v.* 31. *&* 32.

Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas? *Isa.* 5. *v.* 4.

Perditio tua Israel. *Osea* 13. *v.* 9.

Quibus indicatur, utilitatem fuisse in veteri fœdere, nec hominem in illo à Deo relictum fuisse propriæ infirmitati, imponendo illi suam legem.

De fœdere Christiano sic accepimus.

Vos semper Spiritui sancto resistitis, *Act.* 7. *v.* 51

Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris. 2. *Thess.* *v.* 10.

Quibus indicatur, non esse eam felicitatem in fœdere Christiano, ut Deus nobis donet, quæ petit à nobis: nempe ut docet *S. Augustinus*; „ quid prodest, si quod possumus nolumus „? *De Grat. & lib. Arb. cap.* 15. vid. Prop. I.

VIII.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit.

Contrà est.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, *Matth.* 20. *v.* 16.

Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias; & nolebant venire, *Matth.* 22. *v.* 3.

Qui-

Quibus indicatur : nos pertinere ad novum fœdus & Christianum, tametsi participes non simus illius gratiæ, quæ operatur in nobis id quod Deus nobis præcipit: „ ad illam enim cœnam, ut docet S. Augustinus *lib.* 83. *qq. q.* 68. *tom.* 4. *col.* 585. quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui vocati sunt, venire possent, nisi vocarentur: itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi; quoniam ut venirent vocati, erat in libera voluntate.

IX.

Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum numquam possumus, & cum qua numquam illum abnegamus.

Contrà est.

Vocavi, & renuistis. *Prov.* 1. *v.* 24.

Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis 2. *Cor.* 6. *v.* 1.

Quibus indicatur: dari gratiam Christi cum qua aliquando ille abnegatur: „ Voluntas enim, inquit D. Prosper *lib.* 2. *de vocat. omnium Gentium c.* 26. *lib.* 2. *pag.* 308. *Impres. Lovan.* 1565. „ de sua habet mutabilitate, si deficit, de Gratiæ vero opitulatione, si proficit: & quod à multis refutatur gratia, ipsorum est nequitiæ.

X.

Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, *quam nihil impedire potest, aut retardare.*

Contrà est.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Psalmo* 94. *v.* 8.

Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram. *Rom.* 2. *v.* 5. Gratia autem prævenimur. Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abiicere potest. *Trid. sess.* 6. *c.* V.

Si

Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum .... neque posse dissentire, si velit .... anathema sit. *Ibid Can.* 4.

Quibus indicatur: gratiam Christi ab homine posse impediri & retardari: ut docet ad IX. Prop. D. *Prosper*. Ad VI. Prop. D. *Augustinus*. Et cum his S. *Thom.* 1.*p.* *q.*62. *art* 3. *ad* 1. „ Habens gratiam potest ea non uti, & peccare.

XI.

Gratia non est aliud quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis & facientis, quod jubet.

Contrà est.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? *Matth.* 23. *v.* 37.

Nec denique tale sit hujusmodi trahentis Dei auxilium. *Senonense* 1528. *Decr. Fid.* 15.

Quibus indicatur; dari gratiam, quæ est aliud quam voluntas Omnipotentis Dei jubentis & facientis quod jubet, utpote cui homo nolit cooperari, & cui possit actu humano resistere: atque ut habet D. Prosper *lib.* 2. *de vocat.* omnium gentium, *c.* 12. *pag.* 337. *impress. Duac.*1577. „ Quod „ non potest, nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum me„ ritis depetetur, quorum id potuit voluntate non fieri. Et „ D. Anselmus *in* 6. *Matth. tom.* 1. *cal.*36. *impress. Colon.* 1560. „ Licet sit percussus (Paulus) tamen voluntas erat libera, „ ut resisteret, si vellet.

XII.

Quando Deus volt salvare animam, quocumque tempore quocumque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.

Contrà est.

Peribit infirmus in tua scientia frater; propter quem Christus mortuus est? 1. *Cor.* 8. *v.* 11.

Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omnium hominum maxime fidelium. 1. *Thimoth.* 4. *v.* 10.

Quibus indicatur; licet Deus velit salvare animam, effectum indubitabilem semper non sequi voluntatem Dei.

Quia,

Quia, ut docet *S. Augustinus in Joannem tract. 4. in initio: lit. D. col. 30.* ,, Populi spernentes propter superbiam suam
,, humilitatem Dei, crucifixerunt Salvatorem suum, & fe-
,, cerunt Damnatorem suum. Atque etiam, ut tradit *Leo Pa-*
,, *pa* serm. de Passione Domini, *p. 44. Edit. Colon.* Quod re-
,, medium nec te Juda transiret, si ad eam Pœnitentiam con-
,, fugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ instiga-
,, ret ad laqueum.

XIII.

Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratia sua manu, nulla voluntas humana ei resistit.

Contrà est.

Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi. *Eccl 15. v. 18.*

Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit januam, intrabo ad illum. *Apoc. 5. v. 20.*

Quibus indicatur, licet Deus velit salvare animam, & eam tangat inteeiori gratiæ suæ manu, aliquam voluntatem humanam ei actu humano resistere: nempe, ut habet S. Augustinus *lib. 1. ad Simplic. q. 2. tom. 4. col. 631.* ,, Noluit Esau, &
,, non cucurrit, sed & si voluisset, & cucurrisset, Dei adju-
,, torio pervenisset, qui etiam velle, & currere vocando præ-
,, staret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Et in En-
,, chir. *cap. 95.* Deus non injuste noluit salvos fieri, cum pos-
,, sent salvi esse, si vellent.

XIV.

Quantumcumque remotus à salute sit peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari sua gratia, oportet ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum.

Contrà est.

Numquid voluntatis meæ est mors impii? dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat? .... quare moriemini domus Israel, quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus; revertimini, & vivite. *Ezech. 18. v. 23. 31. 32.*

Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum. *Os. 13. v. 9.*

Qui-

Quibus indicatur, dari remotos à salute, & peccatores obstinatos, quibus Jesus se videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, qui tamen non se dedant, accurrant, sese humilient, & adorent Salvatorem suum. Scilicet, ut tradit *S. Augustinus lib. 83. qq. q. 68. tom. 4. pag. 585. lit. D. impr. Basileensis* 1541. „ Vocatio ante meritum voluntatem „ operatur,... qui autem vocatus non venit; sicut non ha„ buit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum „ supplicii, cum vocatus venire neglexerit. Et *S. Irenæus* „ *lib. 5. cap. 71.* vis à Deo non fit, sed bona sententia adest „ illi semper.... posuit autem in homine potestatem Ele„ ctionis. *fol. 281. Edit. Basil.* 1540.

XV.

Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.

Contrà est.

Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, & vos. *Act. 7, v. 51.*

Vocavi & renuistis; extendi manum meam, & non erat qui aspiceret. *Prov. 1. v. 24.*

Quibus indicatur, Deum, mandatum suum, & suam æternam locutionem comitari quandoque unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, & tamen illa non operari obedientiam, quam petit, quia ut supra dictum est, tradit *S. Augustinus* „ Misericordia Dei prævenit nos, consentire autem vo„ cationi Dei, vel ab ea dissentire, nostræ voluntatis est. *Lib. de spir. & lit. cap. 54.* Juxta quod *D. Bonaventura in 2. dist. 26. q. ult.* „ pro tanto dicitur gratia movere liberum ar„ bitrium, quia liberum arbitrium gratia informatum movet „ se ipsum. Et infra *ad* 1. sicut enim voluntas movet seipsam „ ad opera naturalia, sic adjuta per gratiam movet seipsam ad „ opera meritoria. *fol. 335. lit. C. & E.*

XVI.

Nulla sunt illecebra, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.

Contrà est.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum,.... & & Mundus eum non cognovit. *Joan.* 1. *v.* 9. *&* 10.

O quam bonus, & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus! Ideoque eos qui exerrant partibus corripis. *Sap.* 12, *v.* 1. *&* 2.

Nec denique tale sit trahentis Dei auxilium cui resisti non possit. *Senonense Decret. Fidei* 15.

Quibus indicatur, tametsi nihil resistat omnipotenti quæ tali, esse illecebras, quæ non cedant illecebris gratiæ; &, quemadmodum docet *Cyrillus Alexandr. lib.* 1. *in Joan. cap.* 11, in illud: *Mundus eum non cognovit*: illuminat enim Fi„ lius, repellit autem gratiam creatura..... neglexit ulte„ rius currere, suffodit illuminationem ex desidia, & con„ tempsit hanc gratiam.

XVII.

Gratia est vox illa Patris, qua homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus à Patre.

Contrà est.

Expandi manus meas tota die ad populum non credentem; & contradicentem. *Rom.* 10. *v.* 21.

Charitatem veritatis non receperunt; ut salvi fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris. 2. *Thess.* 2. *v.* 10. *&* 11.

Quibus indicatur, gratiam esse vocem illam Patris, quæ homines interius docet; sed qua Deus semper homines venire non facit ad Jesum Christum: item aliquos ad eum non venientes, postquam audiverunt vocem exteriorem Filii, aliquatenus tamen esse doctos à Patre; juxta illud, quod tradit *Clemens Alexandrinus*: in illud *ad Rom.* 10. *Auditus autem per Verbum Dei*. „ Divinum Verbum clamavit, omnes simul „ vocans, eos quidem vel maxime cognoscens, qui non erant „ parituri; & tamen quoniam est in nostra potestate parere, „ & non parere, ut nulli possint causari prætextum ignoran„ tiæ, justam fecit vocationem. *Lib.* 2. *Stromatum pag.* 370. *lit. C. D. Edit. Parisiensis* 1629.

XVIII.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.

Contrà est.

An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas? *Isa. 5. v. 4.*

Quibus indicatur, semen Verbi, quod manus Dei irrigat non semper afferre fructum suum. Quemadmodum docet *Cyrillus Alexandrinus* exponens locum indicatum ex Isaia. „ Si enim rerum ad usum necessarium quippiam à me, qui „ plantaveram, forte prætermissum fuerit; causæ nihil di„ cam, nec pœnas exigam ...., cum vero rebus eam utilibus „ plenam, nulliusque rei indigam fecerim, spinas tamen „ peperit... num igitur inertem, num desidiosum agrico„ lam dicet? An potius illos accusabit, qui tanta sollicitudi„ ne curati à me adeo fertilitatem suam neglexerunt? *In Isaiam Oratione 3. lib. 1. tomo 2. pag.* 80. *Impress.* Paris. 1638.

XIX.

Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hac est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis scripturis.

Contrà est.

Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? *Matth. 23. v. 37.*

Vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.... convertimini &c. *Ez. 33. v. 11.*

Quibus indicatur, Dei gratiam aliquid aliud esse, quam ejus omnipotentem voluntatem: & non hanc esse ideam gratiæ, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. Siquidem, ut habet *S. August. lib. 2. de peccatorum meritis c. 17.* „ Cum voluntate humana, gratia adjuvante Divina, sine „ peccato in hac vita possit homo esse: cur non sit, possem „ facillime ac veracissime respondere; quia homines nolunt, *Tom. 7. fol. 703. editionis Basileensis Anno* 1543.

XX.

Vera Gratia idea est, quod Deus vult sibi à nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

Contrà est;

Vocavi & renuistis. *Prov. 1. v. 24.*

Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias; & nolebant venire. *Matth. 22. v. 3.*

Quibus indicatur, veram Gratiæ ideam non esse, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia ei submissa sunt. Qui enim creavit nos sine nobis, non salvabit nos sine nobis, atque ut docet *D. Damascenus lib. 2. Orthod. Fidei cap. ult.* „ Nobis liberum esse, vel in virtute perstare, Deumque „ nos ad eam vocantem sequi, vel à virtute abscedere. *Page* „ 352. *lit. D. Impr. Paris.* 1619.

XXI.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.

Contrà est.

Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. *Matth. 11. v. 21.*

Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. *2. Pet. 1. v. 10.*

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus adjutores. *1. Cor. 3. v. 8. & 9.*

Quibus indicatur: Gratiam Jesu Christi non esse Gratiam eo usque fortem, potentem, supremam, ut sit in hac Dei providentia, & à creatura libere operante invincibilis: neque ipsam esse operationem voluntatis omnipotentis, quæ sit sequela, & imitatio Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum, utpote quarum operationum nemo extrà Deum, Dei

suit

fuit adjutor, aut moralis, & meritorius cooperator: juxta quod *S. Augustinus* docet *de Grat. & lib. arb. cap.* 17. „ Cooperando (Deus in nobis) perficit, quod operando incipit; quoniam ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. *Tom. 7. fol.* 1316.

XXII.

Concordia omnipotens operationis Dei in corde hominis; cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis, in Incarnatione, veluti fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.

Contrà est:

Abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem sed gratia Dei mecum. 1. *Cor.* 5. *v* 15.

Reposita est mihi corona justitiæ. *Timoth.* 4. *v.* 8.

Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona, ipsius justificati merita .... anathema sit. *Trid. sess.* 6. *Can.* 32.

Quibus indicatur, Concordiam omnipotentem, quam dicit, operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu, non demonstrari illico nobis in Incarnatione, veluti fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes à Deo sint, sicut ipsa originalis operatio, in qua scilicet totum Dei est, nihil est nostrum, nihil est meriti nostri. In bono autem, quod cum Gratia Dei fit à creatura non est sic, sed ut docet *D. Gregorius lib.* 33. *Mor. cap.* 20. „ Bonum quod agitur, & Dei est, & nostrum: Dei per prævenientem Gratiam, nostrum per obsequentem liberam voluntatem: si enim Dei non est, unde ei gratias in æternum agimus? Rursum si nostrum non est, unde nobis retribui præmia speramus? Quia ergo non immerito gratias agimus, scimus, quod ejus munere prævenimur: & rursum, quia non immerito retributionem quærimus, scimus, quod subsequente libero arbitrio bona elegimus, quæ ageremus. *fol.* 870. *tom.* 2. *editionis Antverp.* 1615. v. c12. 17C. XV.

XXIII.

Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam.

Contrà est.

Tunc laus erit unicuique à Deo. 1. *Cor.* 4. *v.* 5.

Justitiam in nobis recipientes..... secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem. *Conc. Trid. sess.* 6. *cap.* 7.

Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur. *Conc. Arausicanum. Can.* 9.

Quibus indicatur: Deum nobis ideam non tradidisse omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significando per illam, qua creaturas è nihilo producit, & mortuis reddit vitam: quia neque in creatione, neque in resurrectione homo habet ullas partes moralis & meritoriæ cooperationis, habet autem in bono, quod misericordia Dei operatur in ipso, secundum quod tradit D. *Bernardus, de gratia & libero arbitrio circa finem*: „ Si ergo Deus tria hæc (hoc est bonum cogitare, velle, perficere) operatur in nobis, primum profecto sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit. *Fol.* 265. *edit. Paris.* 1576.

XXIV.

Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate.

Contrà est.

Non ego autem, sed gratia Dei mecum. 1. *Cor.* 15. *v.* 10.

Non ego, sed gratia Dei mecum: unde recte conficitur ipsum Divinæ gratiæ etiam ut reliquis cooperatum fuisse. *Senonense* in præfatione.

Quibus indicatur: Justam ideam, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis non esse imaginem Ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus à cupiditate: quia sanitatem corporis Deus operatur

tur in nobis sine nobis, bonum autem non sic: sed ut docet *S. August. de Grat. & Liber. Arb. Cap.* 17. *fol.* 1316. *Tom.* 7. „Cooperando perficit, quod operando incipit: quoniam „ ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus coope- „ ratur perficiens. „ Et *D. Bernard. de Grat. & Lib. Arbitr. circa finem.* „Non ego (ait) sed Gratia Dei mecum: potuit „ dicere per me, sed quia minus erat, maluit dicere mecum: „ præsumens se non solum operis esse ministrum, per effe- „ ctum, sed etiam operantis quodammodo socium per con- „ sensum. „ *Fol.* 265. *Edit. Parisiensis* 1576.

XXV.

Deus illuminat animam, & eam sanat, æque ac corpus; sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.

Contrà est.

Tolle grabatum tuum, & ambula. *Marc.* 2. *v.* 9.

Facite vobis cor novum & Spiritum novum. *Ezech.* 18. *v.* 31.

Vigilate, & orate ut non intretis in tentationem. *Matth.* 26 *v.* 41.

Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit; nisi ab eis prius deseratur. *Trid. sess.* 6, *c.* 11.

Quibus indicatur: Deum non illuminare animam; & eam sanare æque ac corpus sola sua voluntate: Deum jubere quandoque & ipsi non obtemperari.

Corpus enim sanat solus, & sine actione nostrâ morali, animam non ita; quia, ut tradit *D. August. l.* 83. *qq. qu.* 24. „ Nec peccatum autem nec recte factum imputari cuipiam ju- „ ste potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate „ & *homil.* 16. *in Joannem:* „ in tuo arbitrio Deus posuit, cui pares lo- „ cum, Deo, an Diabolo„: unde etiam fit, ut Deo jubenti non semper obtemperetur: quia ut docet *D. Thom. in* 2. *dist.* 25. *art.* 1. „ In liberum autem arbitrium hoc modo agit „ (Deus) ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operan- „ te, liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actio- „ nis, & finis in potestate liberi arbitrii constituitur, unde „ remanet sibi dominium sui actus „. *Tom.* 6. *fol.* 83. *lit. A. edit. Antv.* 1612.

XXVI.

Nulla dantur gratia nisi per Fidem.

Contrà est,

A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri, *Sap.* 13. *v.* 5.

Quod notum est Dei, manifestum est in illis, Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles, *Rom.* 1. *v.* 19. & 20.

Quibus indicatur: aliquas dari gratias non per Fidem, sed ante illam: neque enim omnes infideles omni gratia carent, quia ut tradit *Orosius*, „ Mea semper hæc est fidelis, „ atque indubitata sententia, Deum adjutorium suum, non „ solum in corpore suo, quod est Ecclesia, cui specialia, ob „ credentium fidem, gratiæ suæ dona largitur, verum etiam „ universis in hoc mundo gentibus, propter longanimen sui, „ æternamque clementiam subministrare, non ut tu asseris, „ cum discipulo tuo Cœlestio, cui jam apud Africanam Sy- „ nodum occulta illa impiorum Dogmatum natura confusa „ est, in solo naturali bono & in libero arbitrio generaliter „ universis unam gratiam contributam, sed speciatim coti- „ die, per tempora, per dies, per momenta, per ἄτομα „ & cunctis, & singulis ministrare. *In Apologetico contra Pelagium, pag.* 58. & 59. *Lovanii Anno* 1558. Quod iterum & de parvulis quoque confirmat *S. Prosper de vocatione omnium gentium lib.* 2. *cap.* 23. „ Non irreligiose arbitror credi, „ neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum die- „ rum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ sem- „ per universis est impensa nationibus; qua utique si bene eo- „ rum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur. *Fol.* 307. *edit. Lov.*

XXVII.

Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.

Contrà est.

Non dimittam, nec derelinquam te. *Josue* 1. *v.* 5.

Et eum, qui venit ad me non ejiciam foras. *Joan.* 6. *v.* 37.

Ecce

Ecce sto ad ostium, & pulso, si quis audierit vocem meam, & aperuerit Januam, intrabo ad illum. *Apoc.* 3. *v.* 20.

Quibus indicatur; etiam gratias concedi iis, qui nondum gratiam Fidei misericordia Dei consecuti sunt; ac propterea Fidem non esse primam gratiam, nec fontem omnium aliarum juxta quod tradit *S. Bonaventura, in* 3. *dist.* 25. *art.* 1. *q.* 2. *Ad ultimum argumentum de Gentilibus*: *Tom.* 5. *pag.* 275. *edition. Mogunt.* 1609. „ Indubitanter tamen verum est; „ quod eis præsto erat notitia Mediatoris quanta opportuna „ erat secundum exigentiam temporis, tum ex dictamine na„ turæ, tum ex aliena instructione, tum etiam ex Dei inspi„ ratione, qui se offert omnibus, qui eum requirunt humili„ ter „. *Et Scotus in* 1. *dist.* 46. *q. unica ad* 1. *argumentum*. „ Deus vult omnes homines salvare quantum est ex parte sui „ voluntate sua antecedente, pro quibus dedit dona naturalia, „ & leges rectas, & adjutoria communia sufficientia ad Salu„ tem. Ita dico, Deus vult isti illa adjutoria communia ante„ cedentia ad Salutem omnium, quibus iste etiam potest suf„ ficienter bene vivere, & Salvari.

XXVIII.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est Peccatorum remissio.

Contrà est.

Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum. *Isaia* 1. *v.* 16.

Revertimini, & Vivite. *Ezech.* 28. *v.* 30.

Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matth.* 22. *v.* 28.

Quibus indicatur: peccatores gratiis à misericordia Dei præveniri, etiam antequam remissionem peccatorum obtineant, ac proinde primam gratiam, quam concedit Deus Peccatori, non esse remissionem peccatorum. Unde *S. Aug. de præd. & gratia c.* 15. Duos proponit peccatores, Nabuchodonosorem, Pharaonem, ambo gratiis præventos priusquam primus pœnitentiam meruit fructuosam, peccatorum Remissionem. „ Quantum ad pœnam, inquit, ambo flagel„ lis clementer admoniti; quid ergo fines eorum fecit es„ se diversos? nisi quod unus manum Dei sentiens in re-

 „ cor-

„ cordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero con„ tra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio. *Tom. 7. pag.* 1119.

XXIX.

Extra Ecclesiam nulla conceditur Gratia.

Contrà est.

O quam Bonus, & suavis est Domine spiritus tuus in omnibus. *Sap.* 12. *v.* 2.

Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1. *v.* 9.

Deus nobis inspirat, ut Baptismi Sacramenta fideliter requiramus. *Arausican.* 11. *Can.* 25.

Quibus indicatur: extra Ecclesiam aliquam concedi gratiam; secundum quod docet *Clemens Alexandrinus. In admonitione ad Græcos, seu ad gentes. fol.* 56. *edit. Parif.* 1629. „ Audite, qui estis longe, audite, qui prope, nullis cela„ tum est verbum, lux est communis, omnibus illucescit ho„ minibus: nullus est in verbo Cymmerius „. Et *D. Prosper lib.* 2. *de vocatione omnium gentium cap.* 17. „ Etiam nunc in „ extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes quibus non„ dum gratia Salvatoris illuxit, quibus tamen illa mensura „ generalis auxilii, quæ desuper omnibus hominibus est præ„ bita, non negatur. *Pag.* 340. *Edit. Duacenæ* 1577. Atque *S. Chrysost. homil.* 7. In adductum locum ex S. Joanne. „ Gra„ tia, inquit, in omnes diffusa est, non Judæum, non Græ„ cum, non Barbarum, non Schytam, non liberum, non „ servum, non virum, non mulierem, non senem, non ju„ venem effugit, aut dedignatur. *Fol.* 56. *Parif. edit.* 1637.

XXX.

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.

Contra est.

Qui etiam proprio filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum. *Rom.* 8. *v.* 32.

Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. *Timoth.* 2. *v.* 5. & 6.

Ipse

Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. 1. *Joan.* 2. *v.* 2. *Vide Trid. sess.* 6. *c.* 2. *&* 3.

Quibus indicatur: aliquos, quos Deus vult salvare per Christum non salvari infallibiliter: quia ut docet S. Aug. *in Joannem tr.* 4. *sub initium*, *tom.* 9. *fol.* 30. „ Populi autem „ spernentes propter superbiam suam humilitatem Dei, cru- „ cifixerunt Salvatorem suum. Et *D. Thom. in locum citatum Ap. ad Timotheum. Lect.* 1. *Tom.* 16. *pag.* 175 *edit. Antv.* „ 1612. Homo Christus est mediator Dei, & hominum, non „ quorundam, sed inter Deum & inter omnes homines; & „ hoc non fuisset, nisi vellet omnes Salvare. „ Atque in fi- „ ne „ ipse est propitiatio pro peccatis nostris, pro aliquibus „ efficaciter, sed pro omnibus sufficienter, quia pretium San- „ guinis ejus est sufficiens ad salutem omnium, sed non habet „ efficaciam nisi in electis propter impedimentum. *Ib. pag.* 177.

XXXI.

Desideria Christi semper habent suum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.

Contrà est.

Quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. *Matth.* 22. *v.* 8.

Et cœperunt simul omnes excusare. *Luc.* 14. *v.* 18.

Si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. *Luc.* 18. *v.* 42.

Quibus indicatur: desideria Christi non semper habere suum effectum, nec semper pacem intimo cordium inferre; quando eis illam optat. Quia ut habet *Irenaus lib.* 4. *cap.* 71. *fol.* 281. *edit. Basileens.* 1540. „ Vis a Deo non fit..... posuit „ autem in homine potestatem electionis, „ *&* *D. Damascenus lib.* 2. *de fide cap.* 30. *fol.* 352. *lit. D. edit. Paris.* 1619. „ Nec citra ipsius (Dei) opem atque auxilium fieri posse ut „ bonum velimus, aut faciamus: cæterum nobis liberum esse, „ vel in virtute perstare, Deum nos ad eam vocantem sequi, „ vel à virtute abscedere „. Uterque cum *S. Aug. lib.* 1. *ad Simpl. q.* 2. „ Ut velimus enim & suum esse voluit, & nostrum; „ suum vocando, nostrum sequendo. *Tom.* 4. *pag.* 631. *In fine. Edit. Basil. anno* 1541.

XXXII.

XXXII.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, id est, Electos, de manu Angeli exterminatoris.

Contrà est.

Videmus Jesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum, ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. *Heb.* 2. *v.* 9.

Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt. *Luca* 23. *v.* 34.

Non pro eis autem rogo tantum (discipulis) sed & pro iis, qui credituri sunt. *Joan.* 17. *v.* 20.

Quibus indicatur: Jesum Christum se morti tradidisse ad liberandum pro semper suo sanguine non solos primogenitos, id est Electos, de manu Angeli exterminatoris, sed etiam alios: ut docet *D. Prosper lib.* 2. *de vocatione omnium gentium Cap* 16. *pag.* 340. *Edit. Duacena*. Nulla igitur ratio dubitandi est, Jesum Christum D. N. pro impiis, & peccatoribus mortuum: & *S. Augustinus in Psal.* 68. *v.* 27. *Tom.* 8. *pag.* 737. *impres. Basil.* 1542. „ Projecit (*Judas*) pretium argenti „ quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit pretium „ quo ipse à Domino redemptus erat „.

Atque cum his *S. Leo Papa de Passione Sermone* II. „ Pro o- „ mnibus mortuo impiis Domino potuisset etiam hic (*Judas*) „ consequi Remedium, si non festinasset ad laqueum „. *Pag.* 141. *impres. Coloniensis Anno* 1547.

XXXIII.

Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimet ipsi renuntiasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

Contrà est.

Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis, sed &, si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, Justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. 1. *Joan.* 2. *v.* 1. & 2.

Sic

Sic locuti estis, dicentes: iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, &..... dic ad eos, vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat...., *Ezech.* 33. *v.* 10.

Ego diligentes me diligo. *Prov.* 8. *v.* 17.

Fiduciam habemus ad Deum 1. *Joan* 3. *v.* 21.

Quibus indicatur: Deum, cujus misericordia super omnia opera sua, non requirere eam, (quæ hic dicitur, proh quantum necessaria esse!) rerum, & sui met ipsius renunciationem, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit S. Paulus dicens: qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Secundum quod docet S. Hilarius *comment. in Matth. c.* 10. *post medium*. „ Etiam conditionem „ qua teneremur adjecit, negaturum se eum Patri in cœlis; „ qui se hominibus in terra negasset: eum porro, qui confes- „ sus coram hominibus se fuisset, à se in cœlis confitendum; „ qualesque nos nominis sui testes hominibus fuissemus, tali „ nos apud Deum Patrem testimonio ejus usuros „. *Fol.* 365. *lit. A. Impress. Basil.* 1523 (in hac editione legitur *Visuros* non *usuros*.)

XXXIV.

Gratia Adami non producebat nisi merita humana.

Contrà est.

Factus est vivens coram te, & induxisti eum in Paradiso, quem plantaverat dextera tua, antequam terra adventaret. 4. *Esdra* 3. *v.* 5. & 6.

Quibus indicatur: gratiam Adami, nisi hic irritum pactum fecisset, producturam fuisse merita æternæ Beatitudinis, adeoque merita amplius quam humana. Quemadmodum docet *S. Athanasius de Incarnatione Verbi Initio*. „ Introduxit eos in Paradisum, edictumque præscripsit, ut si „ gratiam illam conservarent, probique permanerent, fruerentur in Paradiso..... hilarissima vita, præter id, quod „ ipsis in cœlo, immortalitas destinata erat. *Pag.* 37. *Impress. Basileensis*, *Anno* 1556. Vide Prop. 35.

XXXV.

XXXV.

Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita Naturæ sanæ & integræ.

Contrà est.

Tu Domine universorum. 2. *Mach.* 14. *v.* 35.

Quibus indicatur: omnem creaturam natura sua essentialiter esse servam, nec posse ei ex natura sua competere jus ad hæreditatem Filiorum Dei, ac proinde gratiam Adami non esse sequelam creationis, nec debitam fuisse naturæ sanæ & integræ; quod tradit *D. Basilius lib* 1. *de Spir. Sanct. cap.* 16. *fol.* 325. *Impress. Parisiensis* 1637. „ Non enim Natura sanctæ „ sunt cœlorum virtutes „ & *S. August. contra Maximinum lib.* 3. „ Homo ad Dei similitudinem factus est, tamen quia „ non est unius ejusdemque substantiæ non est verus Filius, „ & ideo fit gratia Filius, quia non est natura. *Cap.* 25. *tom.* 6. *fol.* 739. *Impress. Basileens.* 1542. Hæc propositio; *Humana natura sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis*; est inter Damnatos articulos vulgo *Bajanos*; num. 21. Repete ex iisdem damnatis, 23. 26. & 79.

XXXVI.

Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ ac gratiam Christianam, est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, ista vero non recipitur nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.

Contrà est.

Charitatem Veritatis non receperunt, ut salvi fierent; 2. *Thess.* 2. *v.* 10.

Cum ipse det omnibus vitam, & inspirationem. *Act.* 22. *v.* 25.

Si quis dixerit justificatum vel sine speciali auxilio Dei in *accepta* justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit. *Arausicanum* 11. *Canon.* 25.

Quibus indicatur: non esse hanc differentiam essentialem inter gratiam Adami & status innocentiæ, ac gratiam Chri-

Christianam, quod primam unusquisque in propria persona recepisset, istam vero non recipi nisi in persona Jesu Christi resuscitati cui nos uniti sumus: sed gratiam quoque Christianam vere recipi in propria cujusque persona, secundum quod docet *S. Cyprianus lib.* 4 *epist.* 7. *fol.* 173. *impr. Basil.* 1530. „ Spiritualis gratiam muneris *infundi*. Et iterum *ibid.* „ Plane eadem gratia spiritualis quæ æ„ qualiter in Baptismo à credentibus sumitur, in conver„ satione, atque actu nostro postmodum vel minuitur, „ vel augetur. Et *Laurentius Novariensis de pœnit. col.* 4. „ „ Post Baptisma Remedium tuum in te ipso statuit.

XXXVII.

Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata: gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.

Contrà est.

Dura cervice & incircumcisis cordibus, & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis: *Act.* 7. *v.* 51.

Deus enim nisi ipsi illius gratiæ desuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere. *Trid. sess.* 6. *cap.* 13.

Quibus indicatur: gratiam Christianam nos sanctificando in Jesu Christo esse talem, cui liberum arbitrium possit deesse atque resistere.

Resistentia, quæ sit actus humanus, & electionis, non ea, quæ est necessitatis, & qua pondus majus resistit ponderi minori, sed qua possit, gratiam si velit, abjicere, quod non convenit principio omnipotenti. Unde sic loquitur *Arnobius lib.* 2. *adversus gentes*. *Pag.* 84. *edit. Duac.* 1634 & *pag.* 88. *edit. Lugd. Batav.* 1651. „ Vis sumere, „ quod affertur, atque in tuos usus convertere? Consu„ lueris tu tibi: aspernaris, contemnis, despicis? Tu te „ muneris commoditate privaveris. *Et Anselmus in Matth.* „ Licet sit percussus (Paulus) tamen voluntate erat li„ bera, ut resisteret, si vellet. *Tom.* 1. *fol.* 36. *In illud*, „ Fiat voluntas tua. *Edit. Col.* 1560.

XXXVIII.

XXXVIII.

Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

Contrà est.

Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia igitur, humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus. *3. Reg.* 21. *v.* 29.

Quibus indicatur: peccatorem sine gratia Liberatoris; ad aliud esse liberum, quam ad malum. Quemadmodum docet *S. Aug. lib. de patientia cap.* 26. „ Si quis non habens „ charitatem &c. in aliquo Schismate constitutus, ne Chri„ stum neget, patitur tribulationes, angustias, famem, „ &c. Nullo modo ista culpanda sunt, imo vero & hæc „ laudanda patientia est. *Tom.* 4. *fol.* 1016. *edit. Basil.* 1541. Et *D. Th.* 2. 2. *q.* 82. *art.* 16. O. „ Orationem vero pecca„ toris ex bono naturæ desiderio procedentem Deus au„ dit, non quasi ex Justitia, quia peccator hoc non me„ retur, sed ex pura misericordia.

XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit; nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.

Contrà est.

Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. *Dan.* 4. *v.* 24.

Quibus indicatur: voluntatem necdum gratia præventam, non esse incapacem ad bonum omne: sed ut docet *S. Aug. epist.* 5. *ad Marcellinum, tom.* 2. *fol.* 25. *edit. Basil.* 1543. „ Rempublicam quam primi Romani constituerunt, „ auxeruntque virtutibus &c. Custodientes tamen quamdam „ sui generis probitatem..... Deus enim sic ostendit in „ opulentissimo, & præclaro Imperio Romanorum, quan„ tum valerent civiles, etiam sine vera religione, virtutes. Et *D. Thom.* 1. 2. *q.* 103. *art.* 2. O. „ Natura humana per pec„ catum non est totaliter corrupta, ut scilicet toto bono

„ natu-

„ naturæ privetur. Poteſt quidem etiam in ſtatu naturæ „ corruptæ per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum par- „ ticulare agere.

XL.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem.

Contrà eſt.

Gentes quæ legem non habent naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt. *Rom.* 2. *v* 14.

Quibus indicatur: ſine gratia aliquid amari poſſe, quod non eſt ad noſtram condemnationem: ſcilicet bonum naturæ & virtutem naturalem, ſecundum quod tradit *D. Chryſoſt. homil.* 5. *in epiſt. ad Rom, poſt medium, tom.* 4. *pag.* 55. *edit. Pariſienſ.* 1636. „ Per hæc rurſus oſtendit, Deum ſic hominem finxiſſe, ut poſſit per ſe virtutem eligere, ac vitium declinare „. Et *Gabriel in* 2. *diſt.* 28. *concluſ.* 2. *art.* 2. *lit. L edit. Tubing.* 1501. „ Liberum hominis arbitrium ex „ ſuis naturalibus ſine gratia, elicere poteſt actum moraliter „ bonum „. *Et D. Thomas* 1. 2. *q.* 109. *art.* 5. O. „ Sine gratia homo non poteſt mereri vitam æternam, poteſt tamen „ facere opera perducentia ad bonum aliquod homini connaturale.

XLI.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire à Deo, & ſine gratia non producit niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis & amoris.

Contrà eſt.

Ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex. *Ibidem.*

Quibus indicatur: non omnem cognitionem Dei, etiam naturalem, etiam in Philoſophis Ethnicis, & ſine gratia nihil producere niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectum adorationis, gratitudinis & amoris: Quia ut docet *S. Aug. lib. de Spir. & lit. c.* 28. *tom.* 3. *fol.* 329. *lit. A. edit. Baſil.* 1541. „ Merito dici „ poteſt etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ (gentiles) fa-

„ cere

„ cere aliqua legis, vel sapere „; & *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 10. *art.* 4. O. „ Manifestum est quod infideles non possunt o-„ perari bona opera, quæ sunt ex gratia, scilicet opera „ meritoria: tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum „ naturæ, aliqualiter operari possunt. Unde non oportet „ quod in omni suo opere peccent.

XLII.

Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil nisi impuritas, nihil nisi indignitas.

Contrà est.

Merces non est reddita ei (Nabuchodonosori (neque exercitui ejus, de Tyro, pro servitute, qua servivit mihi adversus eam. *Ezech.* 29. *v.* 18.

Quibus indicatur: solam gratiam Christi non reddere hominem aptum ad Sacrificium Fidei, sine quo nihil fit nisi impuritas, nihil nisi indignitas. Sed ut docet *S. Hieronymus in hunc locum Ezechielis, tom.* 5. *fol.* 225. *lit. E. edit. Parisiens.* 1546. „ Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem ac-„ ceperit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si „ quid boni fecerint non absque mercede Dei judicio præ-„ teriri „. Eos autem aliquid boni facere docet iterum *S. Augustin. epist.* 130. „ *Polemo* ergo si ex luxurioso conti-„ nens factus, ita sciret cujus esset hoc donum, ut eum „ abjectis superstitionibus gentium piè coleret, non solum „ continens, sed etiam veraciter sapiens, & salubriter re-„ ligiosus existeret: quod ei non tantum ad præsentis vitæ „ honestatem, verum ad futuræ immortalitatem valeret „. *Tom.* 2. *fol.* 645. *lit. B. edit. Basil.* 1541.

XLIII.

Primus effectus gratiæ baptismalis est facere ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, Cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus Mundi.

Contrà est.

Jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. *Rom.* 7. *v.* 20.

Quibus indicatur: primum effectum gratiæ baptismalis non

lis non esse facere ut ita moriamur peccato, ut Spiritus; Cor, sensus, non habeat plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundanis, secundum quod docet *S. Greg. in c. 15. lib. 1. Reg.* „ Quid est enim quod ait Apostolus: „ *jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* „ Ex illa quidem culpa quam ex vitiosa naturæ nostræ radice „ contrahimus, habemus ut corrumpi vitiorum passionibus „ valeamus „. *Tom. 1. fol. 447. lit. A. Impress. Antv.* 1615.

XLIV.

Non sunt nisi duo Amores, unde volitiones & actiones omnes nostra nascuntur, amor Dei, *qui omnia agit propter* Deum, *quemque* Deus *remuneratur; & amor quo nos ipsos ac mundum diligimus, qui quod ad* Deum *referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

Contrà est.

Ibunt de virtute in virtutem. *Ps. 83. v. 8.*

℣ Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & Lilia colliget. *Cant. 6. v. 1.*

Quibus indicatur: plures esse quam duos amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; scilicet amores tum Naturales honestos, & licitos, tum amores aliarum virtutum tam infusarum, quam aliarum, quarum habitus in nobis non sunt otiosi, & ex quibus prodeunt actus, tametsi non prodeant ex Charitate, ac propterea non sunt, Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remunerat, neque amor quo nos ipsos ac mundum diligimus.

Secundum quod *S. Bernard. in illud* Cant. 6. v. 3. „ Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & Lilia colligat, quot *virtutes* inquit tot *Lilia* „. *Serm. 70. lit. L. fol. 174. edit. Paris.* 1546. Enumeratque idem veritatem, mansuetudinem, Justitiam, quarum virtutum actus non sunt actus Charitatis diligentis Deum propter se ipsum; neque tametsi ipsi ex motivo Charitatis non referantur ad Deum, propter hoc ipsum fiunt mali: *Vide S. Aug. de Spir. & lit. cap. 28. & Serm. 349. Edit. nova, & S. Prosperum contra Collat. c. 26.*

XLV.

Amore Dei in Corde peccatoris non amplius regnante, necesse est, ut in eo Carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

Contrà est.

Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos. *Exod.* 1. *v.* 21.

Quamobrem Rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime. *Dan* 4. *v.* 28.

Quibus indicatur: amore Dei in Corde peccatorum non amplius regnante, necesse non esse, ut in eo Carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat: scilicet ut docet *S. Aug. lib. de Spir. & lit. cap.* 27. *tom.* 3. *fol.* 829. „ Impiorum, nec Deum verum, veraciter, justeque colentium, quædam tamen facta legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum nos vituperare non possumus, verum etiam meritò, recteque laudamus: quamquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur qui justitiæ debitam laudem, defensionemque mereantur. Et *S. Hieronymus in cap.* 22. *Matth.* Inter ipsos quoque Ethnicos est diversitas infinita, cum sciamus alios proclives esse ad vitia, & ruentes ad mala, alios ad honestatem morum, virtutibus deditos. *Tom.* 9. *Cap.* 25. *lit. F. Edit. Parisiens.* 1546.

XLVI.

Cupiditas aut Charitas, usum sensuum bonum vel malum faciunt.

Contrà est.

Timor Dei initium dilectionis ejus. *Eccl.* 25. *v.* 16.

Quibus indicatur: Cupiditatem aut charitatem usum sensuum bonum vel malum non facere. Sed dari actus virtutum, quæ sunt à charitate distinctæ, & hujus aliquod tantum initium, ut timoris Dei, & pœnitentiæ, aliarumque multarum, qui actus non mali sunt, sed boni, qui usum sensuum non malum faciunt, sed bonum: secundum quod docet D. *Bonaventura in opusc. de Gratiarum Sanctific. lib.* 5. *c.* 4. *tom.* 7. *pag.* 765. *lit. C. Edit. Moguntina* 1608. „ Timor servilis

„ vilis donum Spiritus Sancti est, nec tamen cum Spiritu „ Sancto „. *Et S. Chrisostomus ad populum Antioch. hom.* 15. „ Nisi bonus esset timor, non multos impendisset Christus „ sermones; & longos, de illa pœna & supplicio loquens; „ *Tom.* 1. *pag.* 171, *edit. Parif.* 1636.

XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est quod apparet exterius; alioquin non est nisi Hypocrisis, aut falsa Justitia.

Contrà est.

Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum; propter retributionem. *Ps.* 118. *v.* 112.

Illam vero contritionem imperfectam..... declarat non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum,... quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; *Trid. Sess.* 14. *cap.* III.

Quibus indicatur: obedientiam legis non debere semper profluere ex fonte; qui fons est Charitas: & tametsi Dei amor non sit illius principium; & Dei gloria ejus finis, esse tamen eam obedientiam aliud quam hypocrisis aut falsa justitia: secundum quod docet *S. Greg. hom.* 27. *in Evang. Joa.* 15. *v.* 2. *Tom.* 3. *fol.* 86. *lit. B. Impr. Antv.* 1615. „ Sunt nonnulli qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, „ & carnis, quibus tamen in hac dilectione Sacra eloquia non „ contradicunt „. *Et D. Thom.* 1. 2. *q.* 109. *art.* 5. *in* O. „ Sine gratia homo non potest mereri vitam æternam, potest „ tamen facere opera perducentia ad bonum aliquod homini „ connaturale &c.

XLVIII.

Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine Fidei lumine; sine Christo; & sine Charitate?

Contrà est.

Multi dicunt quis ostendit nobis bona? Signatum est; super nos lumen vultus tui Domine. *Psalm.* 4. *v.* 6. 7.

Si quis dixerit opera omnia quæ ante justificationem fiunt quacumque ratione facta sint, vere esse peccata; vel

odium Dei mereri ..., anathema sit. *Trid. Seff.* 6. *Canon.* VII.

Quibus indicatur : Homines aliud esse posse quam tenebras, quam aberratio, quam peccatum, tametsi in iis non sint tria hæc *Fidei lumen*, *Christus*, *& Charitas*, cum certum sit aliqua opera ante justificationem facta, ac proinde his tribus nondum informata, dici non posse quacumque ratione fiant, vere esse peccata : „ Dicendum quoque ut docet *S. Th.* „ Per infidelitatem non corrumpitur totaliter in infidelibus „ ratio naturalis, quin remaneat in eis aliqua veri cognitio, „ per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum. 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. *ad* 3.

XLIX.

Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

Contrà est.

Fides tua te salvam fecit. *Matth.* 9. *v.* 22.

In te Domine speravi non confundar in æternum. *Psalm.* 30. *v.* 1.

Confige timore tuo carnes meas : à judiciis enim tuis timui. *Psal.* 118. *v.* 120.

Quibus indicatur : varia esse opera & actus bonos sine amore Dei, quales sunt actus Fidei, Spei, & Timoris salutaris, aliique aliarum virtutum moralium quorum singuli habent motiva sua sibi propria, & distincta à motivo Charitatis, unde *S. Aug. in Ps.* 127. in illud *Beati omnes qui timent Dominum :* „ Ille Timor nondum Castus præsentiam Domini & „ pœnas timet. Timore facit quidquid boni facit : non timo„ re amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud ma„ lum : Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, „ sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste ti„ mor, utilis est, *Tom.* 8. *fol.* 1491. *lit. B. Impress. Basil.* 1542.

L.

Frustra clamamus ad Deum, Pater mi : si spiritus Charitatis non est ille, qui clamat.

Contrà est.

De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem

tem meam. Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit? *Ps.* 129. *v.* 1. *&* 3.

Nos intres in judicium cum servo tuo. *Ps.* 124. *v.* 2.

Domine salva nos, perimus. *Matth.* 8. *v.* 28.

Ad Dominum cum tribularer clamavi. *Psalm.* 119. *versicul.* 1.

Quibus indicatur: non frustrà nos clamare ad Deum *Pater mi*, si Spiritus Charitatis non est ille qui clamat; quia neque in justis, neque in peccatoribus frustra clamat; spiritus spei, fiduciæ, timoris, & orationis, qui nondum sunt ipsi Spiritus Charitatis, sed quibus ad Charitatem ascendimus. Unde monet *S. Hieronymus in Cap.* 1. *Malach.* „ „ Vult itaque primum Deus ut Filii ejus simus, & bonum „ voluntate faciamus; si hoc consequi nolumus, ut saltem „ servos nos habeat, & à malis per suppliciorum formidinem „ recedamus „. *Tom.* 6. *fol.* 132. *Col.* 4. *lit. L. Edit. Paris.* 1546. & *S. Bern. Tract. de Præcepto & dispensatione*; „ bonus „ quidem obedientiæ gradus est, si juxta Magistri nostri sententiam propter metum gehennæ, seu propter Professio„nem sanctam quam professus est quisquam obedierit, me„lius tamen, cùm ex Dei amore obeditur „: *fol.* 267. *col.* 1. *lit. C. Edit. Paris.* 1566.

LI.

Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem.

Contrà est.

Si habuero omnem Fidem ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum. 1. *Corinth.* 13. *vers.* 2.

Veritatem Dei in injustitia detinent. *Rom.* 1. *v.* 18.

Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia simul & Fidem semper amitti, aut Fidem, quæ remanet non esse veram Fidem, licet non sit viva; aut eum qui Fidem sine Charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. *Trid. sess.* 6. *de justific. Can.* XXVIII.

Quibus indicatur: Fidem non semper justificare quando operatur; quia non justificat sine Charitate ex motivis aliarum virtutum: quod utrumque tradit *S. Aug. lib.* 15. *de Trinit. Cap.* 18. cum dicit: „ Sine Charitate quippe Fides

„ potest quidem esse, sed non & prodesse. *Tom. 3. fol. 464. lit. B. Impres. Basil.* 1541. Adeoque & sine Charitate posse operari actus suos ex motivis aliarum virtutum, non tamen sine Charitate posse justificare.

LII.

Omnia alia salutis media continentur in Fide, tanquam in suo germine, & semine; Sed hæc Fides non est absque amore, & fiducia.

Contrà est.

Peccavi tradens sanguinem justum......& projectis argenteis in templo, recessit: & abiens laqueo se suspendit, *Matth. 27. 4. & 5.*

Quibus indicatur: Fidem aliquando esse, & manere sine Charitate & absque amore, & fiducia, quando tamen est sine Charitate in peccatoribus non infidelibus, in Fide quidem contineri alia salutis media, tanquam in suo germine & semine, sed ipsam ubi est, sine operibus mortuam esse. Secundum quod docet *S. Aug. Tract. 6. in Ev. Joan. c. 1. Tom. 9. fol. 58. lit. D. edit. Basil.* 1542. „ Magna est Fides, sed nihil „ prodest si non habeat charitatem.

Hæc propositio, *quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides divina, sed humana*; est damnata ab Alexandro VIII. Inter 31. Numero 12.

LIII.

Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.

Contrà est.

Timete Dominum, & date illi honorem. *Apocal. 14. versicul. 7.*

„ Si quis dixerit eam Contritionem, quæ paratur per di-
„ scussionem, collectionem, & detestationem peccatorum,
„ qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ,
„ ponderando peccatorum suorum gravitatem..., amissionem
„ æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum...
„ non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad
„ gratiam.... Anathema sit. *Trid. Sess. 14. Can. 5.*

Qui-

Quibus indicatur: non solam Charitatem Christiano modo facere (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum; sed alias quoque virtutes facere actiones Christianas, & Christiano modo; secundum quod docet *S. Aug. lib. de Catechiz. rudibus cap. 17* „ Qui autem propter „ beatitudinem sempiternam, & perpetuam requiem, quæ „ post hanc vitam Sanctis futura promittitur, vult fieri „ Christianus, ut non eat in ignem æternum cum diabo„ lo, sed in Regnum æternum intret cum Christo, vere „ ipse Christianus est: cautus in omni tentatione, ne pro„ speris rebus corrumpatur, & ne frangatur adversis, & in „ abundantia bonorum terrenorum modestus, & temperans, „ & in tribulationibus fortis & patiens „. *Tom. 4. fol. 911. lit. D. edit. Basil.* 1541.

LIV.

Sola Charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.

Contrà est.

Tu credis quoniam unus est Deus, bene facis. Jac. 2. vers. 19.

Non secundum peccata nostra fecit nobis neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. *Ps. 102. v. 10.*

Memor esto verbi tui servo tuo; in quo mihi spem dedisti. *Ps. 118. v. 49.*

Quibus indicatur; non solam Charitatem esse quæ Deo loquitur, nec eam solam à Deo audiri, sed Fidem quoque & obsecrationem misericordiæ, & spem Deo loqui, secundum quod docet *S. Ambrosius Serm. 3. in Ps. 118.* „ Merito ergo *Da-* „ *vid* in superioribus quasi adhuc imperfectus secundum pec„ cata sibi reddi refugit, atque declinat, in hoc autem Psal„ mo, qui est posterior, quasi fundatus virtutis processu re„ tribui sibi secundum Fidei, operisque certamina deprecatur. *Tom. 4. fol. 384. lit. M. Edit. Paris. 1539.*

LV.

Deus non coronat, nisi Charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.

Contrà est.

Per Fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis. *Ad Heb.* 11. *v.* 33. *&* 34.

Beati pauperes spiritu... Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram &c. *Matth.* 5. *v.* 3. *&* 4.

Sic curro, non quasi in incertum,......, Castigo corpus meum, & in servitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. 1. *Cor.* 9. *versic.* 26. *&* 27.

Quibus indicatur: Deum coronare etiam alias virtutes; quæ non sunt Charitate perfectæ; secundum quod docet *Divus Gregor. lib.* 4. *Moral. cap.* 31. *tom.* 2. *fol.* 109. *lit. D. impres. Antverp.* 1615. „ Quia in hac vita nobis est discretio operum, „ erit in illa procul dubio discretio dignitatum. Ut quo hic „ alium merito superet, illic alius alium retributione transcen- „ dat. Neque omnes, qui currunt ex alio motivo, sive di- „ stincto à motivo Charitatis currunt in vanum secundum „ quod monet *D. Aug. in Ps.* 120. „ Noli facere (opus bo- „ num) nisi propter vitam æternam, si ideo facis securus fa- „ cies „. *Tom.* 8. *pag.* 1427. *lit. C. edit. Basil.* 1542.

LVI.

Deus non remunerat nisi Charitatem; quoniam charitas sola Deum honorat.

Contra est.

Quæ enim seminaverit homo, hæc & metet. *Galat.* 6. *vers.* 8.

Unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. 1. *Cor.* 3. *v.* 8.

Dignus est enim operarius mercede sua. *Luc.* 10. *v.* 7.

Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli: amen dico vobis non perdet mercedem suam. *Matth.* 10. *v.* 42.

Quibus indicatur: Deum non remunerare solam Charitatem, sed etiam actiones aliarum virtutum; secundum quod docet *D. Gregor. homil.* 17. *in Evang.* „ Considerandum est, „ quod uni nostro operi (*virtutis*) duæ mercedes de- „ bentur, una in via, altera in patria. Una, quæ nos „ in labore sustentat, alia, quæ nos in resurrectione re- „ munerat „ *Tom.* 3. *pag.* 45. *lit. B. edit. Antverp.* 1615. Vi-

de

ne S. Augustinum, *de bono virginitatis*, ad illa verba; *Virgines enim sunt*. Dicitur autem quandoque nihil esse virtutem nisi charitatem, sed ut docet S. Thomas. „ Non „ quia (Charitas) sit essentialiter omnis virtus, sed quia „ dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes. 2. 2. *q.* 23. *art.* 4.

LVII.

Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.

Contrà est.

Fides, nisi ad eam spes accedat, & Charitas; neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit. *Trid. sess.* 6. *c.* 7.

Quibus indicatur: non totum deesse peccatori, quando ei deest spes, potest enim in eo non deesse Fides, quæ utpote prior non pendet in suo esse à virtute spei. Secundum quod docet *D. Thomas* 2. 2. *q.* 4. *art.* 7. *ad* 5. „ Actus voluntatis præ„ exigitur ad Fidem, non tamen actus voluntatis Charitate „ informatus.

LVIII.

Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.

Contrà est.

Si quis dixerit. . . . eum, qui Fidem sine Charitate habet; non esse Christianum, anathema sit. *Trid. sess.* 6. *de justific. Can.* XXVIII.

Quibus indicatur: nec Deum perdi, neque religionem ab omni eo, qui caret Charitate, baptizatus enim quolibet peccato mortali nec definit esse Christianus, nec perdit omnia Dei bona, atque ut docet *D. Aug. lib. de Catechiz. rudibus c.* 15. „ Ipsa etiam severitate, qua corda mortalium saluberrimo „ terrore quatiuntur, Charitas ædificanda est, ut ab eo, quem „ timet, amari se gaudens eum redamare audeat „. *Tom.* 4. *fol.* 889. *lit. A. edit. Basil.* 1541.

LIX.

LIX.

Oratio impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

Contrà est.

Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. *Matth.* 11. *v.* 8.

Non enim veni vocare justos, sed peccatores. *Matth.* 9. *vers.* 13.

Quibus indicatur: orationem impiorum non esse novum peccatum, cum ipsi moneantur, & invitentur, ut orent, & teneantur orare etiam impii, seu laici, seu Sacerdotes; neque quod illis Deus concedit est novum judicium, cum eis solatium, & levamen polliceatur, unde S. Ambros. *ad Virginem lapsam cap.* 8. „ Hæc autem (Pœnitentia) sic agitur: si „ tibi ante oculos pones, de quanta gloria rueris, & de quo „ libro vitæ nomen tuum deletum sit; & si te jam credas pro- „ pe ipsas positam tenebras exteriores, *tom.* 1. *fol.* 43. *lit. K. edit. Paris.* 1539. & *S. Aug. tr.* 9. *in epist. Joan.* „ Opus est ergo „ ut intret timor primo, per quem veniat charitas, timor „ medicamentum, charitas sanitas. *tom.* 9. *fol.* 643. *lit. B. edit. Basil.* 1542. Atque adeo impius cum orat in spiritu timoris Dei, non novum peccatum committit, sed inchoat pœnitentiam, & confugit ad medicamentum.

LX.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

Contrà est.

Ut enim probaret vos, venit Deus, & ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis. *Exod.* 20. *v.* 20.

¶ Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit. *Trid. sess.* 6. *de Can.* VIII.

Quibus indicatur; tametsi solus supplicii timor animaret pœnitentiam, non tamen; quo hæc est magis violenta, eo magis duceret ad desperationem, sed ut docet *S. Aug. de Verbis Apostol. serm.* 13. „ Timor servus est, Charitas libera „ est,

„ est, & ut sic dicamus, Timor servus est Charitatis, ne
„ possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo,
„ & servet dominæ venturæ locum: fac fac vel timore pœnæ,
„ si nondum potes amore justitiæ „ *tom.* 10. *fol.* 316. *lit.* D. *edit. Basil.* 1543.

LXI.

Timor non nisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitia non ducitur.

Contrà est.

Verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti. *Job.* 9. *v.* 28.

Vide Trid. ad Prop 60.

Quibus indicatur: timorem magis quam manum cohibere; cor autem tamdiu peccato non addici, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

Quia ut docet *S. Aug. tom.* 8. *in Psalm.* 127. „ Timent & „ continent se à peccato, habent timorem & per timorem „ continent se à peccato: timent quidem, sed non amant „ Justitiam, cum autem per timorem continent se à peccato, fit consuetudo Justitiæ, & incipit, quod durum „ erat, amari, & dulcescit Deus: & jam incipit homo „ juste vivere „. *Tom.* 8. *pag.* 1490. *lit.* A. B. *edit. Basileens.* 1542.

LXII.

Qui à malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est Reus coram Deo.

Contrà est.

Ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, *Luca* 12. *v.* 5.

Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus. *Apocal.* 14. *v.* 7.

Quibus indicatur: illum, qui à malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud non committere in corde suo & jam reum esse coram Deo, ut docet *S. Aug. citatus ad Prop.* 61. *&* *Conc. Trid. sess.* 14. *Can.* v.

LXIII.

LXIII.

Baptizatus adhuc est sub lege sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

Contrà est.

Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. *Eccl.* 25. *v.* 15.

Si quis dixerit eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere... Anathema sit. *Trid. sess.* 6. *Can.* XXIX. Vide *Lateran.* Sub Innocentio III. Cap. *Firmiter*: & *Arausic.* II. *Can.* 25.

Si quis dixerit eum, qui Fidem sine Charitate habet, non esse Christianum, anathema sit. *Trid. Sess.* 6. *Can.* XXVIII.

Quibus indicatur, Baptizatum non esse sub lege sicut Judæum, si legem non adimpleat, sed si Fidem habeat, manere *Christianum* & posse per gratiam resurgere; neque esse sub lege, si legem adimpleat ex solo timore: quia ut docet *D. Greg. lib.* 2. *de vocat. gen. Cap.* 9. „Cum hic timor etiam per „magnam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio ex„tinguitur nec intellectus aufertur, sed illa potius, quæ men„tem premebat caligo discutitur, ut voluntas, depravata „prius, atque captiva, recta efficiatur, & libera „. *Tom.* 2. *fol.* 75. *lit.* A. *edit. Paris.* 1539.

LXIV.

Sub maledicto legis, numquam fit bonum; quia peccator sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.

Contrà est.

Maledicti qui declinant à mandatis tuis. *Psal.* 118. *versic.* 21.

Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala & non fecit. *Eccl.* 31. *v.* 10.

Tu scis quia cum à morte possem liberari, duros corporis sustineo dolores: secundum animam vero propter timorem tuum libenter hæc patior. 2. *Machab.* 6. *v.* 30.

Quibus indicatur: sub lege factum esse bonum, & sub lege positos eligere potuisse inter vitam & mortem, inter bonum & malum. „Dicere peccati reum teneri quemquam, „docet *S. Aug. lib. de duabus animab. Cap.* 12. quia non fa-

„ cit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & in„ saniæ „. *Tom* 6. *pag.* 156. *lit A. edit. Basil.* 1542. *Indicatur item*: sub lege non fuisse eum statum, ut semper peccaretur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando: quia ut docet *S. Augustinus de Prædest. & Grat. c.* 15. *Nabuchodonozor*, „ pœnitentiam meruit fructuosam „ *tom.* 7. *fol.* 1119. *lit. C. edit. Basil.* 1542. Et ad *Simplicianum l.* 1. *qu.* 2. „ Noluit ergo *Esau* & non cucurrit, sed & si voluisset, & „ cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei velle & cur„ rere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus „ fieret „. *Tom.* 4 *pag.* 631. *lit. D. edit. Basil,* 1541. Ac *Sanctus Chrysost. ad Rom.* 1. *Serm.* 16. „ Deus quantum in se fuit, „ Pharaonis misertus est. Quod autem salvatus non est, to„ tum per suam ipsius voluntatem stetit „. Vid. *D. Thomas* 1. 2. *quæst*, 18. *articul.* 2.

LXV.

Moyses, Propheta, Sacerdotes, & Doctores legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem.

Contrà est.

Considera quod hodie proposuerim in conspectu tuo, vitam & bonum & e contrario mortem & malum: ut diligas Dominum Deum tuum. *Deut.* 30. *v.* 15. 16.

Domine omnipotens, Deus Israel, anima in angustiis, & spiritus anxius clamat ad te, audi Domine, & miserere. *Baruch.* 3. *v.* 1. & 2.

Exue te Jerusalem stola luctus, & vexationis tuæ, & indue te decore & honore ejus, quæ à Deo tibi est sempiternæ gloriæ. *Baruch.* 5. *v.* 1.

Convertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum. *Prov.* 1. *v.* 23.

Quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? *Isaia cap.* 5. *v.* 4.

Quibus indicatur: constitutos sub veteri lege, sanctos habuisse, & filios Dei, ipsisque illius spiritum fuisse promissum, ac per os Prophetæ declarari, Deum illi vineæ suæ misericordissime providisse: ut docet *D. Ambros. lib.* 3. *Off. cap.* 14. „ Rogatus Moyses, ut his quoque finem exitiis (Æ„ gyptiorum) daret, oravit, & impetravit „. *Tom.* 1.

fol.

fol. 20. *Col* 4. *Edit. Parif.* 1539. „ Et Hieremias, cui cum di-
„ ctum esset a Domino Deo nostro, noli orare pro populo isto;
„ tamen oravit, & veniam promeruit. *Ibidem.*

LXVI.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem; aut per timorem sicuti bestia; sed per fidem, & per amorem sicuti filii:

Contrà est:

Timor Domini fons vitæ, ut declinet à ruina mortis: *Prov.* 14. *v.* 27.

Initium sapientiæ timor Domini. *Eccl.* 1. *v.* 16.

Quibus indicatur: eum qui vult Deo appropinquare, posse ad ipsum venire etiam per timorem, quod non est venire sicuti bestiæ, aut cum brutalibus passionibus, sed est in Fide præparare locum amori filiorum Dei. Quemadmodum docet *S. Aug. in epist. Joan. Tract.* 9. „ Nondum est in „ illo perfecta Charitas, numquid tamen desperandum est? „ In quo vides initium, cur desperas finem? Quod initium „ video, inquis? Ipsum timorem. Audi Scripturam „. *Initium Sapientia timor Domini. Tom* 9. *fol.* 642. *lit. A. edit. Basil.* 1542. Et iterum „ si autem nullus timor, non est qua in- „ tret Charitas, sicut videmus per setam introduci linum quan- „ do aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non „ succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non au- „ tem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret „ Charitatem „. *Ibid. fol.* 642. *lit. D.*

LXVII.

Timor servilis non sibi repræsentat Deum; nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

Contrà est:

Timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete. *Lucæ* 12. *v.* 5.

Quibus indicatur: timorem servilem sibi repræsentare Deum non quidem ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem, sed ut Dominum justum, & pater-

ne invitantem ad timorem pœnæ quam præparavit deferentibus se: unde *S. Aug. Contra adverf. leg. & Propheta l.* 1. *c.* 16. „ Salubriter non folum bonitatem, verum etiam feveri„ tatem fancta Dei Scriptura commendat, quoniam & amatur „ Deus utiliter & timetur. *Tom.* 6. *pag.* 557. *lit. B. edit. Bas. fil.* 1542. & *D. Th.* 2. 2. *q.* 9. *art.* 4. O. „ Servilitas non perti„ net ad fpeciem timoris fervilis, ficut nec informitas ad fpe„ ciem Fidei informis, ... & ideo timor fervilis, fecundum „ fuam fubftantiam bonus eft, fed fervilitas ejus eft mala.

LXVIII.

Dei Bonitas abbreviavit viam falutis claudendo totum in Fide, & precibus.

Contrà eft.

Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Joan.* 1. *v.* 9.

Si habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero nihil fum. 1. *Cor.* 13. *v.* 2.

Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeft. 1. *Cor.* 13. *v.* 3.

Quibus indicatur, Dei bonitatem non abbreviaffe viam falutis claudendo totum in Fide, & in precibus, cum & infideles ab ejus illuminatione non excludantur, fecundum quod docet *S. Profper de Vocat. omnium Gent. Cap.* 31. *lib.* 2. *fol.* 356. *Edit. Duac.* 1577. „ Elaboratum eft quantum Dominus adju„ vit, ut non folum in noviffimis diebus fed etiam in cunctis „ retro feculis probaretur Gratiam Dei omnibus hominibus „ affuiffe, providentia quidem pari, & bonitate generali: „ fed multimodo opere, diverfaque menfura „. Fideles vero intelligunt ex Apoftolo, neque refpectu ipforum Dei bonitatem abbreviaffe viam falutis claudendo totum in Fide & in precibus: fecundum quod docet *S. Ambr. tom.* 4. *l.* 7. *In Lucam Cap. XI.* „ Sed ne rurfus Fidei nos ftudiofos faciat ope„ rum negligentes, perfectionem Fidelis viri brevi fermone „ concludit, ut & fide, & operibus approbetur dicens, „ hæc „ oportuit facere, illa non omittere „. *Fol.* 464. *lit. E. edit. Parif.* 1539.

LXIX.

LXIX.

Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei.

Contrà est.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi, Fidem servavi, in reliquo reposita est mihi Corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex, non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus. *2. ad Timoth.* 4. *v.* 7. *&* 8.

Opera bona, sunt ita Dei dona, ut etiam bona sint justificati merita. *Secundum Trid. sess.* 6. *Can.* 32.

Quibus indicatur: usum, augmentum, & præmium Fidei non totum esse donum puræ liberalitatis Dei, secundum quod docet *S. Prosper lib.* 2. *de vocat. Gent. Cap.* 8. „ Datur „ (Gratia) ante illum laborem unde quisque mercedem ac„ cipiat secundum suum laborem „. *Fol.* 335. *ibid.* Merces autem non est donum puræ liberalitatis, sed ut habet *Ap. ad Rom.* 4. *v.* 4. „ Ei autem qui operatur, merces non imputatur „ secundum Gratiam, sed secundum debitum.

LXX.

Numquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.

Contrà est.

Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Luca* 2. *vers.* 35.

Et præteriens Jesus vidit hominem Cæcum à nativitate: & interrogaverunt eum Discipuli ejus: Rabbi quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit Jesus; neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo. *Joan.* 9. *v.* 1. & seqq.

Omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu persecutionem patientur. *2. ad Tim.* 3. *v.* 12.

Quibus indicatur: Deum aliquando permittere afflictiones innocentium, & afflictiones non semper servire, vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem, uti patet in Christo Servatore, Beatissima Virgine,

Cor-

Cœco Evangelii, Jobo, Tobia, aliisque quam plurimis secundum quod docent SS. PP. in testimonia ante allegata.

LXXI.

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

Contrà est.

Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. *Rom.* 13. *v.* 1.

Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter Conscientiam. *ibid. v.* 5.

Sinite illos; cœci sunt, & duces cæcorum; cœcus autem si cœco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. *Matth.* 15. *v.* 14.

Quibus indicatur: omnem hominem sublimioribus Potestatibus subditum esse debere, neque aliquem esse, qui etiam ob sui conservationem possit dispensare seipsum ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem; quales sunt tam naturales, quam positivæ, in quibus legibus prout illæ nos obligant, nemo valide potest dispensare nisi legitimus superior: qui vero aliter dogmatizant, cœci sunt, & via latissima scelerum, ac abusuum in Diabolicam foveam sequaces suos abducunt.

LXXII.

Nota Ecclesia Christiana est, quod sit Catholica, comprehendens, & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium Sæculorum.

Contrà est.

Simile est Regnum Cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti. *Matth.* 13. *v.* 47.

Quibus indicatur, Christi Ecclesiam, quæ est Catholica non tantum comprehendere omnes Angelos Cœli, & omnes electos, & justos terræ, & omnium sæculorum, sed etiam alios, qui tales non sunt, secundum quod docet S. *Greg. lib.* 33. *Moral. cap.* 22. *Tom.* 1. *fol.* 201. *Col.* 1. *lit. B. edit. Paris.* 1542. „ Regnum Cœlorum scilicet vocatur Ecclesia, „ cujus dum mores Dominus ad superna sublevat, jam hæc

„ ipſa in Domino per Cœleſtem converſationem regnat
„ quæ rectè etiam ſagenæ miſſæ in mare comparatur ex
„ omni genere piſcium congreganti, quia miſſa in hoc
„ gentilitatis ſæculum, nullum reſpicit, ſed malos cum
„ bonis, ſuperbos cum humilibus, iracundos cum mitibus,
„ & fatuos cum ſapientibus coëgit.

LXXIII.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?

Contrà eſt.

Congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis. *Matth. 25. Cap. v. 32.*

Quibus indicatur: Eccleſiam non ſolum eſſe cœtum Filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam & expectantium gloriam futuri ſæculi; ſed etiam aliorum qui horum numero adjungi non poſſunt, ſecundum quod docet idem S. Pontifex *Homil. 19. in Evangelia*. „ Hoc ovi-
„ le ſanctæ Eccleſiæ hædos cum agnis recipit;... illic eos à
„ ſorte humilium judex ſeparat; qui ſe hic in ſuperbiæ corni-
„ bus exaltant, Regnum Cœlorum percipere nequeunt, qui
„ hic, & in Cœleſti Fide poſiti toto deſiderio terrena quæ-
„ runt. Et multos tales intra Eccleſiam Fratres Chariſſimi
„ cernitis; ſed eos nec imitari, nec deſpicere debetis „. *Tom. 3. pag. 55. lit.* C. *edit. Antv.* 1615.

LXXIV.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.

Contrà eſt.

In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia: & quædam in honorem; quædam autem in contumeliam. *2. ad Tim. 2. v. 20.*

Quibus indicatur: Eccleſiam, quæ habet Incarnatum Ver-

Verbum ut Caput, non solum omnes Sanctos habere, ut membra, secundum quod docet S. *Ambros. in eumdem locum Apostoli*; „ Hoc dicto significavit in Ecclesia diversos esse „ homines; quosdam bonos, & summos viros; quos in auro „ intelligi vult, quosdam bonos tantum, quos in argento „ designat; alios vero non bonos; quos vasa lignea; & fi- „ ctilia appellat; quod nulli ambiguum puto: nam in Co- „ rinthiorum hoc Ecclesia probat frequens sermo objurgantis „ Apostoli, nunc autem in Ecclesia nostra palam est, & in „ templo Hierosolymis in quo typus erat Ecclesiæ manifestis „ lectionibus approbatur „. *Tom. 4. in cap. 2. Epist. 2. ad Timoth. fol.* 555. *lit.* G. H. *Impr.* Paris. 1539.

LXXV.

Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona; Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis; quorum est Sanctificator.

Contrà est:

Ite ergo ad exitus viarum, & quoscumque inveneritis vocate ad nuptias. *Matth* 22. *v* 9.

Quibus indicatur: Ecclesiam non esse unum solum hominem compositum ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona; neque unum solum Christum compositum ex pluribus sanctis, quorum est sanctificator; sed etiam ex aliis qui sancti non sunt, secundum quod docet S. *Ambros.* „ Mitte inquam ad universos, non ex- „ cusat Ecclesia à cœna tua, excusat Novatianus: non dicit „ familia tua: sana sum, medicum non requiro; sed dicit; „ sana me Domine; & sanabor; salva me & salvabor: Deni- „ que Ecclesiæ tuæ species est in illa, quæ accessit retro, & „ tetigit fimbriam vestimenti tui dicens intra se; quia *si tetigero vestimentum ejus salva ero*. Hæc ergo Ecclesia confite- „ tur vulnera sua; hæc curari cupit „. *Tom.* 2. *lib.* 1. *de Pœnitent. Cap.* 6. *fol.* 48. *lit.* E. *edit.* Paris. 1539.

LXXVI.

Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & justi omnium Sæculorum illam componunt.

Contrà est.

Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. *Matth. Cap.* 18. *v.* 17.

Quibus indicatur: non ideo nihil spatiosius esse Ecclesia Dei, quia omnes electi, & justi omnium sæculorum illam componunt, qui sunt nobis incogniti: cum etiam componatur ex cognitis, ad quos Evangelium nos remittit, secundum quod docet *S. Greg.* „ Quia enim à bonis, malisque hæc vita „ communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utroque numero visibiliter congregatur, sed Deo invisibiliter judicante, discernitur, atque in exitu suo a reproborum societate separatur. „ *lib.* 3 *Moral. C.* 12. *Tom.* 1. *fol.* 184. *col.* 4. *lit. K. Impr. Paris.* 1534.

LXXVII.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro Capite.

Contrà est.

Zizania autem Filii sunt nequam. *Matth.* 13. *v.* 38.

Quibus indicatur, non omnes qui non ducunt vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessare interius Deum habere pro patre, & esse partes corporis cujus Christus est caput: cum etiam in Ecclesia, cujus Christus est caput, aliqui inveniantur, qui ejusmodi vitam non ducant, secundum quod docet *idem S. Doctor*. „ Terrere autem vos non debet; „ quod in Ecclesia & multi mali, & pauci sunt boni, quia „ Arca in undis Diluvii, qui hujus Ecclesiæ typum gessit, & „ ampla in inferioribus, & angusta in superioribus fuit; quæ „ in summitate etiam sua, ad unius mensuram cubiti excrevit. „ Inferius quippe quadrupedia, atque reptilia, superius vero „ aves, & homines habuisse credenda est. Ibi lata exstitit, „ ubi bestias habuit, ibi angusta, ubi homines servavit, quia „ nimirum sancta Ecclesia in carnalibus ampla est, in spiritualibus angusta, „ *Homil.* 38. *in Evang.* circa medium, *Tom.* 2. *fol.* 130. *col.* 3. *lit. G. H. edit. Paris.* 1542.

LXXVIII.

LXXVIII.

Separatur quis à Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput est Jesus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.

Contrà est.

Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui. *Matth.* 25. *v.* 18.

Quibus indicatur, non separari aliquem à populo electo, cujus figura fuit populus Judaicus, & caput est solus Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio: non enim separati sunt ab Ecclesia illi omnes, qui secundum Evangelium non vivunt, secundum illud, quod docet *S. Greg.*, „ Sunt enim plerique intra sanctam „ Ecclesiam, quorum iste servus (qui scilicet abiens, talentum in terram defoderat) imaginem tenet, qui melioris „ vitæ vias aggredi metuunt, & tamen jacere in sui corporis „ ignavia non pertimescunt. Cumque se peccatores considerant, sanctitatis vias accipere trepidant, & remanere in „ suis iniquitatibus non reformidant „. *Homil.* 9. *in Evangel. Tom.* 2. *pag.* 102. *lit. F. edit. Paris.* 1542.

LXXIX.

Utile; & necessarium est omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.

Contrà est.

Euntes in Mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. *Marci* 16. *v.* 15.

Qui crediderit & Baptizatus fuerit salvus erit: *Ibidem vers.* 16.

Putasne intelligis quæ legis? *Act.* 8. *v.* 30.

Quibus indicatur: utile, & necessarium non esse omni tempore, omni loco, & omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, pietatem, & Mysteria S. Scripturæ, cum neque in primitiva Ecclesia Apostoli, neque eorum successores missi fuerint ut illud studium inculcarent, sed ut prædicarent Verbum Dei; quod diu pauci scriptum

habuerunt, aut servarunt: *Episcopis* postremum & *Lectoribus* officii cura ab Ecclesia concessum. Catechumenis & Fidelibus ex præscripto pæ legendum, audiendumque ad pedes Ministris; secundum quod docet *S. Irenæus lib.* 3. *Cap.* 4. *pag.* 242. *edit. Paris.* 1639. „ Multæ gentes Barbarorum, qui „ in Christum credunt sine charta & atramento, scriptam „ habentes in cordibus suis salutem, & veterem traditionem „ diligenter custodientes „. Unde ait *Lindanus*, „ non sine „ Spiritus Sancti voluntate tot annos toto orbe verum Christi „ Evangelium fuit prædicatum, antequam esset ulla Verbi „ Dei notula vel litterula.

LXXX.

Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

Contrà est.

Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. *Thren.* 4. v. 4.

Cum experimento manifestum sit, si S. Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittatur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, in hac parte judicio Episcopi aut Inquisitoris stetur &c. *Concil. Trid. in Regula* 4. *Indicis.*

Quibus indicatur: lectionem S. Scripturæ non esse pro omnibus; sunt quippe inter omnes, parvuli, & provectiores, infimi, & fortes, sapientes, & insipientes, temerarii & prudentes, & illorum quidem utilitati ut in Domino consulat Ecclesia, statuit Pastorum in ea judicio standum esse: secundum quod docet *S. Nazianzenus in Apologetico.* „ „ Quidam enim lactis alimonia opus habent; hoc est simplici, & rudimentaria doctrina, nimirum, qui animi „ habitudine teneri sunt, recensque, ut sic dicam compacti, nec virilem sermonis cibum ferunt. Quem si quis „ ipsis præter vires admoverit, ejus pondere oppressi forte „ tasse, atque obruti (animo ad id, quod transmissum est, „ attrahendum sibique accommodandum, nequaquam satis „ virium habente, quemadmodum nec corpus in cibis materia constitutibus) pristinas etiam eorum vires labefactabit „. *Pag.* 11. *Col.* 2. *in fine edit. Antv.* 1570. Et *S. Aug. ad Januar. epist.* 118. *Cap.* 5. „ Si quid horum tota per orbem „ frequentat Ecclesia, nam hoc quin ita faciendum sit dis-

„ pu-

„ putare insolentissimæ insaniæ est „. *Tom. 2. fol. 558. lit. D. edition. Basileens.* 1541. Tum etiam distinctius de hac materia *Lib. 1. de Doctrina Christ. Cap. 39.* „ Homo itaque Fide, Spe, & Charitate subnixus, eaque inconcusse retinens non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. „ Itaque multi in solitudine sine codicibus vivunt. „ *Tom. 4. pag. 20. lit. D. edit. Basil.* 1541.

LXXXI.

Obscuritas Sancti Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

Contrà est.

Tenete Traditiones, quas didicistis, *2. ad Thessal, 2. v. 14.*

Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus divisit mensuram Fidei. *Ad Rom. 12. v. 3.*

Quibus indicatur: Laicos scientes Verbum Dei obscurum esse, memores mensuræ suæ, non posse ex propria voluntate ad illius Verbi lectionem accedere, secundum quod docet *S. Basilius in Regulis Brevioribus ad interrogationem 96.* „ Cum Apostolus dicat ut non quæcumque vultis, illa faciatis, in unaquaque re, quidquid ex voluntate propria optabile, id si alicujus arbitrio permittatur calamitosum esse; contraque quidquid Antistites rectum statuerint, in eo manere unusquisque debet, etiamsi contra voluntatem ipsius sit. Porro qui hoc non facit, is manifeste docet animum habere se alienum à Fide„. *Fol. 339 Col. 2. lit. D. edit. Antv.* 1616. Quid porro hac super re Antistites statuerint, toto orbe notissimum est; quibus sanctissimis Statutis inhærens *Imperator Carolus V. Edicto suo dato Mechlinia 27. Julii* 1526. testatur præterea. „ Animadvertimus etiam præfatas deviationes, atque errores ex parte provenire, atque consoveri ex eo, quod laicæ simplices & indoctæ personæ, Gallica, Flandricaque Evangelia, aliaque sacra Scripta juxta intellectum suum, & litteram legunt „. *Lit. 1. Rubr. 7. de Haret. fol.* 104.

LXXXII.

Dies Dominicus à Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.

Contrà est.

Observa Diem Sabbati, ut sanctificeseum. *Deuteron.* 5. *vers.* 12.

Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei. *Heb.* 13. *v.* 7.

Quibus indicatur: Diem Dominicum iis pietatis officiis sanctificandum esse, & eo modo, quo id à Præpositis Ecclesiæ secundum Verbum Dei, faciendum esse accepimus: à quibus numquam est intellectum, debere unumquemque Christianum lectionibus super omnia Sacrarum Litterarum sanctificare Diem Dominicum. Sed iidem multis, sanctisque suis Decretis ab ea quosdam Christianos juxta præscripta sua abstinere voluerunt utilissime quidem, & nullius damno: secundum quod docet *S. Basil. in Regulis Brevioribus. Ad interrogationem* 235. „ De subditis loquens; de „ cæteris vero unusquisque memor verborum illorum Apo„ stoli, non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere „ ad sobrietatem; unicuique sicut Deus divisit mensuram, „ quæ officii sui sunt studiose discat, & persequatur, ne„ que curiose ulterius quidquam inquirat. *Tom.* 2. *fol.* 705. *lit.* D. *Edit. Paris.* 1637. Scilicet ut notat *Tiletanus*, „ compertissimum est in illis Regionibus Hæreses numquam „ latius serpsisse; quam ubi Scripturarum in varias linguas tran„slationes passim populo permissæ sunt, *In Apol.Trid.pag.* 100.

LXXXIII.

Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia, ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.

Contrà est.

Non judices contra judicem: quoniam secundum quod justum est judicat. *Eccl.* 8. *v.* 17.

Qui

Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. *Luc.* 10. *v.* 16.

Quibus indicatur : Christianos non ex judicio hominis, sed ex voce Pastorum suorum audire debere quid eos sapere oporteat : est autem multiplicibus Canonibus, Constitutionibus, & Responsis Summorum Pastorum confirmatum, non esse illusionem, quod notitia mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione Sacrorum Librorum, quorum utique promiscua lectione, Pastorum præscripta ipsos interdicunt, secundum quod docet *S. Hi. in Ep. ad Paulinum* ,, ut intelligeres, inquit, te in Scripturis san- ,, ctis sine prævio ,, & monstrante semitam non posse ingre- ,, di. Tum abusus deplorans addit præterea ,, quod medi- ,, corum est promittunt medici, tractant fabrilia fabri. So- ,, la Scripturarum ars est ; quam sibi omnes passim vendi- ,, cant ... hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc ,, sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, ,, docent antequam discant. Alii adducto supercilio grandia ,, verba trutinantes, inter mulierculas de sacris Literis Phi- ,, losophantur ; alii discunt, proh pudor! a fœminis, quod ,, viros doceant. ,, *Tom. ultimo Epist. fol.* 2. *Col.* 3. *lit. h Edit. Paris.* 1546.

LXXXIV.

Abripere è Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.

Contrà est.

Episcopi cum consilio Parochi vel Confessarii Bibliorum, a Catholicis authoribus versorum lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum sed Fidei atque pietatis incrementum accipere posse. *Conc. Trid. in Regula* 4. *Indicis.*

Audiant illos. *Lucæ* 16. *v.* 29.

Quibus indicatur : abripere contra Pastorum præscriptum ex aliquorum Christianorum manibus Novum Testamentum seu illud clausum tenere auferendo eis hunc modum illud intelligendi, non esse illis Christi os obturare, sed esse illis Christi os aperire, secundum uniuscujusque mensuram : juxta quod docuit *Joannes Gerson in Tractatu* decem

decem considerationum consid. 4. & 5. „ Quemadmodum de „ Biblia bene, & recte in Gallicum translata bonum ali„ quod, si sobrie intelligatur, potest emanare, sic per op„ positum innumeri errores & mala evenire possunt, si male „ fuerint traducta, aut præsumptuose intellecta; tum adversus illos, qui passim permissam volebant lectionem S. Scripturæ sic addit. *In Tract. Hæresum de communion. sub utraque specie regula* 8. „ Ex hac præterea radice pestifera orti sunt, „ & quotidie crescunt errores *Beguardorum & Pauperum* „ *de Lugduno*, & omnium similium, quorum multi sunt „ laici, habentes in suo vulgari translationem Bibliæ in gran„ de præjudicium, & scandalum catholicæ veritatis, quale „ propositum est in *Reformatorio* esse tollendum. „ *Parte* 1. 37. *lit. M. edit. Basil.*

LXXXV.

Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ præsertim Evangelii est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

Contrà est.

Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est *Matt.* 19. *v.* 11.

Frater noster Paulus... loquens in eis (Epistolis) de his in quibus sunt, quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. *Pet.* 3. *v.* 16.

Quibus indicatur: interdicere juxta pastorum præscripta aliquibus Christianis lectionem S. Scripturæ, aut etiam Evangelii, non esse interdicere usum luminis Filiis lucis, nec facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis; sed omnibus viribus & oculis in Domino consulere, & eripere multis periculis. Secundum quod multiplici prohibitione obviam ivit *Innocentius III. Epistola data* 4. *idus Julii* 1199. & Concilium Tolosanum 1229. aliique Pontifices, Concilia, Episcopi, Imperatores, & Reges; quorum multiplicia Statuta, & Edicta aliquibus Christianis lectionem Sacræ Scripturæ interdicunt, neminem excommunicantes, sed omnes ad prædicationem verbi Dei adhortantes & admittentes.

LXXXVI.

Eripere simplici Populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.

Contrà est,

Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, *ad Heb. cap.* 13. *v.* 17. quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, *Act.* 20. *v.* 28

Quibus indicatur; sequendi esse ea, quæ à Præpositis Ecclesiæ, circa Ecclesiasticam disciplinam, pro loco, & tempore disponuntur, neque illos eripere simplici populo solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, si nolit simplicem populum, aut audire sacrosanctum Canonem, aut apud se legere, aut habere usum contrarium praxi Apostolicæ, & intentioni Dei. Unusquisque consuetudines. Ecclesiæ suæ observet, quæ in ejusmodi disciplinis, ita quidem constituit ibi, al bi autem sic, ubique in uno spiritu Christi Jesu secundum quod tradit *S. Greg* „ Kyrie eleison autem nos, inquit, „ neque diximus, neque dicimus, sicut à græcis dicitur, quia „ in græcis simul omes dicunt, apud nos autem à clericis di- „ citur, & à populo respondetur, Et infra, Dominica ora- „ tio apud græcos ab omni populo dicitur, apud nos autem à „ solo Sacerdote, „ *Registro Ep. lib.* 7 *indict.* 11. *Ep.* 64. *fol.* 275. *lit. F. & fol.* 276. *lit. A. Tom.* 4. *edit. Antv.* 1615. *vide Bellarm. Tom.* 2. *lib.* 2. *de Sacrificio Missæ.*

LXXXVII.

Modus plenus sapientiæ, lumine, & Charitate, est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus, satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

Contrà est,

Impietas impii non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. *Ezech.* 33. *v.* 12.

Peccavi Domino, 2 *Reg* 12. *v.* 13.

Vigilate ergo quia nescitis, qua hora Dominus Vester venturus sit. *Matth.* 24. *v.* 42.

Qui-

Quibus indicatur: non esse, prout indefinite esse dicitur modum plenum sapientiæ, & Charitate, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pænitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere Justitiæ Dei, antequam reconcilientur: secundum quod docet *S. Ambros.* „ Baptizatus ho„ mo, si postea desertor violatorque Sacramenti fuerit, „ peccat, & Deum repellit a se, si autem agat pœniten„ tiam ex toto corde, ubi Deus videt, Salvabitur, sicut vi„ dit cor *David*, quando increpatus à Propheta graviter „ post comminationes terribiles Dei, exclamavit dicens, *pec„ cavi*, & mox ut audivit, abstulit peccatum tuum. *Tom. 1. in exhort. ad faciendum pœnitentiam fol. 235. sub finem edit. Basil. 1527.*

LXXXVIII.

Ignoramus quid sit peccatum, & vera pænitentia; quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.

Contrà est.

Non tardet converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. *Eccl. 5. v. 8.*

Quibus indicatur: non ignorare nos quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando juxta vocem Domini volumus statim restitui possessioni bonorum illorum; quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem, quam Christus Dominus diu ferri non voluit, neque ab adultera, neque à muliere, quæ erat in civitate peccatrix, neque ab Apostolo Petro, aliisque: secundum quod docet proinde *S. Amb.* „ Agenda est enim pœniten„ tia non solum sollicite, sed etiam mature, ne forte Evange„ licus ille pater familias, qui arborem ficum plantavit in „ vinea sua veniat, & quærens fructum in ea, si non invene„ rit, dicat cultori vineę: *succide illam, ut quidem etiam terram occupat? T. 1. l. 2. de pœn. c. 1. f. 121. lit. A edit. Basil. 1727.* „ *&c.* 11. Eos autem qui pœnitentiam differunt, satis ipse „ Dominus admonuit dicens: pœnitentiam agite, appropin„ quavit enim regnum cælorum; nescimus qua hora fur ve„ niat, nescimus an proxima nocte à nobis reposcatur ani„ ma.

„ ma. Adam post culpam statim de Paradiso Deus ejecit ; „ non distulit. „ *fol.* 234. *lit. D.*

LXXXIX.

Quartus decimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.
Contrà est.

Diebus festis sacrum reverenter audito : mandat præceptum Ecclesiæ. Vide Concilium Aghatense. *Can.* 21. & 47.

Quibus indicatur; præceptum esse omnibus Christi fidelibus, & subditis Ecclesiæ, statutis diebus assistendi Ecclesiæ Sacrificio, ideoque peccatorem, etiam antequam sit reconciliatus, præcepto illo teneri, ac si jus habere, ut ibi assistat, ubi sub gravi præcepto interesse tenetur: neque eum expectare debere appellatum illum decimum quartum gradum conversionis: secundum quod docet *S. Ambros.* „ Quisquis enim frater Dominicis non interest Sacramentis, necessario apud Deum castrorum desertor est divinorum „. *Tom.* 8. *ser.* 1. *de grano sinapis fol.* 189. *lit. B. Edit. Par.* 1539.

XC.

Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.
Contrà est.

Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est, in nomine D. N. J. C. congregatis vobis & meo Spiritu cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi. 1. *Cor.* 5. *v.* 3. 4. & 5.

Ex quibus (circa Fidem naufragantibus) est *Hymenæus* & *Alexander*, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare. *Ad Timoth.* 1. *Cap.* 1. *v.* 10.

Quibus indicatur: Ecclesiam authoritatem habere excommunicandi, ut eam exerceat per primos Pastores, idque in virtute Domini nostri Jesu Christi, non autem de consensu etiam præsumpto totius corporis, secundum quod docet *idem S. Ambr.* „ Hæc est humilitas, si nihil sibi quis arroget, „ sed

„ sed inferiorem se esse existimet .... Cum dolore amputatur
„ etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur si possit
„ sanari medicamentis: si non potest, tunc à medico bono
„ abscinditur: Sic Episcopi affectus boni est; ut optet sanari
„ infirmos, serpentia auferre ulcera, adurere aliqua, non ab-
„ scindere; postremò quod sanari non potest, cum dolore
„ abscindere. „ *Tom. 1. lib. 2. offic. Cap. 27. fol. 16. lit. C, ejusd. Edit.*

XCI.

Excommunicationis injustæ metus, nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro, nunquam eximus ab Ecclesia; etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per Charitatem affixi sumus.

Contrà est.

Sententia Pastoris sive justa sive injusta fuerit, timenda est. 11. *q.* 3. *Can.* 1.

Quibus indicatur: alicujus excommunicationis injustæ metum aliquando debere nos impedire ab implendo al quo debito nostro. Secundum quod habet *maxima* juristarum:
„ Quantumcunque injusta sit aliqua sententia dummodo
„ non sit *nulla*, timeri debet, & illi obediri „. Et *S. Greg. hom.* 16. *in Evang. Tom.* 2. *fol.* 117. *Col.* 1. *lit. A. B edit. Paris.* 1542. „ Qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel inju-
„ ste „ De excommunicationibus jure nullis, de notorie injustis, aut emanatis ex errore intolerabili; quæ juxta SS. PP. & D. Thomam timeri non debent; v de Theologos & Canonistas passim; qui de propositione hac male nullis limitibus circumscripta, docebunt uberius.

Vide *Causam Quesnellianam* pag. 140 *Ubi Quesnellus* respondet Archiepiscopum *Sebastenum* à Sede Apostolica suspensum, posse non obstante interdicto, munus suum exercere, pro cujus responsi confirmatione ad has suas reflexiones remittit, quas item probat Doctor *Van Espen pag.* 1530. proscripti operis, cui titulus, *Jus Ecclesiasticum Universum.* Tom. 2.

XCII.

Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem; est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.

Contrà est:

Curam habe de bono nomine. *Eccli.* 41. *v.* 15.

Melius est nomen bonum quam divitiæ multæ. *Prov.* 22. *v.* 1.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis &c. *Matthæi* 18. *v.* 6.

Quibus indicatur: Innocentem excommunicatum; qui injustè patitur, debere, si possit, innocentiam suam probare, ut consulat famæ suæ, & ædificationi proximi, ut cum eo pergat sacris mysteriis communicare; quam communicanem debet sibi, si possit, procurare: nequaquam autem qui prætexit se in pace pati excommunicationem, & anathema injustum, hic imitatur Sanctum Paulum: qui scilicet numquam neque à legitima potestate passus est; neque pati optavit Anathema, injustum tantum.

XCIII.

" *Jesus quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato; Jesus restituit, quod ipsi inconsideratò zelo rescindunt.*

Contrà est:

Quare tu enarras justitias meas? *Ps.* 49. *v.* 16.

Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. *ibid.* *v.* 19.

Quibus indicatur: ab eo homine fideles intelligere non debere quæ vulnera quandoque Jesus sanet, quid restituat, qui post tam graves, & iteratas ab Apostolica Sede emanates per Ecclesiam condemnationes, in illius Primis Pastoribus arguere sustinet præcipitem festinationem; & zelum inconsideratum: Scilicet ut tradit *S. Ambr.* Sampson binas
„ vulpes sibi nexuit, ad quarum caudas alligavit faces &
„ dimisit eas per messes *Allophylorum*; per hanc figuram
„ significans, quod improbi, ac fraudulenti homines, &
„ ma-

„ maxime hæretici liberam linguam habent ad latrandum, sed exitus impeditos, aut religiosa principia, finem vero fraudis suæ incedio deputatum. „ *Tom. 4. serm. 11. in Psalm. 118. fol. 406. lit. E. Edit. Paris. 1539.*

XCIV.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

Contrà est.

Scitote, quia me priorem vobis odio habuit. *Joann. 15. vers. 18.*

Si me persecuti sunt, & vos persequentur. *Ibid. v. 20.*

Quibus indicatur: eos qui foris sunt, inimicos Ecclesiæ, si malam de Ecclesia opinionem habent, eandem quoque habere de Deo ipso, & in ignorantia sua appellare bonum malum, id est gladium Ecclesiæ, qui est in salutem, appellare dominatum supra fidem Fidelium, & credendam per Ecclesiam Doctrinam traducere, seu res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. Illi vero qui affirmare non erubescunt se ejusmodi dominatum, & divisiones videre, temeritatis suæ tot numerant testes, quotquot sunt scandali sui non complices.

XCV.

Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est à simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium; neque satis advertitur quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.

Contrà est.

Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? *Job. 12. v. 2.*

Fabricatores mendacii & cultores perversorum dogmatum. *Job. 13. v. 4.*

Utinam taceretis, ut putaremini esse sapientes. *Ib. v. 5.*

Quibus indicatur: Perversis dogmatibus adhærentes in jactantia sua ad mendacia confugere, quibus contra testimonium orbis universi affirmant, plerisque Christianis veritate-

veritates eo devenisse, ut iis sint quasi lingua peregrina & idioma incognitum, & generali fidelis denigrant prædicationis modum, & ambulantes in mirabilibus supra se, annunciant iram Dei, quam oramus ut timeant sui ipsorum causa: cætera clamoribus suis Ecclesiæ curam comprobantes: si quidem ut docet *S. Greg. lib. 3. moral. c. 20. t. 1. fol. 15. lit. E. Ed. Par.* 1542. „ Tacentes adversarios habemus, si vere si„ dei Filios prædicando generare negligimus.

XCVI.

Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.

Contrà est.

Numquid Deus indiget vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos? *Job.* 13. *v.* 7.

Audivi frequenter talia, consolatores onerosi omnes vos estis. *Job.* 19. *v.* 2.

Quibus indicatur; turpiter injuriosam hujusmodi locutionem, qua calumniose traducuntur omnes potestates, tamquam permittente Deo contrariæ prædicatoribus veritatis; ut victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ; habendam esse tanquam vocem amicorum Job. Secundum quod docet idem *S. Pontifex* „ Sive enim hæretici, seu pravi „ quilibet, cum laborare bonus in adversitate conspiciunt, in „ eo quod illos consolari apperunt, mala eis persuadere conan„ tur: unde non immerito bonorum mentibus onerosa fit eo„ rum consolatio, quia inter verba dulcedini virus propinare „ cupiunt erroris. „ *Tom.* 1. *lib.* 13. *Moral. c.* 1. *fol.* 76. *Col.* 1. *lit. A. edit. Paris.* 1542.

XCVII.

Nimis sæpe contingit membra ista, quæ magis sancte ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata: sed justus vivit ex fide, & non ex opinione bonorum.

Contrà est.

Quid sine causa vana loquimini? *Job.* 27. *v.* 12.

Quæ est enim Spes hypocritæ? *Ibid. v.* 8.

Quibus indicatur: homines tentantes Deum, & servos ejus, vana in rem suam comminisci, ut quasi merito queri posse viderentur; unde ejusmodi nimis sæpe contingere dicunt membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici atque tractari tamquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tamquam ab ea separata, ut si ipsi ab ea separari debeant, caput Ecclesiæ clament injustum, & persuadeant insipientibus, inter sanctos esse locum eorum; pro hypocrisi sua exclamantes: *Justus ex Fide vivit*, nescientes quia Fides est una, quæ promittente Deo, neque in Petro, neque in Successoribus ejus deficiet, ac propterea ut author est *S. Amb. Tom. 3. in oratione funebri de obitu Fratris*: „ *Satyrus* (Ambrosii Frater)„ advocavit ad „ se Episcopum (Luciferum) nec ullam veram putavit, nisi „ veræ Fidei gratiam. Percontatusque ex eo est, utrumnam „ cum Episcopis Catholicis, hoc est cum Romana Ecclesia „ conveniret„. Vide plura *Ibidem fol. 129. Col. 1. lit. A. edit. Paris. 1539.*

XCVIII.

Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tamquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo.

Contrà est.

Ipse erit salvator meus: non enim veniet in conspectu ejus omnis hypocrita. *Job. 13. v. 16.*

Quibus indicatur: audiendam esse vocem Salvatoris nostri & Sanctorum ejus, non autem hypocritarum, illi passi sunt persecutiones propter justitiam, propter nomen Domini: illos scimus quia beatos esse dixit: hypocrita dixit sine discrimine, status persecutionis, & pœnarum quas quis tolerat tamquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo, quod quidem blasphemum dogma, nemo fuit Hæresiarcharum, qui non probaret.

XCIX.

Pervicacia; præventio, obstinatio in nolendo, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla &c.

Contrà est.

Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia, & opprobrium. *Prov. 18. v. 3.*

Quibus indicatur: pravorum hominum ultimum & miserrimum refugium in luctuoso contemptu positum esse, quo summorum in Ecclesia Pastorum Constitutiones, judicia, & sententias, quibus in viam revocari possent, si saperent, arguunt pervicaciæ, præventionis; obstinationis in nolendo, ut mentiuntur, aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptos; eaque calumniantur mutare quotidie quoad multos in odorem mortis, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla, non attendentes ad id quod scriptum est à *S. Aug.* „ Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet „. *Lib. 3. contra Julianum Cap. 1. Tom. 7. pag. 992. lit. D. edit. Basil.* 1542.

C.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos. Tempus hoc advenit .... Haberi, & tractari à Religionis Ministris, tamquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum. est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quódam religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo Impium, & sacrificamus Diabolo Dei Servum.

Contrà est.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis qui dicit

in hi *Domine Domine*, intrabit in Regnum Cœlorum. *Matth.* 7. *v.* 20 *&* 21.

Venenum aspidum sub labiis eorum. *Ps.* 13. *v.* 6.

Quibus indicatur: ex fructibus, etiam assertoris hujus propositionis, ipsique adhærentium, intelligi debere quam illi appellent *Veritatem*, quid ex stiment esse eam *Persequi*; quos nominent illius *Discipulos*, quos celebrent *viros probos*; quam intelligi velint *passionem* aut propriam, aut alienam; qua quosdam excæcatos flamma ferroque persequi lamentantur; quem Dei *servum salutent*. Est autem perspicuum omnibus ad ea opera accedentibus, eorum idiomate appellari *Veritatem*, Doctrinam ab Ecclesia damnatam, eamque eos *persequi* dicunt, qui eam memores muneris sui student eradicare: *Discipuli* vero *Veritatis*, & *viri probi* ipsis sunt pertinaces damnatæ illius Doctrinæ sectarii, eosdemque collocant inter *servos* Dei, quorum, quos excæcatos nominant *persecutores*, ipsi sunt principes Ecclesiæ, Pastores populi, tale venenum aspidum est sub labiis eorum, iisque se assimulavit de quibus scribit *S. Ambr.*,, Aliter enim com-„ menta erroris commendare non possunt, nisi interposito „ Salvatoris (veritatis &c.) nomine prædicent, ut res con-„ trarias, & absurdas, nominis dignitas faciat acceptabiles. *Tom.* 5. *cap.* 3. *Epist.* 1. *ad Cor. fol.* 507. *Col.* 1. *lit.* C. *Edit. Paris.* 1539.

CI.

Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ Jesu Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio Impiorum.

Contrà est.

Jura ergo per Deum ne noceas. *Gen.* 21. *v.* 23.

Dixitque Abraham, ego jurabo. *Ibid. v.* 24.

Laudabuntur omnes qui jurant in eo: quia obstructum est os loquentium iniqua. *Ps.* 62. *v.* 12.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. *Exod.* 20. *v.* 7.

Quibus indicatur: aliqua quidem esse juramenta, quæ Deus prohibet, quæ proinde nequaquam esse possunt communia

munia in Ecclesia Dei, esse tamen alia quæ comitibus suis stipata, neque Spiritui Dei, neque Doctrinæ Jesu Christi dici possunt esse opposita, multo minus, illis nihil magis esse oppositum; quæ propterea ex præscripto Ecclesiæ utiliter esse possunt communia, qualiter fuerunt præteritis temporibus, sive authoritate Pastorum, qui vigilant pro salute gregis, sive edictis Principum sæculi, qui non frustra gladium portant, in Professionibus, aliisque similibus, præscripta atque mandata: ita ut qui adversus hæc Sacro-sancta statuta, duræ cervicis homines pergunt obluctari, acrius ipsi sint commovendi, *jura ergo per Deum ne noceas*; qui, utinam imitatores *Abraham* dilecti Dei, persuaderent Ecclesiæ se nolle nocere, & responderent sincero corde, & animo non ficto, quemadmodum mandatum est mihi, ego jurabo.

Habes Lector quæ hac scriptione me tibi allaturum esse promiseram, abundabunt tamen apud te etiam hæc pauca, si in definiendis Dogmaticis, Christi Vicarium, Caput Ecclesiæ, Pontificem Romanum per Dei gratiam Postremum judicem esse intellexeris. Ad hanc Petram vacillantibus satis dicetur numquam.

Id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata monet Apostolus 1. *ad Corinth.* 1. sed hoc, inquit, Doctor Angelicus „ servari non posset, nisi quæstio de Fide exorta determinetur per eum, qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia à tota Ecclesia firmiter teneatur, ... contra cujus „ (Petri Successoris) auctoritatem, nec *Hieronymus*, nec „ *August.* nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam „ defendit „. 2.2.*q.* 1. *art.* 10. *in* O. *& ibid. q.* 11. *art.*2. *ad* 3.

Repetent igitur Quesnelliani, ut faciunt, ex Heterodoxis series Testimoniorum bene longas, libellos vulgabunt ex aliis alios, & mille libellorum plaustra luctuosa contumaciæ suæ monumenta projicient in vulgus, erunt hæ semper excusationes in peccatis, quæ Damnationem augeant quidem, non imminuant, quæ erroribus suis non magis patrocinentur, quam impiis Hæresiarchis Luthero, aut Calvino, aliisque, è quorum Damnatis studiis inverecundo plagio, suas veluti defensiones excerpunt, apud ignorantes instaurant, & obtrusas cuperent imperitis.

Magno Pontifici Clementi XI. multos annos, æternam gloriam, qui toti Ecclesiæ præest. Quæstionem de Fide exortam Apostolica sua Constitutione, *Unigenitus Dei Filius*

lius Doctor Ecclesiæ determinavit, qui ejus sententiam firmiter non tuetur, ab Ecclesia se separat, Ecclesiam non audit, jussu Dei habendus est tamquam Ethnicus, & Publicanus.

Feria IV. die 17. Februarii 1717.

SACRA Congregatio Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Generalium Inquisitorum habita in Conventu Sanctæ Mariæ super Minervam: Attento, quod nuper non sine magno Christi fidelium scandalo in lucem prodierint quidam Libelli, epistolæ, aliaque Folia gallico idiomate conscripta, mole quidem exigua, sed abundantia malitiæ deterrima sub infrascriptis titulis.

Primum: *Lettere de M. Moulin Cure de Rarils, Doyenne de l'Aigle, du Diocese d'Eureux ecrite à Monseigneur l'Eveque d'Eureux le* 28. *Decembre* 1716. cum subscriptione *Moulin* sine loco impressionis, & nomine Impressoris.

Item: *Lettre de M. Barbault Curè de Bovillant, Diocese de Senlis ecrite à Monseigneur l'Eveque de Senlis au mois de Novembre* 1716. cum subscriptione *Barbault* sine loco impressionis, & nomine Impressoris.

Secundum: *Retractations du Chapitre de Nevers, & des Curez d'Eureux, de Nevers, & de Toulon de la publication de la Bulle* Unigenitus 1716. sine loco impressionis, & nomine Impressoris: in quo continentur Folia sequentia videlicet.

Copie de la Lettre de Messieurs les Curez de Saint Estienne, & de Sainte Foy de Conches presentee à Monseigneur l'Eveque de Eureux le 24. *Novembre* 1716. cum subscriptione, *De Hovette ville Cure de S. Estienne de Conches: Rignier Cure de Sainte Foy de Conches.*

Deliberation de Chapitre de Nevers. quod incipit *Cejourd-hui* 13. *Novembre plusieurs des Messieurs ont represente au Chapitre*, & desinit, *qui demandent publiquement pardon à leurs Paroissiens, & à leurs Eveques d'avoir publie la Constitution.*

Interrogatoires faits le 16. *Octobre* 1716. *à M. Begue Cure de la Paroisse Saint Lovis de Toulon par le Vicegerent à la Requete du Promoteur au sujet de la Retractation de la publication de la Constitution* Unigenitus.

Copie de la Lettre de Messieurs les Curez de Nevers à Monseigneur

ſeigneur le Cardinal de Noailles cum ſubſcriptione : *Jean Gilbert Curé de Saint Trohé, Docteur en Theologie: Francois Flamand Curé de S. Leon, Docteur en Theologie; & Sindic des Curez de Nevers: Claude Camuzet Curé de Saint Pierre: Chartes de S. Divier, Curé de Saint Victor: Francois Vincent, Curé de Saint Etienne: Joſeph Moutardier, Curé de Saint Lazare:*

Tertium: *Lettre de Monſieur de Bellaunay Archidiacre: & de M. L. Martin Chanoine Theologal de Seez ecrite à M. l'Eveque de Seez au mois de Nov. ou Dec.* 1716. *ſur les diſpoſitions de ce Dioceſe per rapport à la conſtitution* Unigenitus cum ſubſcriptione. *De Bellaunay Archidiacre de Corbonis: L. Martin Chanoine Theologal*, ſine loco impreſſionis, & nomine Impreſſoris.

Quartum: *Lettre ecrite à Monſeigneur l'Archeveſque de Roven par Meſſieurs les Curez d'Enecourt Leage: de Jammericourt: de Tourly: de Lattainville: de Notre Dame de Liencourt: de l'Aillerie: de Senot: de Serifontaine: de Flavacourt, Doyenne de Chaumont, Vicariat de Pontoiſe au ſujet de la Conſtitution* Unig. cum ſubſcriptione: *Pierre Grivet Curé d'Enhecourt Leage: Jean Biot, Curé de Jammericourt, Bachelier en Theologie de la Faculte de Paris: Nicolas Poupart, Curé de Tourly: Jean Charles Roſſert, Curé de Lattainville: Jean Valee, Curé de N. D. de Liencourt: Jean de Buſc; Curé de l'Aillerie: Pierre Hamel, Curé de Senot; Jean Baptiſte Julien; Curé de Sorifontaine: Jean Angot, Curé de Flavacourt, Maitre ès Arts de l'Univerſité de Paris: Doyenne de Chaumont en Vexin Vicariat de Pontoiſe:* ſine data, ſine loco impreſſionis, & nomine Impreſſoris.

Quintum: *Lettre de Six Curez de Senlis à Monſeigneurs l'Eveſque de Senlis*, quod incipit: *Il faudroit etre inſenſible pour ne point prendre part aux troubles, que cauſe dans l'Egliſe la Conſtitution* & deſinit: *Nous ſommes avec un tres profond reſpect*, cum ſubſcriptione *Dorgon, Curé de Baron, & Doyen rural: Doutrelau Curé la Daray: Coger, Curé de Boreſt: Haré, Curé de Bailly, & Doyen rural: Le Feure; Curé de Verſigny: Vignon; Curé de Droinſelles* ſine data, ſine loco impreſſionis, & nomine Impreſſoris.

Sextum: *Lettre de M. Bizault Pretre de l'Oratoire Curé de Foſſey ecrite a Monſeigneur l'Archeveque de Roven le . . . . . Octobre* 1716. *au ſujet de la Conſtitution Unigenitus* cum ſub-

ſcriptionem *Bizault Curé de Foſſey* ſine loco impreſſionis, & nomine Impreſſoris.

Septimum; *Lettre ecrite a Monſeigneur l'Eveque de Beauvais par M. de Cambronne Chanoine de Clermont* quod incipit, *Ayant appris dans le public* & deſinit *& un reſpectueux attachement* cum ſubſcriptione: *De Cambronne Canoine de N. D. de Clermont en Beauvais le 5. Nov. 1716.* ſine loco impreſſionis, & nomine Impreſſoris.

Octavum: *Lettre des Curez de Paris, & du Dioceſe a Son Eminence Monſeigneur le Cardinal de Noailles le 15. Decembre 1716.* quod incipit: *Nous ſommes trop intereſſez dans la Cauſe, que V.E. a la gloire de ſe ſoutenir* & deſinit: *Nous ſommes avec le devouement le plus tendre, le plus reſpectueux, & le plus inviolable &c.* ſine ſubſcriptione, ſine loco impreſſionis, & nomine Impreſſoris. Poſt maturum examen Theologorum ad id ſpecialiter deputatorum, audita illorum cenſura, eaque Sanctiſſimo Domino Noſtro CLEMENTI PAPÆ XI. relata, una cum eorumdem Eminentiſſimorum Cardinalium votis, de mandato Sanctitatis Suæ Libellos, Epiſtolas, ſeu Folia hujuſmodi tamquam continentia aſſertiones, & propoſitiones reſpective falſas, piarum aurium offenſivas, ſeditioſas, ſcandaloſas, Auctoritati Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, & Epiſcoporum præſertim Galliæ injurioſas, præſumptuoſas, temerarias, impias, hæreticis faventes, erroneas, atque etiam ſchiſmaticas, & hæreticas, & ſpiritu hæretico plenas præſentis Decreti tenore damnat, & prohibet.

Quoniam vero in fere omnibus prædictis Libellis, Epiſtolis, & Foliis exprimuntur Actus omnino nefarii, & execrabiles, quibus Parochi, aliique Eccleſiaſtici Viri palam, imo aliqui etiam pro Concione inter Miſſarum ſolemnia reſpective aſſeruntur, publicationem a ſe aliis factam Apoſtolicæ Conſtitutionis, quæ incipit *Unigenitus Dei Filius*, & obedientiam eidem Conſtitutioni præſtitam retractaſſe, & revocaſſe; de tali publicatione, & obedientia doluiſſe, pœnituiſſe, & non ſolum Univerſo Populo, ſed (quod plane horrendum, & incredibile eſt) ab ipſo Omnipotenti Deo veniam imploraſſe: eaque omnia à ſe fieri impellente conſcientia, ac proinde ſe in reiicienda eadem Conſtitutione, tuendiſque in ea damnatis propoſitionibus uſque ad effuſionem ſanguinis conſtanter, ſeu verius pertinaciter

neciter perstituros: Ideo ut tam indignæ rei adhuc inter Catholicos inauditæ memoria, quantum fieri potest, aboleatur, aut saltem non sine perpetua infamiæ nota recoli unquam possit; eadem Sacra Congregatio de mandato, ut supra, præcipit, ut omnia, & singula supradicta Folia, Epistolæ, & Libelli in Platea Sanctæ Mariæ super Minervam die tertia futuris mensis Martii eo tempore, quo id proximo ejusdem Sanctæ Mariæ Conventu habebitur hæc Sacra Congregatio publice per Justitiæ Ministrum comburantur.

Postremo cum (sicut prædictæ Sacra Congregationi innotuit) iniquorum hominum opera, quamplures aliæ ejusdem argumenti Epistolæ in variis Galliæ Diœcesibus similiter typis editæ fuerint, & in dies edantur, nec non Libri, aliaque scripta vulgentur, in quibus memorata SS. D. N. Constitutio subdole eluditur, temere carpitur, aut etiam abjecto omni pudore contemnitur, & impugnatur; quę nonnisi ad subversionem simplicium, Christi fidelium scandalum, ipsiusque tandem Catholicæ Religionis perniciem præcipue in Gallia vergere dignoscuntur, eadem Sacra Congregatio jussu Sanctitatis Suæ districte vetat, & prohibet omnibus Christi fidelibus, etiam speciali nota dignis: ne quis tam Libellos Epistolas & Folia in hoc Decreto superius expressa, & damnata, quam omnes, & quoscumque alios Libros, Libellos, Epistolas, & Folia tum impressa, tum manuscripta quocumque idiomate, & versione evulgata, seu in posterum, quod absit, edenda, & publicanda, in quibus præfata Constitutio quoque modo impetatur, eidemque debita ab universis Christi fidelibus obedientia eludatur, limitetur, aut abnegetur, audeat ullo modo, & sub quocumque prætextu iterum describere, imprimere, aut describi, & imprimi facere; neque apud se retinere, & legere valeat; & præsumat, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda: sed illa Ordinariis locorum, aut hęreticę pravitatis Inquisitoribus statim, & cum effectu tradere, & consignare teneatur, qui nulla interposita mora ea comburant, aut comburi faciant; ac tandem de eodem mandato Sanctitatis Suæ declarat, omnes & singulos ejusdem generis Libros, aut scripta ad instar Librorum, aut scriptorum hæreticorum contra Catholicam Religionem expresse tractantium esse damnanda & prohibenda,

da, prout præsentis Decreti tenore damnat; & prohibet; adeoque nullis licentiis, seu facultatibus generalibus legendi, aut retinendi quoscumque Libros prohibitos contineri, nisi de iis specialis in illis, & expressa mentio fiat. Die 2. Martii 1717.

Joseph Bartolus S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis Notarius.

Loco ✠ Sigilli.

Die 2. Martii 1717. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostol. Palatii Sancti Officii, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Franciscum Perinum *Sanctissimæ Inquisitionis Cursorum.*

IN-

INSTRUMENTA
PUBLICATIONUM,
QUIBUS CONSTITUTIO
UNIGENITUS
Per Europam eſt annuntiata.

DECLARATIO

Sacræ Facultatis Theologicæ Coloniensis

Circa Constitutionem Apostolicam

Quæ incipit:

UNIGENITUS DEI FILIUS, &c.

IN Congregatione habita die 8. Ianuarii in Monasterio FF. Minorum Conventualium hora undecima matutina 1715.

Reverendissimus & Eximius D. Decanus SS. Facultati proposuit, Clementem XI. Romanum Pontificem, hodie feliciter regnantem, edidisse Constitutionem dogmaticam Anno 1713. mense Septembris, quæ incipit: UNIGENITUS DEI FILIUS, &c. qua proscribuntur centum & una propositiones ex libro, Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo *Le nouveau, &c.* quæ quidem constitutio à Reverendissimo & Serenissimo Principe Electore & Archi-Episcopo Coloniensi &c. typis data, & solemniter publicata fuit, omnibus, ac præsertim S Facultate Theologica, eam æque reverenter & obedienter suscipientibus, ac proinde nullum sibi superesse dubium, quin in animis omnium & singulorum hujus Facultatis suppositum habuerit suum plenum, integrum, & à Sede Apostolica desideratum effectum. Nihilominus, quia notorium est, indies ex aliis regionibus clam & subdole inferri in hanc Archi Diœcesin & Civitatem Coloniensem Libellos, Mandamenta, Instructiones, Dialogos, &c. diverso idiomate scriptos, & alibi impressos; quorum aliqua minus reverenter de Sede Apostolica, ejusdemque constitutionibus dogmaticis sentire videntur; Præcipui etiam hujus vastissimæ Archi-Diœceseos, in qua Catholici cum Hæreticis ex parte publica permixtim vivunt, incolæ, in hac & similibus causis singularem reflexionem habere dignoscantur, ad sensum S. Facultatis Theologicæ Coloniensis, imo videantur in his rerum circumstan-

gii tacite aliquam ejus expressam declarationem postulare. Idcirco judicare se opportunum; & tempori congruentissimum, si Sacra Falcultas, idoneam sui sensus explicationem ad multorum instructionem daret, circa memoratam Apostolicam Constitutionem UNIGENITUS &c.

Qua propositione facta, Eximii DD. S. Facultatem Theologicam, Consilio & Authoritate Regentes laudaverunt omnes Zelum D. Decani, & collatis inter se consiliis jusserunt indici Congregationem Generalem totius Facultatis *Sub juramento*, quo eidem astringuntur, id est tam Magistrorum, quam Licentiatorum, Baccalaureorum, & Auditorum in diem undecimam Januarii proximam, in Aula Theologica, hora undecima matutina ad declarandum, in ea, S. Facultatis sensum circa prædictam constitutionem, quæ incipit UNIGENITUS DEI FILIUS &c. Omnes simul hortando, ut interea mature deliberent; quid circa eam opportunius & efficacius resolvi & declarari possit & debeat.

In Congregatione Generali Facultatis Theologicæ habita in Aula Theologica die undecima Januarii 1715.

Omnibus considentibus, & expositis causis hujus Congregationis Generalis, jussit D. Decanus alta voce per Pedellum prælegi Constitutionem dogmaticam supremi Pontificis, quæ incipit UNIGENITUS DEI FILIUS &c. quo peracto, mandavit, ut omnia & singula Collegia mature, & solum Deum præ oculis habendo, deliberarent, & libere declararent, & quid circa hanc Constitutionem declarari possit, & oporteat à S. Facultate Theologica. Convenientibus ergo singulis Collegiis seorsim; ut moris est, & facto debito intervallo; processit S. Facultatis Theologicæ Fiscus, & impetrata loquendi licentia, exposuit, se ex omnium Collegiorum deliberationibus & consultationibus cognovisse, omnium, & singulorum animos & vota convenisse & convenire.

Primo. Quod Romani Pontificis judicium & determinatio solemnis, & ex cathedra, in materia fidei & morum, sit se sola infallibilis, & irrefragabilis esse debeat toti Ecclesiæ, & omnibus vere Christi fidelibus, ita ut tali definitioni non satis fiat, si eidem obsequioso & reverentiali tantum silentio exterius non contradicatur, nec provisionaliter tantum illi sit obediendum, sed simpliciter juxta intentionem Pontificis, & per omnia, eidem conformando sensus suos internos. Ac proinde,

Secun-

Secundum. Consensum, seu acceptionem fidelium, non esse authoritativam, nec definitionibus aut constitutionibus dogmaticis Romani Pontificis aliquem addere vigorem, aut efficaciam: quin potius ex eo, quod Ecclesiæ consensus semper accesserit Decretis & Constitutionibus R. Pontificis in materiis Fidei & morum; certissimum est ex omni retro sæculorum historia, judicium & determinationem solius Pontificis habitam fuisse, & habendam pro infallibili & irreformabili.

Tertio. Credere omnes, non requiri; ut aliqua Bulla Pontificis dogmatica sit, & dicatur acceptata ab Ecclesia, quod fiat solemnis & expressa acceptatio ab Ecclesiis Particularibus: sed sufficere, quod Papa loquatur, & Ecclesia taceat. Exempla primorum Christianorum, ad quos surgens *Petrus dixit*, Act. 15. *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit, per OS MEUM audire gentes verbum Evangelii, & credere &c.* & infra: *tacuit autem omnis multitudo.* Nec se convenisse ad recipiendam & acceptandam Bullam *UNIGENITUS &c.* sed ad debitam ei reverentiam & obedientiam præstandam, quam præstiterunt, præstant, & præstabunt, Deo & vita comite, semper.

Quibus ita ab eodem recitatis rogavit D. Decanus, an D. Fiscus omnium & singulorum mentem & sensum in punctis præfatis probe sit assecutus, & an omnia & singula in Bulla contenta laudent probent, & damnata damnent ore, & animo, eisque conformiter in posterum credere, & docere, & profiteri velint? Et responderunt unanimiter, laudamus, probamus, damnata damnamus ore, & animo, credimus, docebimus, & profitebimur, nec à definitis recedemus, quamdiu sumus.

Subintulit ergo idem D. Decanus, censetisne igitur agendas esse gratias Deo, & acclamandum summo Pontifici de edita tamdiu desiderata, & tam necessaria hac Bulla?

Respon-

Roma Rescripta venerunt, causa finita est, utinam & error aliquando finiatur.

DEO SINT GRATIÆ.

CLEMENTI XI.

Urbis & Orbis Pontifici,

Vita prosperrima, sospitas perpetua, gloria sempiterna.

SIcque dimissis D. Licentiatis numero quadraginta quatuor, & Baccalurei numero triginta octo, qui adfuerunt, præter confusam multitudinem auditorum, tota Aula refertissima, mandatum fuit, ut Magistri propria manu huic instrumento & declarationi subscriberent pro majori illius robore & vigore, id quod omnes libentes lubentesque fecerunt, requirendo Eximium D. Decanum, ut hanc totius Facultatis resolutionem publici juris, ad multorum instructionem quantocius facere velit. Signatum Coloniæ ut supra.

LAurentius Hulsman SS. Theol. Doctor, Protonotarius Apostolicus, nec non S. Facultatis p. t. & S. Severini Canonicus & Dec. sic sentio & subscribo m. p.

Cornelius Brevver. SS. Theol. Doct. Facultatis Senior Collegiatarum Sancti Severini; ac B. M. V. ad Gradus Canonicus, & respective Pastor, necnon Collegii Pastoralis intra Urbem Camerarius & Præses, Librorum Censor, sic sentio & subscribo m. p.

Petrus Dam Soc. Jesu, S. T. Doct. & Professor Publicus, Gymnasii Tricoronati Regens, sic sentio & subscribo m. p.

Petrus Moritz S. Theol. Doct. & Pastor ad SS. Apostolos, sic sentio & subscribo, m. p.

Fr. Sebastianus Knippenberg. Ord. Præd. SS. Theol. Doct. & Professor publicus, Inquisitor Apostolicus Coloniensis, sic sentio & subscribo. m. p.

Fr. Albertus Grunnevvalde Ord. præd. SS. T. D. & Professor Ordinarius, personaliter præsens ob impotentiam scribendi, me jussit vice scribere, se sic sentire & subscribere,

Fr. Ni-

Fr. Nazarius Schmitz Minor Conventualis. m. p.

Joannes Georgius Molitoris SS. Th. Doct. & Professor publicus, Perillustris Collegiatæ S. Geronis Canon. Capit. idem sentio & subscribo. m. p.

Casparus Hanius S. Theol. Doct. & Professor, Pastor ad Sanctum Petrum, & Perillustris ad S. Cæciliam Canon. sic sentio & subscribo. m. p.

Fr. Nicolaus Girken. Ord. Erem. S. Augustini, S. T. D. & Publicus, ac Ordinarius Professor, Examinator Synodalis, sic sentio & subscribo. m. p.

Fr. Bruno Schmitz S. T. Doct. & Professor publicus & Ordinarius, Conv. Colon. FFr. Minorum S. Francisci Conventualium Guardianus, sic sentio & subscribo, m. p.

Fr. Leonardus Melchers Ord. FFr. Minorum S. Francisci Conv. S. T. Doct. & Profess. Ordinar. Pater Provinciæ: ac p. t. Guardianus Bonnensis. m. p.

Casparus Kerich Soc. Jesu S. T. D. & Professor ordinarius, m. p.

Fr. Anno Schnorrenberg S. T. D. & Professor publicus, præses Collegii Præmonstratensis; Examinator Synodalis sic sentio & subscribo. m. p.

Joannes Sutgen S. Theol. Doct. & Professor publicus manu propria subscripsi.

Fr. Reinerius Coenen. Ord. FFr. Minorum S. Francisci Conventualium Theologus publicus. m. p.

P. *Antonius Blesen* Soc. Jesu S. T. D. & Professor publicus & Examinator Synodalis, sic sentio & subscribo. m. p.

Arnoldus Kochs S. T. D. publicus, ac primariæ Pa. ad S. Columbam pastor, & Examinator Synodalis, subscribo. m. p.

Fr. Adamus Eschembrender Ord. Præd. S. T. D. & Professor Ordinarius, Studii Generalis in Ordine Regens, sic sentio & subscribo. m. p.

Fr. Henricus Hargard Erem. Augustinianus, S. T. Doct. & Professor ordinarius, Provinciæ Coloniensis Stud. Regens, sic sentio, & subscribo, m. p.

Joannes Torden Metropolitanæ Coloniensis Familiæ, & B. M. Virginis in Pasculo Pastor, S. T. Doct sic sentio & subscribo. m. p.

Fr. Petrus Tholen Ord. præd. S. Th. Doct. & Professor ordinarius. Prior Provincialis Teutoniæ, sic pariter sentio, & subscribo. m. p.

Fr. Nicolaus Keffel Ord. Præd. S. Th. Doct. & Professor ordinarius in Studio Generali Ordinis Regens secundarius, sic sentio, & subscribo. m. p.

Bartholomæus des Boses Soc. Jesu S. Th. Doct. & Profess. ordinarius, & Examinator Synodalis, sic sentio, & subscribo. m. p.

Petrus Moers Soc. Jesu S. Th. Doct. & Professor, sic omnino sentio, & subscribo. m. p.

(L. S.) Facultatis.

ET quia ego *Gereon Arnold. Schawberg.* Sacris Apostolica & Cæsarea Authoritatibus creatus Notarius, S. Facultatis Theol. Baccalaureus, Almæque Urbiorum Universitatis Pedellus huic actui, & unanimi Declarationi S. Facultatis suppositorum in Numero 106. præsentium adfui, omnia prout inferitur sic fieri vidi, & audivi, etiam singula ad Notam sumpsi, ideo præsens Documentum per modum extractus Protocolli extradidi, scripsi, & pro agnitione manuum subscripsi, & consueto meo Notariatus Sigillo communivi, idque.

Ex speciali Mandato Sacræ Facultatis.

(L. S.) Notarialis.

Gereon Arnold. Schawberg.

CLEMENS PP. XI.

DIlecti filii salutem & Apostolicam benedictionem. Majorum vestrorum solidam, præstantemque pietatem, ac eximium orthodoxæ doctrinæ tuendæ zelum undique redolent litteræ, quas nuperrime ad Nos dedistis, filialis etiam, atque perpetui vestri in sanctam hanc Sedem obsequii significationibus cumulatæ. Eas idcirco magno cum nostri animi solatio perlegimus, sincerumque obedientiam, ac subjectionem, quam constitutioni nostræ *Unigenitus Dei Filius* luculenter profitemini, tantopere gratam habuimus, ut non modo præclaræ, ac veteri nostræ de vestra virtute opinioni, sed etiam paternæ, qua Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum exemplo, Vos omni tempore complexi sumus, charitati non levis inde facta accessio fuerit; quod reipsa Vobis comprobare non omittemus, ubi congruæ Nobis offerentur opportunitates illius Universitatis ornamenta & commoda,

sicu-

sicuti maxime cupimus, promovendi. Cæterum quod librum attinet inscriptum: *Defensio scriptorum Theologicorum de gratia Christi* prævio diligenti, maturoque ejus examine illud statuemus, quod in Domino expedire arbitrabimur; interim vero dilecti filii Pontificiæ benevolentiæ argumentum Apostolicam Benedictionem Vobis amanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub Annulo Piscatoris. Die XXVII. Aprilis. MDCCXV. Pontificatus Nostri Anno decimo quinto.

Dilectis Filiis Rectori, Decano, cæterisque Professoribus Universitatis Coloniæ Agrippinæ.

I. C. Batellus.

DECLARATIO

Sacræ Facultatis Theologicæ Duacensis

Circa Constitutionem Apostolicam

Quæ incipit:

UNIGENITUS DEI FILIUS

In Congregatione habita die ultima Julii, hora 10. matutina 1714.

Eximius Dominus Decanus Sacræ Facultati exposuit; Summum Pontificem qui hodie Ecclesiæ feliciter præest, mense Septembri anni proxime elapsi edidisse Constitutionem dogmaticam, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, qua proscribuntur una & centum propositiones excerptæ ex pestilenti opere pariter proscripto, cui titulus gallicus, *Le nouveau Testament en François, avec des reflexions morales sur chaque verset, &c. à Paris* 1699. aliter verò, *Abrégé de la*

morale de l'Evangile, des Actes des Apotres, des Epitres de S. Paul, des Epitres Canoniques & de l'Apocalipse, ou Pensees chretiennes sur le texte de ces Livres Sacrez, &c. à Paris 1693. & 1694. Se quidem non dubitare, quin Eximii Collegæ illam Constitutionem privatim ex corde susceperint? sibi tamen videri necessarium, ac tempori congruentissimum, ut Sacra Facultas illam solemniter acceptet, eamque actis suis inseri curet, tum ad ædificationem studiosæ juventutis, aliorumque Fidelium; tum ad contradicentes redarguendos; tum ad relinquendum posteritati illustre exemplum professionis Fidei, ac sinceræ erga Sedem Apostolicam obedientiæ: se ad hunc finem postulare, ut primum alta voce legatur præfata Constitutio coram Eximiis Dominis.

Laudarunt omnes zelum & vigilantiam Eximii Domini Decani, ejusque postulationi libentes annuerunt. Absoluta lectione Constitutionis, convocata est Sacra Facultas in diem 3. mensis sequentis, ut posito aliquo intervallo, præpararent sese singuli ad testandam obedientiam suam eo modo, qui efficacior, ac Theologis Christianis dignior videretur.

In Congregatione habita die 3. Augusti, hora 8. matutina 1714.

POstquam Eximii Domini, occasione novæ Constitutionis, multa protulerunt de primatu jurisdictionis, seu superioratis, quem S. Petrus, ejusque Successores jure divino obtinent in omnes totius orbis Christiani Episcopos & Fideles; de schismate vitando, & servanda Reipublicæ Christianæ unitate ac tranquilitate; de ingentibus malis, quæ non solum in Hierarchiam Ecclesiasticam, sed etiam in Rempublicam Civilem, ejusque Principes redundant ex schismate; de necessaria unione membrorum Ecclesiæ cum ejus Capite visibili per fidem & obedientiam, ad tuendam Corporis Mistici unitatem; de valore & robore Constitutionum Dogmaticarum independenti à Glossis & Interpretationibus acceptantium, de cavillationibus, quibus aliqui utuntur, ut novam Constitutionem Pontificiam respuant, aut eludant; significarunt, ac professi sunt omnes unanimiter & aperte.

Se Constitutionem Apostolicam, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, recipere pure, simpliciter, sine ulla distinctione, expositione, seu interpretatione, & cum plena ac sincera mentis adhæsione ad ea omnia, quæ in illa definiuntur,

Se

Se proinde unam & centum propositiones, sicut & opus ex quo excerptæ sunt, sub iisdem censuris damnare, sub quibus in præfata Constitutione damnantur.

Se & reliquos Fideles obligari in conscientia, & sub gravissimo schismatis, aut hæresis peccato, ad hanc Fidei confessionem.

Sibi persuasum esse, novam Constitutionem comparatam ad rerum Theologicarum peritos, ad humiles, ac obedientes Ecclesiæ filios, non minus esse claram, quam quæ alias editæ sunt adversus VVicleffum, Joannem Huss, Lutherum, Bayum, Jansenium, Molinos, & Casuistas laxiores, ac rigidiores &c.; quam multi Canones à Conciliis generalibus conditi. Cæterum illam non minus acceptandam, etsi respectu aliquorum privatorum, aliqualiter obscura foret; quemadmodum Biblia vulgatæ versionis ab omnibus recipiuntur, etsi non pauca in iis sint obscura: illos vero, qui Constitutionem non nisi explicatam recipere volunt, non ipsam Constitutionem, sed suas explicationes præconceptis opinionibus conformes recipere; illos non obedire voci Pastoris, sed propriis placitis superbe & pertinaciter inhærere; Lutheranos & Calvinistas etiam paratos recipere quasvis Constitutiones Pontificias, ipsumque Concilium Tridentinum, sub explicationibus sibi placentibus.

Suo, ac evidenti constare judicio; quod Tridentinum non reliquerit Scholis Catholicis libertatem tuendi certas opiniones, aut certa systemata, ratione cujus Constitutiones Dogmaticæ, quæ iis Scholarum placitis viderentur contrariæ, respui possent: hanc cavillationem viam aperire innovandis multis propositionibus damnatis, quæ alias in scholis defensæ sunt.

Se generatim rejicere omnes fraudes, & cavillationes, quibus aliqui Novatores vim præfatæ Constitutionis infringere conantur: ac simul vehementissime hortari Discipulos, ut hodie præsertim caveant à lupis rapacibus ovina pelle indutis; ab hominibus superbis habentibus speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantibus: ut identidem legant tractationem perutilem Francisci Simonis *De fraudibus Hæreticorum*, aut librum gallicum ex priori excerptum, cui titulus, *Les artifices des Heretiques*: unde intelligent antiquos hæreticos iisdem artibus usos, quibus moderni Novatores utuntur.

Maxime mirum esse, quod aliqui se Catholicos vocitantes; præfatas propositiones aut nolint anathematizare, aut ægre anathematizent; cum omnes fere, paucissimis exceptis, in antiquis & recentioribus prophanarum novitatum authoribus, à Conciliis Generalibus, & Summis Pontificibus prædamnatæ sint.

Se cum Christi gratia paratos mori pro æquitate, veritate, ac robore præfatæ constitutionis, quam ad perpetuam & vegetam rei memoriam actis Sacræ Facultatis inseri voluerunt ac jusserunt.

Se numquam passuros, ut ullus ad Sacræ Facultatis Gradus promoveatur, qui vel leviter suspectus fuerit de inobedientia erga sæpe dictam Constitutionem, aut qui circa illam interrogatus, tergiversatus fuerit; vel non responderit conformiter huic ejusdem Facultatis professioni.

Actum esse de Episcopatu, & Universa Ecclesiæ Hierarchia, si concessa à Deo Sedis Apostolicæ jura non asserantur firmiter, ut probant luculentissima, sed tristissima multorum Regnorum, ac Provinciarum Orientis & Occidentis exempla; ubi Clerus, contempto illius Sedis Primatu & Privilegiis in eo contentis, sine honore, sine jurisdictione, imo & sine bonis ad sustentationem decentem necessariis aut convenientibus, in pudendam & miserabilem potestatis laicæ servitutem redactus est. Illos hodie reipsa, efficacissime, & per cuniculos adversari Sedis Apostolicæ Principatui, qui quidem vacuum & inane Primatus Pontificii vocabulum retinent & prædicant, sed solemnibus Fidei Decretis ex Petri Cathedra manantibus pertinaciter obsistunt.

Peracta hac Fidei & Obedientiæ testificatione, petiit Eximius D. Decanus, an non placeret S. Facultati ut ad instructionem studiosæ juventutis, aliorumque Fidelium colligerentur, & his annecterentur aliquot præclara Antiquitatis Testimonia, ex quibus manifestum fieret, quantum Sedis Apostolicæ Decretis dogmaticis deferendum sit. Consilium probarunt Eximii DD. Congregati, ideoque Sacra Facultas in diem 17. ejusdem mensis hora 2. pom. convocata est.

In Congreg. habita die 17. ejusdem mens. hora 2. post meridiem.

PLacuit Sacræ Facultati, ut ex Scripturis, Summis Pontificibus, Conciliis, Patribus, aliisque Authoribus Ecle-

clesiasticis sequentia Testimonia proferantur, illaque in quatuor classes distributa præcedentibus actis adjungantur: quibus demonstretur, necesse esse ut Fideles cum Petro, ejusque Successoribus Ecclesiam pascentibus, seu ex Cathedra docentibus, perpetuo consentiant, nisi ab Ovili Christi ut Oves putridæ sejungi velint.

SUBSCRIPTIONES.

INfrascripti Sacram Facultatem Theologicam Duacensem repræsentantes, huic Declarationi complectenti trium Congregationum ejusdem Facultatis Acta, quam in omnibus nostram esse cognoscimus, & libenter profitemur; subscripsimus hac die 17. Augusti 1714.

Nicolaus Josephus de la Verdure, *prædictæ Facultatis Theologicæ Doct. & Professor Primarius, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Amati Sedi Apostolicæ immediate subjectæ Decanus & Canonicus, & ejusdem Universitatis pro tempore Decanus.*

Nicolaus B. Derrez, *Sacræ Theologiæ Doctor, Linguæ Sanctæ Professor Regis, Seminarii Moulartiani per viginti quinque annos alias Præses.*

A. Del Court, *Facultatis Theol. Duacensis Doct. & profess. Regius ac Ordinarius, Seminarii Regii Præses, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Præpositus, & Universit. Duacenæ Cancell.*

J. M. Amand, *Facultatis Theol. Duacensis Doct. & profess. Regius ac Ordinarius, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Decanus & Canonicus Seminarii Beatæ Mariæ Virginis Præses.*

J. De Marcq, *Facultatis Theologicæ Duacensis Doctor ac Regius Ordinariusque professor, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Amati Præpositus, ac Universitatis Duacenæ Cancellarius, nec non Seminarii Torreani Præses.*

J. Du Bois, *ejusdem Facultatis Theologicæ Doctor admissus ac Regius, Ordinariusque professor, insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Amati Canonicus, nec non Seminarii Tornac. Præses.*

Infrascripti Sacræ Theologiæ Licentiati huic Declarationi Facultatis Theologicæ Duacensis, Matris nostræ libentes subscribimus.

F. Michael Carmois, *Facultatis Theol. Duacensis Licentiatus, olim in Collegio S. Th. Aquinatis Duaceno Theol. Regens Primarius, in sua FF. Prædicatorum Ordine antiquus Magister, & pluries majoris Conventus Duacensis S. Crucis Prior.*

 A. Lau-

A. Laubegeois, *Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Seminarii Hattuani Præses.*

Petrus Josephus Lancry, *Presbyter, Sacræ Theologiæ Licentiatus.*

J. Moiquin, *Presbyter, Canonicus insignis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri, Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Seminarii Fidei Præses.*

A. Le Roy, *Sacræ Theologiæ Licentiatus, & Ecclesiæ B. Mariæ Urbis Duacensis Parochus.*

Infrascriptus Presbyter, Sacræ Theologiæ Licentiatus, *Seminarii Hayniani Præses, libens subscribo huic Declarationi Sacræ Facultatis Theologicæ Duacensis circa acceptationem puram, simplicem, & sine explicatione* Constitutionis Pontificiæ, *quæ incipit* Unigenitus Dei Filius.

P. PIERART.

Infrascriptus Sacræ Theologiæ Licentiatus, Ecclesiæ Sancti Nicolai Duaci Parochus *Urbis, ejusdem* Christianit. *Decanus, nec non Officialitatis Attrebatensis Vices gerens idem sentio.*

M. LE FEBURE.

Idem sentio F. Eduardus Chorley, *R. Anglo, Benedictinus S. Theol. Licentiatus.*

Infrascripti Sacræ Theologiæ Professores in Universitate Duacena libenter subscribimus huic Declarationi Sacræ Facultatis Duacensis circa acceptationem puram, simplicem & sine Explicatione Constitutionis Pontificiæ, quæ incipit, *Unigenitus Dei Filius*, prout continetur præsertim in secunda Congregatione præfatæ Facultatis.

Edoardus Dicconson, *Collegii Anglorum Duaceni Vice Præses, & ibid. S. Theol. Prof.*

Richardus Kendall *in eodem* Collegio *Sac. Theol. professor & Studiorum* Præfectus.

F. Damasus a S. Antonio, *Prior Carmelitarum, & Sacræ Theologiæ Lector Emeritus.*

F. Aubertus a S. Dionisio, *Definitor Ordinis Carmelit. & antiquus S. Theologiæ Lector.*

F. Gaspar a S. Leone, *Ordinis Carmelitarum, S. Theologiæ Lector emeritus.*

F. Augustinus Crespin, *R. Augustinianus Eremitarum S. Augustini S. Theol. professor.*

F. Joannes Remigius Moura, *Guardianus Recoll. Wallonum antiquus S. Theol. Lector.*

F. Ni

F. Nicolaus Franciscus Hennoy, *Recol. Wallo*, *S. Theologiæ Lec*.

F. Bruno Cantrill, *S. Theologiæ Lector apud Recollectos Anglo-Ducacenos*.

F. Bernardinus Clifion, *apud eosdem Sacræ Theologiæ Lector*.

Joannes Speyer, *è Societate Jesu in Collegio Acquicinctino S. Theol. Professor Academicus*.

Georgius Descamps, *è Societate Jesu in Collegio Acquicinctino S. Theologiæ Professor Academicus*, *& Matheseos Professor Regius*.

F. Cornelius a S. Joseph, *Carmelita Discal. S. Theologiæ Professor*.

Infrascriptus libens etiam subscribo Declarationi S. *Facultatis Theologicæ Duacensis circa acceptationem puram simplicem & sine explicatione*, *Constitutionis* Pontificæ, *quæ incipit*, Unigenitus Dei Filius. *Actum* Duaci 7. *Septembris* 1714.

Carolus Locqueneux, *Artium Doctor*, *& Collegii Regii Duacensis Regens Principalis*.

Infrascriptus S. *Amandi Religiosus & in Seminario Amandino Duaceno Theologiæ* Professor *&* Preses, *pure*, *simpliciter & sine explicatione accepto* Constitutionem Pontificiam, *quæ incipit*, Unigenitus Dei Filius, *de qua* Declaratio S. *Facultatis Theologicæ* Duacensis. *Actum* Duaci 10. *Septembris* 1714.

D. MAURONTUS DUELIN.

Infrascriptus libens subscribo Declarationi S. *Facultatis Theologicæ* Duacenæ, *& simpliciter cum ipsa*, *& sine explicatione accepto* Constitutionem Pontificiam, *quæ incipit*, Unigenitus Dei Filius. *Actum* Duaci, *in Conventu nostro FF. Minorum* Cap. *Die* 10. *Septembr.* 1714.

F. Fredericus, Insul: *Theol. Lector*, *Guardianus dicti nostri Conventus* Duaceni.

DECLARATIO

Sacræ Facultatis Theologiæ

Circa Constitutionem Apostolicam

UNIGENITUS DEI FILIUS,

Expressa Litteris Responsoriis ejusdem Facultatis

ad Sacram Facultatem Theologicam Duacensem.

Epistola Sacræ Facultatis Theologicæ Duacensis ad Sacram Facultatem Theologicam Lovaniensem.

Eximii ac Rev. admodum Domini,

MAgno cum dolore intelleximus, idque ex certis documentis, quosdam Sycophantas Parisiis, ac tota Gallia sparsisse, vos Constitutioni Apostolicæ *UNIGENITUS DEI FILIUS*, infensos esse, vos illam Constitutionem ut hæreticam ac impiam rejecisse. Si qui in Galliæ Regno hac Sycophantia commoveri debuerunt, nos sane potissimum debuimus, qui Facultatem vestram ut charissimam Matrem nostram suscipimus, ac veneramur: qui vos ut amicos antiquo fœdere sociatos sincere diligimus ac æternum pariter diligere volumus; qui Vestram, Majorumque vestrorum eruditionem solertiam, ac in tuenda Summorum Pontificum infallibilitate concordiam sæpe laudavimus, ac demirati sumus; qui denique erga vos ut nostrates, seu Belgii nostri incolas, & quidem de Ecclesia nostra Belgica optime meritos propensissimi sumus. His affectibus imbuti, existimavimus, *Viri sapientissimi*, nostri officii ac numeris esse, ut de impacta calumnia vos quamprimum certiores faceremus, unaque instantissime rogamus, ut famæ vestræ & bono publico consulentes hanc atrocem injuriam depellere non gravaremini. Quod abunde præstiteritis, si palam significare volueritis, vos

pureg

pure, simpliciter, ac sine ulla exceptione & explicatione Præfatam Constitutionem recipere. Hac enim professione calumniatores, eorumque complices confundentur: qui ab eis delusi fuerint, opinione sinistra levabuntur; sicque integra stabit Collegii vestri fama & gloria. Sinite igitur, *Viri Zelosissimi, & undequaque Ornatissimi*, ut tanquam amici de rebus vestris solliciti, hanc sensuum vestrorum declarationem à vobis exposcamus: quam ab humanitate & sapientia vestra avide expectantes, sumus ex intimo cordis affectu, & magna cum veneratione,

Eximii ac Rev. admodum Domini

Eximarum ac Reverendarum adm. Dominationum Vestrarum.

Humillimi & Obsequentissimi Famuli;

Decanus, Regentes, & Professores Regii ac Ordinarii Facultatem Theologicam Duacensem componentes.

A. DELCOURT.
Pro temp. Dec.

De mandato Sacræ Facultatis Theologicæ Duacensis subsignavi 22. Junii 1715.

JOSEPH DERBAIX.

ejusdem Facultatis Bedellus juratus.

Superscriptio erat.

Eximiis ac Reverendis admodum Dominis Decano & Regentibus strictam Facultatem Theologicam Lovaniensem componentibus.

Lovanium.

EPI-

EPISTOLA
RESPONSORIA
S. Facultatis Theologicæ Lovaniensis.
AD
S. Facultatem Theologicam Duacensem.

Reverendi Adm. & Eximii Domini.

EX Litteris, quas die 22. Junii proxime elapsi ad nos dedistis, non absque ingenti admiratione, nec minori, ut justum est, indignatione percepimus, *Eximiis Vestris Dominationibus, certis ex documentis constare, quosdam Parisiis ac per totam Galliam sparsisse, nos Constitutioni Apostolica, qua incipit*: UNIGENITUS DEI FILIUS, *infensos esse, illamque ut hareticam & impiam rejecisse.* Sane non poterat affingi, quod magis alienum foret, non à veritate dumtaxat, sed ab omni quoque specie vel apparentia veritatis: quandoquidem talia apud Nos publice data sint documenta, quæ sole clarius demonstrant, omnes & singulos Facultatem nostram Theologicam constituentes, præfatam Bullam, *UNIGENITUS*, cum debita, id est, vera ac integra, tam interiori quam exteriori obedientia suscepisse ac suscipere. Nam, ut omittamus, omnibus Litteratis notum esse, vel esse debere, quod Facultas nostra exemplo Majorum suorum semper ac constanter steterit, & hodiedum est pro Romani Pontificis, Universalem Ecclesiam in materia Fidei aut morum docentis, infallibilitate, quodque proinde Constitutiones omnes Apostolicas, tam eas, quæ contra Bajanos & Jansenianos errores ac hæreses editæ sunt, quam alias quaslibet corde & ore receperit, ac recipiat: illam ipsam Constitutionem *UNIGENITUS*, ab initio, etiam ante publicationem jussu Superiorum Lovanii factam, omnes & singuli amplexi sumus pure simpliciter, sine hæsitatione, sine exceptione, sine explicatione, palam agnoscentes, B. PETRUM per *Clementem XI.* in eadem fuisse locutum. Quin, eo ipo quo innotuit memorata Constitutio, duo

duo ex nobis, in solemnitate admissionis aliquorum ad Magisterium orationem specialem habuerunt super Constitutione *UNIGENITUS* illam annuntiantes & laudantes. Sæpe quoque in Thesibus impressis in Schola nostra propugnatis facta est mentio illius cum elogio: & quotidie fere in publicis Disputationibus citatur ab Oppugnantibus, ut jubeantur Propugnantes, doctrinam suam secernere ab omni Propositione quæ in Bulla *UNIGENITUS* est damnata. Præterea novum est, quod nequaquam ferret facultas nostra, ullum in Schola nostra defendere, præsidere, aut docere, qui aliter saperet. Ex his evidentissime perspicere possunt *Eximiæ Dominationes vestræ*, quod nequiter & falso sparsi sint prædicti injuriosi rumores. Addimus tamen ex abundanti, quod ubi lectæ fuerint Litteræ, quibus nos honorastis, singuli uno ore ac animo, eodemque momento reclamaverint contra sparsam de nobis injustissimam calumniam, atque in contrariam protestationem justa indignatione eruperint. Aberat quidem Lovanio unicus de Facultate nostra Eximius Pater *Bossuyt* Provincialis Ordinis Eremitarum S. Augustini, sed probe novimus, ipsius mentem nostræ esse conformem. Quamvis vero non foret opus de novo convenire, ut determinaretur, quid Litteris vestris esset respondendum, tamen ut constaret nihil præpropere, sed pro rei gravitate esse mature processum: conclusum fuit Facultatem nostram sub juramento eam in rem esse convocandam. Itaque in Congregatione sub juramento habita comparuerunt omnes (excepto præfato Eximio Patre Provinciali) & post maturam deliberationem, unanimi suffragio conclusum fuit, *Eximiis Dominationibus vestris*, præter jam dicta, respondendum esse, quod agnoscamus, & sincere sentiamus, omnia & singula rite, legitime ac juris ordine peracta esse in negotio concernente librum Gallico idiomate impressum, & in plures Tomos distributum sub Titulo: *Le nouveau Testament en François avec des reflexions morale, sur chaque verset, &c. à Paris* 1699. Ac aliter: *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apotres, des Epitres de S. Paul, des Epitres Canoniques & de l'Apocalipse, ou pensèes chretiennes sur le texte de ces Livres Sacrez, &c à Paris* 1693. & 1694. Palamque profiteamur, omnes & singulas Propositiones per præfatam Bullam *UNIGENITUS* damnatas, fuisse vere damnabiles, & vere rectèque damnatas esse,

se, etiam sub earum respectivè censuris. Ecce genuina & aperta, *Eximi Viri ac Domini*, sensa nostra, quæ non vobis solum verum etiam Urbi ac Orbi toti cupimus esse nota, ut sic quoque obstruantur ora loquentium iniqua. Cæterum vobis grates referimus quam possumus maximas, tum quod juste de nobis sentientes non dederitis fidem Detractoribus istis nominis & famæ nostræ; tum quod de rebus nostris solliciti, sicut fas est & decet meminisse Fratrum, amice nos commonueritis, quatenus injuriam istam tam atram quam atrocem nobis impactam depelleremus, prout eam hisce, quantum confidimus, omnino depellimus. Porro dum vestris vicissim obsequiis intime sumus intenti, perenni cultu subscribimur.

ADMODUM REVERENDI ET EXIMII DOMINI,

Admodum Reverendarum & Eximiarum Dominationum vestrarum Humillimi & Obsequentissimi Famuli.

Doctores Legentes ac Regentes, Facultatem Theologicam Lovaniensem constituentes, & eorum nomine.

HERMANNUS DAMEN.

Pro tempore Decanus.

Lovanii 8. Julii 1715.

Superscriptio erat,

Admodum Reverendis, & Eximiis Dominis, Dominis Decano & Regentibus, strictam Facultatem Theologicam Duacensem constituentibus.

Duacum,

INfrascriptus laudo & approbo quæ Sacra Facultas Theologica Lovaniensis scripsit ad Sac. Fac. Theol. Duacensem die octava Julii 1715. circa Bullam *UNIGENITUS*, declarans sensa mea esse Epistolæ isti plane conformia. Dabam Leonis 25. Julii 1715.

Fr. JACOBUS VAN BOSSUYT
S. Theol. Doctor, Facult. Theologicæ Regens, Provincialis Augustinianorum.

MAN-

MANDEMENT.

De Monseign. l'Eveque de Namur pour la publication de la Constitution &c.

FERDINAND Comte de Berlo par la grace de Dieu, & du saint Siege Apostolique Eveque de Namur, Chanoine de la Cathedrale de Liege, Archidiacre de Campines, Abbé seculier de la Collegiale de Namur, & Prevot de la Collegiale de S. Paul en Liege: A tous les fidelles de notre Diocese salut & benediction.

POUR ne pas manquer au respect, à la soumission à l'obeissance que nous devons au S. Siege, & pour remplir nos devoirs Pastoraux, Nous n'avons pas plutot recu la predite Constitution que Nous en avons fait imprimer un grand nombre d'Exemplaires, & les avons fait distribuer par tout notre Diocese, pour y etre publiez incessamment.

A CES CAUSES Nous enjoignons à tous les Pasteurs & autres Personnes commises à la conduite des ames de notre Diocese, de veiller diligemment qu'un chacun se conforme à cette Constitution; Deffendons a tous de lire & garder ce dit Livre intitule *Le nouveau Testa-*

MANDATUM.

Illustrissimi D. Episcopi Namurcensis pro publicatione Constitutionis.

Ferdinandus Comes de Berlo, *Dei, & S. Sedis Apostolica gratia* Episcopus *Namurcensis, Canonicus Cathedralis Leodiensis, Archidiaconus Campinensis; Abbas Sacularis Collegiata Namurcensis, & Prapositus Collegiata S. Pauli Leodii, omnibus Christi fidelibus nostra diacesis salutem, & benedictionem.*

Ne desimus obsequio, submissioni, obedientia, quam S. Sedi debemus, utque nostrum Pastorale debitum adimpleamus, statim ac pradicta Constitutio à nobis accepta est, ut quamplurima ipsius exemplaria imprimerentur effecimus, & per totam nostram diœcesim distribuerentur, ibidem protinus publicanda.

His de causis nos omnibus Pastoribus, aliisque Personis Animarum nostra diacesis regimini destinatis injungimus sedulam vigilantiam, ut quilibet sese ipsi Constitutioni conformet; Prohibemus omnibus legere, & retinere dictum Librum, cui titulus est Le nouveau Testament, *eisque man-*

ment

ment &c. & leurs ordonnons d'en apporter les Exemplaires à notre Secretairie, autrement Nous ferons proceder à la charge des Contradicteurs & Refractairs, selon la rigueur de l'avantdite Constitution, dont la teneur va suivre de mot à mot selon la Copie authentique imprimée à Rome. Donné à Namur ce 8. May 1714. Par ordonnance de Monseigneur, Fr. MAHY Secretaire.

damus ut afferant ipsius Exemplaria ad nostram Secretariam, *alioquin efficiemus ut criminaliter in* Contradictores, *& Refractarios procedatur juxta rigorem antedictæ* Constitutionis, *cujus tenor est ut sequitur de verbo ad verbum juxta* Exemplar *authenticum Romæ impressum*; Datum Namurci, *hac die* 8. *Maii* 1714. *de mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini*, *Fr. MAHY* Secretarius.

MANDATUM

D.D. Vicariorum Generalium Episcopatus Yprensis, Sede vacante.

Vicarii Gen. Episc. Yprensis Sede vacante, omnibus fidelibus ejusdem Diœcesis Salutem in Domino.

SAnctissimus Dominus noster damnavit alias librum Gallico idiomate impressum, & in plures Tomos distributum sub titulo: *Le nouveau Testament en Francois, avec des Reflexions morales sur chaque Verset &c. à* Patris 1699. Aliter vero: *Abregè de la morale de l'* Evangile, *des Actes des Apotres, des Epitres de* S. Paul, *des* Epitres Chanoniques, *& de l'Apocalypse; ou* Pensées Chretiennes *sur ces Livres* Sacrez, *à* Paris 1693. & 1694. Tamquam Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem. Et cum nihilominus prædictus liber fidelium manibus passim obtruderetur tanquam ab omni errore immunis, volens Pontifex gliscenti morbo validiori remedio obviam ire, & fallacem libri doctrinam universis Christi fidelibus ob oculos ponere, per Bullam UNIGENITUS DEI FILIUS, datam 6. Idus Septembris proxime præteriti centum & unam ex dicto libro excerptas Propositiones singillatim condemnavit respective tanquam falsas, captiosas, ma-

male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, in potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectus de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus in eo sensu in quo damnatæ fuerunt manifeste innovantes. Errores hac Apostolica censura perstricti necdum infecerunt Diœcesim Iprensem, quæ provida Episcoporum cura, & debita Apostolicorum Decretorum observantia, immunis etiam mansit ab aliis erroribus, qui varias Belgii, ac aliarum Provinciarum turbarunt Ecclesias. Sed, ne quod facile fieret, per dulces sermones sub falsæ pietatis imagine decipiantur incauti, muneris nostri esse duximus Decretum quo præfatus liber, & excerptæ ex illo Propositiones condemnantur, per Apostolicum Internuntium ad nos directum quantocius publicare, quod per præsentes per totam Diœcesim publicari mandamus, & ab omnibus fidelibus ejusdem Diœcesis observari sub censuris, aliisque pœnis in eo contentis. Prædictum quoque librum quocunque idiomate impressum, ejusque lectionem ac retentionem sub iisdem pœnis pariter prohibemus, mandantes Exemplaria deferri ad Vicariatum. Illud interim summopere exoptantes ut * *per rescripta quæ ab Apostolica Sede venerunt causa finita, finiatur aliquando error*, & cesset unitati æque ac charitati inimica divisio Datum Ipris in Vicariatu 9. Maii 1714. *Et erat signatum*, P. R. *De Beaufort* Vicarius Generalis. P. F. *Heinderycx* Vicarius Generalis. J. *Senesael* Vicarius Generalis, *Et infra*, de Mandato Amplissimorum DD. Vicar. Generalium.

F. J. MATHEVVE Secret.

Dd MAN-

* S. *August. Serm.* 2. *de verb. Domini cap.* 10.

MANDATUM

D. Vicarii Apostolici Boscoducensis.

PETRUS GOVARTS Diœcesis Boscoducensis Vicarius Apostolicus, omnibus has visuris salutem in Domino.

CUm Sanctissimus D. N. Clemens Papa XI. nobis injunxerit in nostra Diœcesi, subimpressum Decretum publicari faceremus, in quo auctoritate Apostolica damnantur & prohibentur specifice quamplurimæ Propositiones excerptæ ex libro Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo sub titulo: *Le nouveau Testament &c. à Paris 1699.* ac aliter: *Abregè de la morale de l'Evangile &c. à Paris 1693. & 1694.* Cum generali prohibitione ejusdem libri, & aliorum quorumcumque in ejus defensionem tam hactenus editorum, quam in posterum edendorum; nos ejusdem suæ Sanctitatis Mandata ea qua par est reverentia & promptitudine exequi volentes, Decretum hujusmodi ad publicam Parochianorum nostrorum notitiam in Districtu nostro Galensi exponi ordinavimus, ac insuper districte illis præcipimus, quatenus à Propositionibus & Libris inibi expressis velut à lethali lue abstineant, ac in reliquis dicto Decreto se se conforment sub pœnis, & censuris ibidem contentis. Datum in Pas Brugge juxta Mechliniam die 12. Maii anno Domini 1714. P. GOVARTS Vicarius Apostolicus Boscoducensis.

MANDATUM

Illustrissimi D. Episcopi Ruræmundensis.

FRATER ANGELUS Comes d'Ongnyes Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ruramundensis. Primas Geldriæ Illustrissimi sæcularis Capituli B. M. V. Thorensis Canonicus, omnibus præsentes litteras visuris, lecturis, aut legi audituris salutem in Domino.

SPiritus idem sanctus, qui nos meritis licet imparibus sola sua misericordia in ea parte quam sanctæ Sedis Apostolicæ nobis committere placuit, posuit regere Ecclesiam Dei, eam quoque, quam Successoribus S. Petri debemus, subordinationem præcipit, dum eidem Apostolo Jesus Chri-

ftus ait Luc. 22. v. 32. *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Et quoniam hanc Divina gratia subordinationem; veramque obedientiam Vicario Jesu Christi (non solum intuitu meritorum personalium, & qualitatum eximiarum Sedem Apostolicam hodie dum tam digne occupantis) sed multo magis vigore potestatis & auctoritatis ipsi & successori Principis Apostolorum S. Petri immediate tributæ debitam fide divina credimus, Mandatis summi Pontificis ut filius obediens sanctissimi Patris indilatè parere non dubitamus. Cum itaque sanctissimus D. N. Clemens XI. Pontifex maximus eam quam gregis Dominici saluti indesinenter invigilans adversus Quesnelliana in Novum Testamentum Commentaria superioribus mensibus Constitutionem edidit; Hinc universis, & singulis subditis nostris tam Ecclesiasticis sæcularibus & regularibus, quam Laicis utriusque sexus mandamus, ut debitam huic sanctæ Constitutioni præstent obedientiam Præcipientes Archipresbyteris, & Pastoribus Diœcesis nostræ uti etiam omnibus Monasteriorum utriusque sexus superioribus, ut in locis suæ respective Jurisdictioni subjectis eamdem publicent, illiusque tenorem eisdem in lingua Vernacula explicent. Insuper sub pœnis in sacris Canonibus ac præcipue in sacra Tridentina Synodo expressis severe præcipimus, ne quisquam libros in sæpememorata Constitutione expressos legat, aut apud se retineat, sed illos statim atque præsentis Constitutionis notitiam habuerint, ad nos deferat. Officialibus quoque & promotoribus nostris committimus, & injungimus, ut præfatam Constitutionem, & quæcunque in ea contenta exequantur, & executioni mandari, & observari ab omnibus curent, omnesque tam sæculares, quam Ecclesiasticos, qui eidem contravenire, aut hasce Sanctissimi D. N. Romani Pontificis, nostramque, constitutiones non publicare præsumetent, nobis declarent secundum Canones puniendos. Actum in Aula nostra Episcopali hac 19. Maii 1714. F. ANGELUS Episcopus Ruræmundensis. De mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini Episcopi præfati, DE BREUGEL.

MANDATUM

Illustrissimi D. Episcopi Gandensis.

Gandavi fuit impressa Constitutio Unigenitus juxta Exemplar Romanum, ac in pede ipsius rescriptum. Publicetur per Diœcesim Gandavensem. Datum 30. Maii 1714. De mandato Illustrissimi ac R. D. mei Episcopi, J. B. *Duchesne* Secret.

MANDATUM

Illustrissimi D. Episcopi Antuerpiens.

PETRUS JOSEPHUS Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Antuerpiensis, omnibus has visuris salutem in Domino.

SUpra impressam Constitutionem Sanctissimi Domini nostri ad totius Cleri tam sæcularis quam regularis omniumque Christi fidelium nobis subjectorum notitiam hisce deducimus, ne ullam ejusdem ignorantiam aliquando prætexere possint, sed eadem nobiscum obedientia & integra submissione eidem sese in omnibus conforment sub pœnis inibi expressis. Volentes, ut exemplaria quæcumque de libris in eadem prohibitis existentia ad secretarium quantocius deferantur. Datum Antuerpiæ 30. Junii 1714. *Petrus Josephus* Episcopus Antuerpiensis. De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini mei. U. A. *Bechemont* Secret.

MANDEMENT

De Monseigneur l'Eveque de Tournay.

JEAN ERNEST Prince & Conte de Lovvenstein, VVertheim, Montagu, Rochefort, Chassepierre, &c. par la grace de Dieu & du S Siege Apostolique Eveque

MANDATUM

Illustrissimi D. Episcopi Tornacensis.

Joannes Ernestus Princeps, & Comes de Lovvestein, VVertheim, Montagu, Rochefort, Cassepierre &c., *Dei & S. Sedis Apostolicæ gratiâ Episcopus Tornacensis, Made*

de Tournay, Grand Doyen de l'Eglise Cathedrale de Strasbourg, Chanoine Capitulaire de l'Eglise Metropolitaine de Cologne, &c. Au Clerge seculier & regulier, & à tous les fideles de nostre Diocese salut & benediction en N. S.

C'Est un Oracle du Saint Esprit, que l'obeissance aux Puissances etablies de la main de DIEU pour gouverner, est pour tous un devoir indispensable : *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*. S'il à plu à Dieu, mes tres chers Freres, de graver ainsi son image sur le front des Princes meme temporels, pour faire respecter en eux une authorité qu'on doit regarder comme une participation de la sienne, quelle ne doit pas etre not soumission à celle du Vicaire de Jesus-Christ sur la terre, & du Chef visible de sons Eglise? N'est-ce pas à lui de pour voir aux besoins de tout le corps, & d'en regler les mouvemens ? N'est-ce pas à lui de fixer ler Esprits inquies sur ce qu'il faut croire, & sur ce que nous devons pratiquer ? Apres donc que N. S. P. le Papa Clement XI. qui ne met point de bornes à sa vigilance Pastorale, à voulu exa-

gnus Decanus Ecclesiæ Cathedralis Strasburgensis, Canonicus Capitularis Ecclesię Metropolitanę Coloniensis, &c. Clero Sæculari, & Regulari, cunctisque Christi fidelibus nostrę diœcesis salutem & benedictionem in Domino.

Spiritus Sancti oraculum est, Obedientiam Potestatibus manu Dei ad Populorum regimen constitutis esse omnibus debitum indispensabile. Omnis Anima Potestatibus sublimioribus subdita sit. *Si placuit Deo, Fratres mei charissimi, ideo imprimere in fronte ipsorum Principum Temporalium suam Imaginem, ut in ipsis impendatur obsequium Authoritati, quæ aspicienda est tanquam participatio divina, quæ submissio a nobis non debetur illi* Jesu Christi *Vicarii in terris, & ipsius* Ecclesię Capitis *Visibilis? Nonne ejus est providere indigentiis totius Corporis, ejusque motus regere? ipsius est mentes inquietas continere in eo quod credendum est, & in eo, quod nos agere debemus. Postquam igitur N. S. P. Papa* Clemens *XI. qui undequaque suam* Pastoralem *vigilantiam protendit, ipse idem in pluribus* Congregationibus *Librum Gallicè conscriptum, cui titulus est* Le Noveau

 mine:

miner lui-meme dans plusieurs Congregations le Livre intitulé : *Le Nouveau Testament en François, &c.* qu'il a seu par sa profonde sagesse en demesler les erreurs, & qui les à condamnées avec les cent une propositions qui en sont extraites. par sa Constitution du 8. Septembre 1713. Nous ne sçaurions mieux faire, que de souscrire selon notre devoir à cette condamnation, par où Nous eloignons du troupeau, qui Nous est confié, un Livre dont la lecture est d'autant plus dangereuse, que sous le titre specieux de *Morale de l'Evangile*, il confond artificieusement l'erreur avec la verité: Nous ne faisons au reste en cela que suivre l'exemple & la conduite des Peres du Concile de Calcedoine qui assemblez pour proscrire les erreurs, qui troubloient l'Eglise en ce temps la, s'ecrierent tous d'une voix à la lecture de la Lettre du Pape S. Leon qui les condamnoit: *Petrus per Leonem locutus est: ut Leo sic credimus. Pierre à parlé par la bouche de Leon. La creance de Leon est la notre*. Pierre parle encore aujourd'hui, mes tres chers Freres, par la bouche du sage & pieux Pontife qui est à la tete de l'Eglise. Et c'est dans une par-

Testament &c. *voluit examinare, suaque alta Sapientia excerpere scivit ex eo errores, & illos damnavit in centum, & una Propositionibus illinc extractis, per suam Constitutionem datam die* 8. *Septembris*, 1713. *nihil melius facere possumus, quam ut juxta nostrum debitum subscribamus nos huic damnationi; & propterea procul à Grege nobis commisso amandemus Librum; cujus Lectura eo est perniciosior, quo sub specioso titulo* de Morale de l'Evangile, *confundit artificiose errorem cum veritate. De catero nihil quoad hoc agimus, nisi sequi exemplum & regulam* Patrum Concilii Calcedonensis: *qui cum convenissent proscribendi causa errores, qui tunc temporis Ecclesiam turbabant, omnes dum legerentur Litera* Papa S. Leonis, *qui eos damnabat, una voce exclamarunt* Petrus per Leonem locutus est: ut Leo sic credimus *Petrus locutus est per os Leonis: Fides Leonis est Fides nostra. Nunc quoque Fratres mei charissimi.* Petrus *loquitur per os Pontificis sapientis & pii, qui regit Ecclesiam, & hoc est quod perfecta cordis, & mentis submissione nos dicimus, vosque exhortamur ut nobiscum, & sicuti nos dicatis: Fides* Clementis *est Fides nostra*.

faite

sa te soumission de cœur & d'esprit, que Nous disons & que Nous vous exortons de dire avec Nous & comme Nous : *La creance de Clement est la notre.*

A CES CAUSES, apres avoir fait les reflexions que l'importance de l'affaire dedemandoit, de l'avis de notre Vicariat, & le S. Nom de DIEU invoqué, Nous declarons que Nous condamnons le Livre des *Reflexions Morales &c.* & les cent une Propositions, qui en ont eté extraites, & de la maniere & avec les memes qualifications que sa Sainteté les a condamnées par sa Constitution qui commence : *Unigenitus Dei Filius.*

Nous defendons à tous les Fidelles de l'un & l'autre sexe de notre Diocese, d'enseigner, d'ecrire, ou de parler sur lesdites Propositions autrement qu'il n'est parlé dans ladite Constitution; Comme aussi de lire, ou de garder tant ledit Livre, que tous autres Livres, Libelles, & Memoires qui ont paru, ou qui pourroient paroitre dans la suite pour la defense du Livre, ou des Propositions condamnées, & d'en conseiller ou autoriser la lecture. Leur ordonnons d'en apporter ou envoyer incessamment les Exemplaires à notre Secreta-

His de causis, post factas reflexiones quas negotii momentum requirit, de nostri Vicariatus consilio, Sanctoque Dei Nomine invocato, declaramus, nos damnare dictum Librum: Des Reflexions Morales &c. nec non centum, & unam Propositiones, quæ illinc extractæ sunt, eo modo, & cum eisdem qualificationibus, ut eas sua Sanctitas damnavit per suam Constitutionem, quæ incipit, Unigenitus Dei Filius.

Prohibemus omnibus utriusque sexus Christi fidelibus nostræ diœcesis docere, Scribere, aut loqui super dictis Propositionibus aliter quam in eadem Constitutione habetur; insuper quoque legere, aut retinere tum dictum Librum, tum omnes alios Libros, Libellos, & memorialia, quæ edita sunt, aut forsan edentur in posterum pro Libri, aut Propositionum damnatarum defensione, necnon suum consilium, aut authoritatem lectioni eorumdem accomodare: eis pariter mandamus, ut afferant, seu mittant ipsorum Exemplaria ad nostram Secretariam: & hac

riat, le tout sou peine d'encourir les censures portees par ladite Constit. Nous reservant & à nos Vicaires Generaux le pouvoir d'en absoudre.

Nous procederons par les voyes de droit contre ceux qui oseront parler, enseigner, precher, ou ecrire contre la meme Constitution, & soutenir, ou insinuer la doctrine qui y est condamnée. Ordonnons qu'ella sera lue avec notre presente Ordonnance aux Prones des Messes Paroissiales, & dans toutes les Communautes Seculieres & Regulieres de notre Diocese, soit disant exemptes ou non exemptes, & affichée par tout ou besoin sera.

Mandons à nos Doyens de Chretiente de tenir la main à l'execution des Presentes, chacun dans l'etendue de son district. Fait à Tournay dans notre Palais Episcopal le second jour de Juillet mil sept cens quatorze : *Etoit signé*. JEAN ERNEST, Eveque de Tournay. *Et plus bas etoit ecrit :* Par commandament de son Excellence. PEAN Secret.

omnia sub pœna incurrendi in Censuras inflictas per dictam Constitutionem, reservantes nobis, nostroque Vicario Generali facultatem ab eis absolvendi.

Nos per viam juris procedemus in eos, qui adversus eamdem Constitutionem loqui, docere, concionari, aut scribere audebunt, & propugnare, aut insinuare doctrinam ibi damnatam. Mandamus ut illa cum nostro præsenti Mandato legatur inter Conciones Missarum Parochialium, & in omnibus Communitatibus sæcularibus, & Regularibus nostra diœcesis, sive illa se dicant exemptas, seu non exemptas, ac ubicumque opus fuerit affigatur.

Mandamus nostris Decanis Christianitatis, ut manus dēt, Præsentium executioni, quilibet in sui districtus extensione. Factum Tornaci, in nostro Palatio Episcopali, die secunda Julii. Anni millesimi septingentesimi decimi quarti. Signatum Joannes Ernestus, Episcopus Tornacensis. Et inferius erat scriptum: de Mandato Suæ Excellentiæ. Pean Secret.

MAN-

MANDAMENT.

De Monseigneur l'Eveque de S. Omer.

FRANCOIS de Valbelle de Tourves, par la grace de Dieu & du S. Siege Apostolique Eveque de S. Omer, Conseiller du Roy dans ses Conseils, Maitre de l'Oratoire de Sa Majeste, aux Fideles de notre Diocese, salut & benediction.

L'Eglise est comparée, mes chers Freres, dans l'Ecriture sainte à un Edifice, dont tous les Chretiens, selon S. Augustin, & S. Chrysostome, sont autant de piere vivantes, qui doivent se soutenir les unes les autres par la charité & par l'union desmemes sentimens. Elle a paru si essentiele aux premieres Fidelles, que nous lisons dans les Actes des Apotres, qu'ils n'avoient qu'un cœur & qu'une ame. *Erat credentium cor unum & anima una.* Si cette union est si necessaire au commun des Chretiens, avec qu'elle exactitude les premiers Pasteurs ne doivent ils pas la conserver entre eux, dans tout ce qui est relatif au depot Sacré, qui leur a eté confidé?

MANDATUM.

Illustrissimi D. *Episcopi Audomarensis.*

Franciscus de Valbelle de Tourues, *Dei, & S. Sedis Apostolica gratia Episcopus Audomarensis, Regis Consiliarius in ejus Consilii, Prapositus Oratorii Sua Majestatis, Christi fidelibus nostra diœcesis salutem, & benedictionem.*

Ecclesia, Fratres mei charissimi, comparatur in Sacris Bibliis Ædificio, cujus omnes Christi fideles, juxta S. Augustinum, & S. Chrysostomum, totidem lapides vivi sunt; qui sese invicem fulcire debent per Charitatem, & eorundem sensuum Unionem. Hac adeo essentialis visa fuit primis Christi fidelibus, ut in Actis Apostolorum legamus, ipsos non habuisse nisi unum Cor, & unam Animam Erat credentium cor unum, & anima una. *Si hac Unio adeo necessaria est Christianorum Communitati, quanam sedulitate non debent illam servare inter se Pracipui Pastores in omnibus, qua respiciunt Sacrum Depositum, quod ipsorum fidei commissum est?*

Le

Le Clergè de France persuadè de cette veritè, & desirant que tous les Eveques du Royaume concurussent au meme bien & d'une maniere uniforme. Nous a fait l' honneur de nous ecrire, pour nous prier de nous conformer à ses deliberations en faisant publier dans notre Diocese la lettre Pastorale cy jointe. Ce que nous aurions executè, si les visites, que nous avons etè obligèz de faire dans la partie de notre Diocese qui a souffert pendant la derniere guerre, nous l' avoit plutot permis. Nous croyons devoir nous unir en cette occasion à l' Eglise de France, avec la deference & le respect que nous devons à un corps si recommandable par sa pietè & par ses lumieres pour conserver de notre part la charitè, l' honneur de l' Episcopat, le lien de la foi, & l'union du Sacerdoce, comme S. Cyprien l' ecri voit à Jubayanus. *Servatur à nobis patienter & firmiter charitas animi, Collegii honor, vinculum fidei & concordia Sacerdotii.*

Nous esperons, mes chers Freres, qu' en adoptant cette lettre, qui contient les principes les plus solides de la Religion, Nous previendrons les interpretations qui

Clerus Gallicanus, certus de hac veritate, & exoptans ut omnes Regni Episcopi convenirent in idem bonum, ac eadem uniformi ratione, nobis Litterarum honorem impartitus est, quibus precatur, ut in ejus deliberationes conformes eamus, efficiendo ut in nostra diœcesi publicetur Epistola Pastoralis hic annexa. Quod executi fuissemus, si Visitationes quas facere debuimus in nostra diœcesis parte, quæ postremi belli molestias perpessa est, citiùs permisissent. Credimus nostrum debitum esse, ut in hac occasione cum Ecclesia Gallicana conveniamus ea observantia, & obsequio, quod debemus Corpori adeo commendabili pietate, & mentis lumine, ut ex parte nostra servetur Charitas, Episcopatus honor, Fidei vinculum, & unio Sacerdotii, quemadmodum Jubayano scripsit S. Cyprianus, Servatur a nobis patienter & firmiter Charitas animi, Collegii honor, vinculum Fidei, & concordia Sacerdotii.

Speramus, fratres mei charissimi, nos amplectendo hanc Epistolam, quæ Solidiora Religionis principia continet, præventuros interpretationes, quæ animas infirmas, & pu-

pour-

pourroient seduire les ames foibles & peu instruites ; *Les eclaircisementes* & les instructions, que nous nonus etions reservez de vous donner dans notre dernier Mandement y sont renfermèes. On y a prevenu les fideles contre les personnes mal intentionèes qui s' efforceroient d' obscurcir le sens condamnè par la Constitution de notre saint Pere le Pape, que nous avons deja recue, & nous avons tout lieu de croire que l' intelligence qui vous est facilitèe par cette lettre Pastorale produira en vous l' effet que les ennemis de la verité craigent, & quæ les gens de bien en attendent.

A ces causes; Nous ordonnons à tous Doyens, Curès & autres ayant charge d' ames dans notre Diocese de publier incessament, au Prone de la Messe Paroissiale, le present Mandement aussi bien que la lettre Pastorale de Nosseigneurs du Clergè de France, & à tous Superieurs, ou Superieures de Communautes Ecclesiastiques, seculieres & regulieres, soi disant exemptes ou non exemptes, de les faire lire dans la premiere assemblèe qui se tiendra dans leur Maison. Declarant aussi que nous procederons par

rum instructas possent seducere; Lumina, & instructiones, quas nobis reservavimus in ultimo Mandato vobis subministrandas, ibi continentur, ibi præmuniuntur Christi fideles adversus homines perversæ mentis, qui conaturi essent obscurare sensus damnatos per Constitutionem Nostri Sancti Patris Papæ, à nobis jam receptam; omnemque causam habemus ut credamus, intelligentiam, quæ per hanc Epistolam Pastoralem reddita est facilis, producturam in vobis effectum, quem ex ea hostes veritatis formidant, & homines honesti expectant.

His de causis mandamus omnibus Decanis, Curatis, aliisque curam animarum habentibus in nostra diœcesi, ut inter missæ Parochialis concionem notum faciant præsens Mandatum, prout etiam Epistolam Pastoralem Nostrorum Dominorum Cleri Gallicani; & omnibus utriusq; sexus Superioribus Communitatum Ecclesiasticarum sæcularium, vel Regularium, sive se dicant exemptas, seu non exemptas, ut ipsorum cura prædicta effectivè legantur in primo Conventu, qui habebitur in eorum domibus: Declarantes pariter nos per viam jurispro-

les

les voyes de droit contre ceux qui oseront parler, enseigner, precher, ou ecrire contre ladite Constitution, soutenir ou insinuer la doctrine qui y est condamnée. Fait au Vicariat le 5. Juillet 1714. † FRANCOIS Eveque de S. Omer. Par ordonnance GLOSTER Secretaire.	*cessuros in eos, qui audebunt loqui, docere, concionari, aut scribere adversus dictam Constitutionem, propugnare, aut insinuare doctrinam ibi damnatam. Factum in Vicariatu die* 5. *Julii* 1714. †*Franciscus Episcopus Audomarensis. De Mandato, Gloster Secretarius.*

MANDATUM

D.D. Vicariorum Generalium Episcopatus Brugensis, Sede vacante.

Vicarii generales in spiritualibus, & temporalibus Episc. Brugensis Sede vacante. Omnibus Christi fidelibus hujus Diœcesis salutem in Domino.

CONstitutio Sanctissimi D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. data Romæ 6. Idus Septembris 1713. quæ incipit: UNIGENITUS DEI FILIUS &c. per Illustr. Dominum Internuncium ad nos transmissa ad promulgandum, continens 101. Propositiones excerptas ex libro Gallico idiomate impresso, & in plures Tomos distributo sub Titulo: *Le nouveau Testament en Francois, avec de Reflexion sur chaque Verset, &c. à Paris* 1699. Ac aliter: *Abregè de la morale de l'Evangile, &c. à Paris* 1693. & 1664. Ab eodem Sanctissimo Domino declaratas, damnatas & reprobatas tamquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis, & hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, plures damnatas ad demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovan-

vantes, & prohibens eundem librum & alios quoscumque in ejus defensionem tam hactenus editos, quam in posterum edendos.

Nos desiderantes pro nostra erga sanctam Sedem observantia ejusdem sanctissimi Dom. Mandata diligenter exequi, eandem Constitutionem publicandam censuimus, & per præsentes publicamus, monentes omnes & singulos subditos hujus Diœcesis, ut præfatam Constitutionem tanquam sanctæ Rom. Ecclesiæ obedientes filii sedulò observent & respective observari curent, nec prædictum librum vel alios quoscumque in ejus defensionem editos, vel edendos legant, vel penes se retineant, sed ad Vicariatum deferant sub pœnis in eadem Constitutione latis. Datum Brugis in Vicariatu 7. Julii 1714. De Mandato RR. admodum, ac amplissimorum DD. Vicariorum præfatorum, ALEXANDER VAN VOLDEN, Secretar.

EPISTOLA SALMANTICENSIS Academiæ ad S. D. N CLEMENTEM XI Ecclesiæ universalis vigilantissimum Pastorem.

BEATISSIME PATER.

QUod Constitutionem *Unigenitus*, à Sanctitate tua die 10. Septemb. superioris anni 1713. opportunissime editam, Salmanticensis quoque Academia nostra suorum repudiaverit Theologorum consensu, rumor est, qui in totius Europæ hominum ora atque oculos studiose pariter, & malitiose à Novatoribus disseminatur, atque is quidem, quo insperatam magis, eo etiam nobis graviorem molestiam attulit, & dolorem: ac nisi ad Sanctitatis tuæ humanitatem hunc scribendi aditum nobis patere facilem animadverteremus, impetus iracundiæ fere nos à consueta Academiæ hujus moderatione abduxisset. Quid mirum? Ea nobis, beatissime Pater, imponitur persona calumninæ, qua Hispanis quidem animis odiosior nulla; hujus

jus vero Salmanticensis Academiæ Alumnis omnibus nullà unquam objecta est execrabilior impostura: quippe si omnes, cum nihil antiquius habuerint, aut præstiterint diligentius, quam ut Decreta, Constitutiones, nutusque ipsos Apostolicæ Sedis observarent fidelissime, tum præcipue Sanctitatis tuæ Constitutionem *Unigenitus*, uti justissimam, utilissimam, atque præcidendis, extinguendisque impiis Novatorum erroribus quam maxime necessariam exceperunt, probaverunt, totoque suorum animorum veneratione amplexi sunt. Qui ergo fieri potuit, ut rectissimi nos pœnituerit consilii, à saniori exciderimus mente, levitatisque haud exiguæ nota probatissimam nos omnes mutaverimus sententiam? Qui rursus fieri potuit (nam id nobis alte fixum hæret) Salmanticensem Academiam, Summorum Pontificum liberalitate erectam, auctam munificentia, favore protectam, immemorem tandem sui, ab ea discessisse observantia singulari, interrupta obedientia, fidelitate insigni, quibus perenni à suis primordiis successione Sedem Apostolicam prosecuta est? Qui tandem potuit accidere, id nos sceleris admisisse, hac solum de causa, ut Novatoribus faveamus, utque omni improbitate plenos homines imitemur, qui cum Reipublicæ Christianæ pacem omnem perturbant, tum pariter suis erroribus, discordiis, dissensionibusque tunicam Christi inconsutilem, id est, Ecclesiam Dei fœdissime dividunt, lacerant, proscindunt? Atque hæc vel objici quidem potuerunt Salmanticensi Academiæ? Tui solum fastigii majestas, Beatissime Pater, efficit, ne in acerbissimos questus prorumpat indignatio nostra. Interea tam invisæ atrocitas calumniæ haud exiguam nobis solatii usuram fecit; qui luculentissimo, quod exhibuimus, divulgavimusque per Europam, veritatis testimonio, aperuimus, patefecimus, confirmavimus, quos jugiter erga Sedem Apostolicam, Beatitudinemque tuam prætulimus animos: id est, omni obedientia, subjectione, observantia, humilitate, venerationeque compositos. Id enim habet optatissimum Salmanticensis Academia, quod, cum incitato, avido, & ardenti sit flagrans studio, omnem amorem, industriam, laborem, in exequendis Sedis Apostolicæ, tuæque Beatitudinis præceptis, impendere; tum etiam id ipsum sit apud omnes populos, Urbes, Regna, totum denique terrarum Orbem, pervulgatum. Calumnientur proinde, famamque, & honorem nostrum conviciis

im-

imposturis, injuriis divexent Novatores, ut vero ab hac nos cogitatione, ab hac securissima mente, ab hoc fidelissimæ obedientiæ tramite divertamus, numquam assequentur. Ad extremum oramus, Beatissime Pater, divinam Majestatem, ut præsentissimo suo Numine, atque auxilio, sanctissimum imperium tuum defendat; ut multos, quod fidelissimi quique infinite precantur, in annos Ecclesiæ clavum moderetis: ut omnibus Turcarum, infensissimorum Christiani nominis hostium, copiis terra, marique fœliciter superatis, maximorum te gloria triumphorum cumulet, & exornet. Salmanticæ 19. Augusti. Anno 1716.

Humillimi atque obedientissimi filii, qui sacros Sanctitatis tuæ pedes tota animi devotione, atque veneratione deosculamur.

Franciscus Ochon à Mendarez queta, Cancellarius Scholasticus Salmantinus.

M. Stephanus de Ibarra, Societ. Jesu, Primarius Theologiæ Professor.

Doct. Alfonsus Muniz, Sacræ Theologiæ Cathedræ Primarius Professor.

Doct. Josephus *à Bustamente & Loyola, Decretorum Professor:*

Doct. Gabriel Cano & Chacon, Vespertinæ Cathedræ antiquioris Juris *Pontificii Moderator.*

M. Emmanuel Generelo & Spinola, Cathedræ S. Thomæ Moderator.

Doct. Suerus Antonius, Primariæ Sacrorum Canonum Cathedræ Moderator.

M. Michael Hieronymus de Ucar, Soc. Jesu, *Vespertinæ Theologiæ Cathedræ Moderator.*

Doct. Thomas Nunez Florez, Sacrorum Canonum Primarius Professor.

De mandato Almæ Universitatis.

Didacus Garcia à Paredes, Secretarius.

EPI-

EPISTOLA

Eminent. Card. de NOAILLES, &c.

AD

S. D. N. CLEMENTEM UNDECIMUM

Post Acta Parisiis, acceptamque ibidem Constitutionem Apostolicam *Vineam Domini*.

BEATISSIME PATER.

CUm intimo doloris sensu accepi, modum illum quem Clerus noster Gallicanus in Comitiis habitis Anno 1705. tenuit occasione Constitutionis a Sanct. V. editæ adversus Jansenianum errorem quæ incipit; *Vineam Domini Sabaoth*, visum fuisse S. V. diversum ab eo, quem olim Majores nostri occasione Constitutionum a Summis PP. Innocentio X. & Alexandro VII. eadem in editarum, tenuerunt adeoque præfatam S. V. Constitutionem, non ea, qua par fuit veneratione, & obedientia ab eodem Clero acceptam fuisse. Quod sane cum a mente ipsius Cleri prorsus alienum fuerit, officii mei, & æquitatis esse duxi B. V. quid rei esset aperire; maxime cum iisdem Comitiis præfuerim, eaque de causa votorum omnium particeps ac præcipuus testis fuerim. Testor igitur.

1. In Comitiis prædictis Clerum nostrum vere in animo habuisse S. V. Constitutionem eodem prorsus obsequio, eademque obedientia accipere, & complecti, qua majores nostri omnis S. V. Prædecessorum Bullas adversus Jansenium acceperunt, & complexi sunt.

2. Cum Clerus dixit, Constitutiones Summorum P. P. „ a Corpore Episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obli- „ gare „ Mens ejus non fuit, necessariam esse hujusmodi Acceptationis solemnitatem, ad hoc, ut illæ tamquam Regulæ credendi, & loquendi a Catholicis omnibus haberi debeant, licet aliquando ista solemnitas non mediocris esse possit utilitatis, ubi natus est error; Sed ultima Iansenistarum

ftarum munimenta penitus convellere, & ipsis omne effugium in nostris Partibus, Principio ab his concesso, intercludere operæ pretium esse duxit.

3. Non sibi arrogavit Clerus ut Sanctiones Pontificias examini suo judicandas subjiceret, sed in ipsis, quod olim scribebant LEONI Magno Episcopi Gallicani, „ Gaudens „ & exultans fidei suæ sensum recognovit, & ita semper se „ tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætatus est.

4. Certum illi fuit Pontificiis Decretis adversus Jansenium nihil deesse, ut Universam Ecclesiam obligent; & circa illa nec *Appellationem* admitti, nec *Mutationem* exspectari posse. Idem & de Apostolicis adversus Bajum, Molinosum, & librum vulgò dictum *les Maximes des Saints*, Definitionibus Professurum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset.

Quæ cum ita se habeant & genuinam Episcoporum Nostrorum sententiam Explicent: Sanctitatem V. enixe precor; ut ita de Ecclesia Gallicana sentiat, & illam credat, qualem scripsit Innocentio II. S. Bernardus,,, Fortem in Fide; „ Pacificam in Unitate, Devotam in Obedientia vestra, „ Promptam ad servitium,,, sic etiam affecti sunt omnes Episcopi nostri:

Ego vero debitæ Apostolatui vestro Obedientiæ primus omnium satisfaciam satis. Apostolicæ Sedi quanta debeam, monebunt me Religio; gratus animus, & insita erga Romanam Ecclesiam Reverentia. Neque necessarius erit ad confirmandum omnimodam hanc in eam observantiam meam aspectus Purpuræ, qua honestor. Et in omnibus summa cum veneratione summoque obsequio exhibebo me.

S. V.

Humillimum, Devotissimum, & Obedientissimum Filium & servum.

L. A. Cardin. de Noailles.

Hæc Epistola ad S. D. N. Clementem XI. scripta legitur Anno 1711. Explicatio, quam quatuor Articuli hujus Epistolæ complectuntur, facta est anno 1710. signataque ab Archiepiscopis, & Episcopis Infrascriptis.

L. A. Card. de Noailles, Archiep. Paris.

J. B. M. Colbert Archiep. Tolosanus, *Toulouse.*

LEON P. P. Archiep. Bituricensis. *De Bourges.*

ARMAND. Archiep. Burdegalensis. *De Bourdeau.*

HENRICUS Archiep. Albienſis. D'*Alby*.
AUGUSTINUS Archiep. Auſcenſis. D'*Auth*.
CAROLUS Archiep. Aquenſis. D'*Aix*.
CAROLUS FRANC. Ep. Conſtantienſis. *De Coſtance*.
DAVID NICOLAUS Epiſc. *De Blois*.
D. FRAN. Epiſc. Trecenſis. *De Troyes*.
CAROLUS Epiſc. Altiſiodorenſis. D'*Auxeres*.
JOANNES Epiſc. Valentinenſis. *De Valence*.

Qui omnes declararunt notam ſe habere veram intentionem, & vera ſenſa Conventus Cleri Gallicani habiti anno 1705. tamquam qui illi interfuerint, in omnibus Deliberationibus partes ſuas habuerint, ac teſtes exſtiterint eorum omnium, quæ in eo Conventu Cleri Gallicani acta fuerunt.

Præter hæc Inſtrumenta Publicationum alia præterea relata ſunt opuſculo cui titulus, *Recueil de quelques memoires concernant les affaires de la Conſtitution du* Pape *&c.* 2. *Partie* à pag. 107.

Epiſtola Epi. Rhodiopolis Vicarii Generalis Hildeſienſis, ad Illuſt. Abbatem Borgia Nuntium Colonienſem. 30. Octob. 1713.

Epiſtola Archiepiſcopi Electoris Trevirenſis ad eumdem. 2. Nov. 1713.

Epiſtola Epiſ. Spirenſis Principis S. Imperii ad eumdem. 4. Nov. 1713.

Epiſtola Epiſ. Herbipolenſis Principis S. Imperii ad eumdem. 4. Nov. 1713.

Mandatum Electoris Colonienſis datum 14 Nov. 1713. Leodii in Conſiſtorio.

Atteſtatio Magni Vicarii Colonienſis de publicata Conſtitutione in Arch. Colonienſi data 28. Dec. 1714.

Aliud mandatum Sereniſſimi Electoris Colon. datum 29. Jan. 1715. ſignatum *Joſeph Clemens* Arch. & Elector.

Epiſtola Epiſc. Monaſterienſis, & Paderbor. ad Illuſt. Nuntium Colon. 4. Jan. 1715.

Eorumdem Epiſc. Mandatum de Publicatione datum 21. Martii 1715.

Mandatum Archiepiſcopi & Electoris Trevirenſis de Inſtituenda Publicatione Conſtitutionis *Unigenitus* &c. 22. Feb. 1715.

Elector Moguntinus ſine Programmate Conſtitutionem Publicari mandavit,

Man-

Mandatum Ep. Basileensis Principis S. Imperii de Publicatione Constit. *Unigenitus*, 7. Febr. 1715.

Epistola Abbatis Corbiensis Princ. S. Imperii ad Illust. Nuntium Colon. 28. Oct. 1713.

Epistola Abbatis Fuldensis Princ. S. Imperii ad eundem, 28. Oct. 1713.

Mandatum Eminentissimi *Del Giudice* Inquisitoris Hispaniæ. Datum 7. Junii 1715.

Mandatum Inquisitionis Toletanæ. 12. Julii 1715.

Epistola Ulyssione data de receptione Constitutionis in Lusitania 16. Martii 1715.

Mandatum Eminentissimi D' *Acunha* Inquisitoris Lusitaniæ. 21. Ian. 1716.

Extractum ex Epist. Viena data 29. Jul. 1716.

In Gallis denique Archiepiscopi & Episcopi Constitutionem UNIGENITUS propriis Litteris Pastoralibus & mandatis in Diæcesibus suis annunciarunt & promulgarunt: quæ omnia instrumenta CXXX. integro tomo relata sunt; cui titulus, *Recueil des Mandemens & instructions Pastorales de Messeigneurs les Archeveques* Eveques *de France pour l'acceptation de la Constitution de N. S. Pere le Pape Clement XI. du 8. Sept. 1713 contre le Livre intitulè*, Le nauveau Testament en Francois avec des Reflexion Morales sur chaque verset.

A Paris, chez la Veuve de Francois Muguet *premier Imprimeur du Roy, du Clergè de France, & de son* Eminence *Monseigneur le Cardinal de* Noailles *Archeveque de Paris.*

FINIS.

INDEX ALPHABETICUS MATERIARUM,

Quæ in hoc Opere continentur, aut discutiuntur.

Ob.

Re-

FINIS.